S. LAURENTII A BRUNDUSIO
ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE
E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA
SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN X
CODEX VINDOBONENSIS
PARS II

SERMONES DE TEMPORE

ADIECTIS OPUSCULIS
I. DE REBUS AUSTRIAE ET BOIHEMIAE
II. DE NUMERIS AMOROSIS

PATAVII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII
MCMLVI

S. LAURENTII A BRUNDUSIO
ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM
OPERA OMNIA

Vol. I. *Mariale*

» II. *Lutheranismi Hypotyposis:*

» » Pars I. *Hypotyposis Martini Lutheri*

» » » II. *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae*

» » » III. *Hypotyposis Polycarpi Laiseri*

» III. *Explanatio in Genesim*

» IV. *Quadragesimale Primum*

» V. *Quadragesimale Secundum* - Pars I.

» » *Quadragesimale Secundum* - » II.

» » *Quadragesimale Secundum* - » III.

» VI. *Quadragesimale Tertium*

» VII. *Adventus*

» VIII. *Dominicalia*

» IX. *Sanctorale*


» X. *Codex Vindobonensis* - Pars I. *Quadragesimale Quartum*

» » *Codex Vindobonensis* – Pars II. *Sermones de tempore* – Adiectis opusculis: I. *De Rebus Austriae et Boihemiae* - II. *De numeris amorosis.*

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



Auctor ignotus
Photo A. Piovesan - Patavii

In Conventu Capuccinorum Aceli (Tarvisii)

S. Laurentius meditans

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN X

CODEX VINDOBONENSIS

PARS II

SERMONES DE TEMPORE

ADIECTIS OPUSCULIS

I. DE REBUS AUSTRIAE ET BOIHEMIAE

II. DE NUMERIS AMOROSIS

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMLVI

SEGRETERIA DI STATO

DI SVA SANTITA'

Dal Vaticano, li 11 Dicembre 1954

N. 339490

REV.MO PADRE,

Sono lieto di partecipare alla Paternità Vostra Rev.ma che all'Augusto Pontefice è riuscito gradito l' omaggio del volume decimo "Quadragesimale Quartum" delle Opere di S. Lorenzo da Brindisi, anche per il delicato filiale pensiero di dedicarlo alla Sua Persona.

Sua Santità Si compiace che va felicemente progredendo la iniziativa, gloriosa per il suo impegno e preziosa per i suoi risultati, di pubblicare gli scritti del Santo che tanto onora l' Ordine dei Cappuccini, e fa voti che la monumentale opera non tardi ad essere portata a pieno compimento.

Il Vicario di Cristo, riconoscente per l' attestato devoto, imparte di cuore la Benedizione Apostolica a V. P. e ai suoi Confratelli, particolarmente a quelli che dedicano intelligenza e forze a tale edizione.

Mi valgo dell' incontro per professarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
ANGELO DELL' ACQUA
Sostituto

Rev.mo Padre
P. ZACCARIA da S. MAURO di SALINE
Ministro Provinciale
dei Frati Minori Cappuccini
della Provincia Veneta di S. Antonio
VENEZIA - MESTRE

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, li 10 Luglio 1947

N. 157470

REV.MO PADRE,

L'Augusto Pontefice ha ricevuto con vero piacere il vol. VIII "Dominicalia" e quello IX "Sanctorale" di Opera Omnia di S. Lorenzo da Brindisi.

Nel ringraziare cordialmente V. P. Rev.ma per un omaggio quanto mai gradito, Sua Santità esprime all'Ordine dei Minori Cappuccini le Sue sincere congratulazioni per la cura diligente e per la venustà della veste tipografica, con cui sono editi gli scritti del Santo, tanto ricchi di Dottrina teologica e morale, specialmente nei luminosi commenti e riferimenti biblici, e degni altresì di particolare attenzione per l'impetuoso fiume di una eloquenza varia, persuasiva, immaginosa, efficacissima.

A quanti attendono alla gloriosa onorata fatica di far conoscere al vasto pubblico, specialmente ecclesiastico, quanto scrisse con alto intelletto e fervido cuore l'insigne figlio di S. Francesco, vanno gli augusti incoraggiamenti e l'augurio di felice ulteriore cammino.

Grato per gli esemplari con tanta cortesia a me pure destinati, profitto dell'occasione per confermarmi con sensi di religioso ossequio

di Vostra Paternità Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. MONTINI
Sostituto

Rev.mo Padre
P. AGATANGELO da LANGASCO
Procuratore e Commissario Generale
dei Frati Minori Cappuccini
ROMA

FR. BENIGNUS A SANT'ILARIO MILANESE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut volumen X pars II, « SERMONES DE TEMPORE » cum adiectis Opusculis: I. « DE REBUS AUSTRIAE ET BOHIEMIAE » II. « DE NUMERIS AMOROSIS MYSTICE IN DIVINA SCRIPTURA POSITIS DISQUISITIO », Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originale elaboratum ac adnotationibus illustratum, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra Generali,
die 20 *Septembris* 1956

(L. S.)

FR. BENIGNUS A SANT'ILARIO M.
Minister Generalis O. F. M. Cap.

Cum attente perlegerimus opus Sancti Laurentii Brundusini " SERMONES DE TEMPORE „ cum adiectis Opusculis: I. " DE REBUS AUSTRIAE ET BOHIEMIAE „ II. " DE NUMERIS AMOROSIS MYSTICE IN DIVINA SCRIPTURA POSITIS DISQUISITIO „, nihil invenimus a mente Ecclesiae alienum, quinimmo omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Venetiis, die 17 Septembris 1956
in festo Ss. Stigmatum S. P. N. Francisci

FR. MARINUS A VALSTAGNA O. F. M. Cap.
Lector Emeritus S. Theol.

FR. DAMASUS A TARNOVA O. F. M. Cap.
Lector S. Scripturae

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die 25 Septembris 1956
Can.cus Doct. IAC. DAL SASSO
Cens. Eccl.

Imprimatur
Patavii, die 26 Septembris 1956
† FR. HIERONYMUS - Episcopus



IN MEMORIAM ET HONOREM

Exc.mi DD. Fr. VIGILII F. DALLA ZUANNA O. F. M. Cap.

CONCIONATORIS APOST. EX MIN. GEN. TOTIUS ORD. CAP.

EPISCOPI CARPENSIS ARCHIEPISCOPI MOCISSENI

OBIIT ROMAE DIE 4 MARTII A. D. 1956

CUM HAEC EDITIO OPERUM OMNIUM S. LAURENTII A BRUNDUSIO

QUAM IPSE INCEPERAT

ET IN QUA SEMPER INVIGILAVERAT

VIXDUM AD FINEM PERVENERAT

Patres Editores

ELENCHUS AUCTORUM

QUI IN HOC X VOLUMINE A S. LAURENTIO ET NOBIS CITANTUR [1]

AESOPUS * *Fabulae*, vide *Hervieux*.

A LAPIDE CORN. *Commentaria in Scripturam*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

ARISTOTELES STAGIRITA * Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

BARONIUS C. Card. *Annales Ecclesiastici*, Lucae, 1738-1745.

BELLARMINUS ROB. S. *De Controversiis Christianae Fidei*, Mediolani, Dom. Bellagatta 1721 sqq.

BEYERLINK LAURENTIUS *Theatrum Vitae Humanae*. Coloniae Agrippinae, sumptibus Ant. et Arn. Hieratorum 1613.

Biblia Sacra Universitatis Lovaniensis, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1574.

BOTERO GIOVANNI *Della Ragion di Stato*, a cura di Carlo Morandi, Bologna, L. Cappelli 1930.

CAELIUS LUDOVICUS *Lectionum Antiquarum Libri triginta*, Francofurti et Lypsiae, D. Fivetti 1666.

CALMET AUG. *Commentarium Litterale in omnes et singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros*, Venetiis, apud Seb. Colletti 1730 sqq.

CANUS, vide *Melchior*.

CATO DIONYSIUS, vide *Dionysius*.

CHASSANAEUS BART. *Catalogus Gloriae Mundi*, Lugduni, apud Ant. Vincentium in Veronica 1546.

CICERO M. T. * Scripta quae remanserunt omnia, recognovit Reinoldus Klotz, Lipsiae, R. G. Taubneri 1876.

CLAUDIANUS *De Raptu Proserpinae*, Amstelodami, ex officina Elzeviriana 1665.

CLAVIUS CHRISTOPHORUS *In Sphaeram*, Romae, ex officina Basae 1585.

CONIMBRICENSES *Commentarii in Libro Aristotelis*, Venetiis, Iac. Vincentium et Ricciardum Amadisum 1602.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

CYPRIANUS S. * episc. S. Caecilii Cypriani Episcopi Carthaginensis et Martyris Opera, Venetiis, ad Signum Spei 1547.

DE LA HAYE IOANNES *Biblia Maxima Versionum*, Lutetiae Parisiorum 1660.

DENZINGER-BANNWART *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

DIOGENES LAERTIUS * *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, Christophorus Plantini 1566.

DION NICAEUS *Rerum Romanarum Epitome* a Pompeio Magno ad Alexandrum Mamaeae filium, Lugduni, apud Guillelmum Rovilium 1559.

DIONYSIUS CARTUSIANUS *Sermones de Tempore et de Sanctis*, Tornaci, typis Cartusiae, S. Mariae de Pratis 1906.

DIONYSIUS CATO *Distica de Moribus*, Mediolani, Petr. Mart. De Mantegatiis 1506.

DIOSCORIDES * Pedacii Dioscoridis Anazarbaei Opera, Andr. Wecheli, Viennae 1598.

EUSEBIUS EMYSSENUS * episc. Opera, Parisiis, apud Her. De Marnef, sub Pellicano 1575.

FORCELLINI - DE VIT *Lexicon Totius Latinitatis*, typis Aldinianis, Prati 1858-1875.

FLAVIUS IOSEPHUS * Opera Omnia, graece et latine, cum notis et nova versione Io. Hudsonii, Amstelodami, R. et G. Wetstenius 1726.

Galenus Opera Omnia quae extant, studio Io. Bapt. Rosarii emandata, Venetiis, Vinc. Valgrisius 1562.

GELLIUS AULUS *Noctes Atticae*, opera Io. Soteris, Coloniae 1533.

GHERARDINI G. Vocabolario della Lingua Italiana, Milano, M. Guigoni 1878.

HERGENRÖTHER Card. GIUS. *Storia della Chiesa Universale*, Firenze, Libr. Editrice Fiorentina 1905.

HERVIEUX LEOPOLD *Les Fabulistes Latins*, depuis le siecle d'Auguste, Paris, Libraire De Firmin - Didot 1894.

HORATIUS FL. * *Carmina*, Bassani, typis Remondini 1844.

HYGINUS C. IUL. *Fabularum Liber*, Basileae, per Io. Hervagium 1549.

IUVENALIS * *Satyrae*, Patavii, typis Seminarii 1705.

LABANCA BALDASSARE *Marsilio da Padova*, Padova, Fratelli Salmin 1882.

LAURENTIUS S. a Brundusio Opera Omnia, ex officina typographica Seminarii 1928-1944.

LIVIUS T. * *Storie*, Carlo Signorelli, Milano 1934.

LOHNER TOB. *Bibliotheca Manualis Concionatoria*, Venetiis, Mich. Hertz 1708.

LUCANUS M. N. * *Pharsalia* sive *De Bello Civili*, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1658.

MACROBIUS *Somnium Scipionis; Saturnalia*, Patavii, Io. Cominus 1736.

MAIMONIDES, vide *Moyses*.

MANNUCCIUS PAULUS *Adagia*, Venetiis 1591.

MARSILIUS FICINUS, vide *Plotinus*.

MAXIMUS TYRIUS * *Sermones seu Disputationes XLI*, ex Cosimi Pacii Archiep. Florentini interpretatione, ex off. Henrici Sthephani, Parisii 1557.

MELCHIOR CANUS *Locorum Theologicorum Libri Duodecim*, Venetiis, apud Bart. Rubinum 1567.

Mercurius Hermes Trismegistus * *Pimander; Asclepius*, Basileae 1532.

Moyses Maimonides Rab. * מורה הנבוכים seu *Doctor Perplexorum*, latine versus a Io. Buxtorfio filio, Basileae, Lud. König 1629.

Nanus Dom. Mirabellus *Polyanthea*, Venetiis, apud Io. Bapt. Ciottum 1592.

Natalis Comes *Mythologiae*, Gabriel Cartesius, sine loco, 1596.

Nizzolius M. *De Veris Principiis et vera ratione philosophandi*, Parmae, apud Seb. Viottum 1553.

Ovidius N. * Opera Omnia, Lipsiae, C. Tauchnitii 1828.

Pagnini Sanctes *Thesaurum Linguae Sanctae* sive *Lexicon Hebraicum*, Lugduni, apud Ant. Gryphium 1577.

Pastor Lud. *Storia dei Papi*, vol. I, Tipografia Editrice Artigianelli, Trento 1890.

Perin Ios. *Onomasticon*, Patavii, typis Seminarii 1913-1920.

Philo Iudaeus * *Commentaria*, per Sigismundum Gelenium versa, Basileae, apud Nic. Episcopum 1554.

Picus Mirandulanus *Apologia Quaestionum*, Venetiis, G. De Fontaneto de Monteserra 1519.

Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, Basileae, per Thomam Guarinum 1567.

Plato * Opera Omnia, translat. Marsilii Ficini, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.

Plinius C. Secundus * *Historia Mundi*, apud Basileam, 1535.

Plotinus *Enneades*, Marsilio Ficino interprete, Basileae, ad Perneam Lecytum 1590.

Plutarchus Chaeron. * Ethica Opera, interprete Hermanno Cruserio, Basileae, apud Thomam Guarinum 1572.

Pomponatius P. *De Immortalitate Animae*, Bononiae 1516.

Reiffenstuel An. *Ius Canonicum Universum*, Venetiis, apud Ant. Bortoli 1730.

Sabellicus Coccius M. Ant. *Rapsodiae, Historiae Enneadum*, Basileae, officina Hervagiana 1538.

Seneca L. A. * Scripta, Parisiis, apud Nic. Buon 1602.

Suetonius Tranquillus * *Historiae Augustae Scriptores Latini*, Francofurti, apud And. Wecheli 1588.

Targum Ierosolymitanum vel Secunda Paraphrasis Chaldaica, apud *De La Haye*.

Terentius * *Comoediae*, Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.

Thomas Aquinas S. * Opera Omnia, Ios. Bettinelli, Venetiis 1745-1767.

Ulloa Alfonso *Vita di Carlo V*, in Venetia, Vincenzo Valgrisi 1573.

Valesius Franciscus *Sacra Philosophia*, Lugduni, in officina A. Porta 1592.

Virgilius Maro * Opera Omnia, 'Bassani, ex typografia Remondiniana 1804.

Zanolini A. *Lexicon Chaldaicum - Hebraicum - Rabbinicum*, Patavii, typis Seminarii 1732.




Photo A. Piovesan - Patavii

Ex originali magnitudine naturali

IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI

Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Et continuo, relictis retibus, etc. [1]

I. Agitur in hodierno Evangelio de vocatione Beatissimi Andreae Apostoli ad apostolatum. Sicut enim Abraham a Deo vocatus fuit de Ur Chaldaeorum, ut esset patriarcha electi populi, [2] ita vocatus est hodie Andreas, ut esset princeps et patriarcha Ecclesiae.

Agitur de vocatione Andreae ad apostolatum.

Venite post me. Vocantur de mari, quod mundum significat: *Ego vos elegi de mundo;* [3] quare in his verbis tria designata sunt: mundum esse mare, homines esse pisces, sicut in parabola sagenae Dominus docuit, [4] Apostolos autem piscatores, hominibus tanto superiores divinae gratiae munere, quanto piscibus piscatores, ovibus pastores.

II. De Apostolorum dignitate multa in Sacris Litteris reperiuntur. Hos enim Dominus sal terrae, lucem mundi, civitatem supra montem, lucernam supra candelabrum appellavit; [5] Paulus dixit Apostolos esse columnas Ecclesiae; [6] in *Apocalypsi* dicuntur fundamenta civitatis Ierusalem, omni lapide pretioso ornata. [7] Designantur per coronam duodecim stellarum in capite caelestis mulieris, [8] praefigurati sunt in duodecim Patriarchis atque principibus populi Dei, [9] in duodecim gemmis *Rationalis* summi pontificis, [10] in duodecim fontibus Elim, [11] in duodecim bobus aeneis, qui sustentabant mare

Aptissime Apostoli piscatorum imagine designantur,

1) Pericope huius diei Mt 4, 18-22. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 12, 1-3. 3) Io 15, 19. 4) Cf. Mt 13, 47-48. 5) Cf. ibid. 5. 13-16. 6) Cf. Gal 2, 9. 7) Cf. 21, 14 sqq. 8) Cf. ibid. 12, 1. 9) Cf. Gn 49, 1 sqq. 10) Cf. Ex 28, 15-20. 11) Cf. Nm 33, 9.

magnum.[12] Sed eorum dignitas atque praestantia non potuit expressius significari hac piscatorum imagine: *Faciam vos fieri piscatores hominum,* sicut Moysen fecit ex pastore ovium pastorem hominum.[13]

Humilis et inepta videtur metaphora duplici ex capite: primo quidem, quoniam homo animal est disciplinae capax, sensu et intellectu maxime vigens, pisces autem sunt omnino indisciplinabiles et minimo sensu praediti. Piscatores autem sunt non pastores piscium, sed venatores, captores, perditores. Quomodo ergo Apostoli piscatores hominum? Est tamen aptissima metaphora. Aliquando enim in Sacris Litteris homines per animalia et aves [designantur], uti apud Danielem in arbore Nabuchodonosor[14] et in lege per animalia munda et immunda, mundas et immundas aves;[15] aliquando per pisces, sicut in Habacuc legimus: *Facies homines sicut pisces maris,*[16] hinc etiam in lege sunt pisces mundi et immundi.[17] Homines nanque mundi huius ad carnalia terrenaque bona sensatissimi sunt, ad honores mundi huius sublimes ut aves volant, sed ad divina sunt piscibus insensatiores ac stupidiores: *Animalis homo non percipit quae sunt spiritus Dei;*[18] videbantur ad fidem Christi caelestemque et divinam Evangelii disciplinam capiendam surdiores ac indisciplinabiliores multoque ineptiores piscibus. Quoniam igitur Christus de hominibus respectu divinorum loquebatur, propterea eos piscibus comparavit, Apostolos autem piscatoribus, quoniam sicut moriuntur pisces a piscatoribus capti et ab hominibus comesti in nobiliorem substantiam convertuntur, ita necesse est ut peccatores primitivae vitae moriantur. Hinc divinum oraculum ad Petrum, demisso caelitus linteo pleno immundis animalibus: *Surge, Petre, occide, et manduca,*[19] ad insinuandam Gentilium conversionem. Hinc etiam Christus ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* nullum fructum affert.[20] Sic legimus quod *Dominus mortificat et vivificat;*[21] nisi mortificetur caro, homo exterior, vetus homo, non vivificatur spiritus, homo interior, novus homo, *qui secundum Deum creatus est.*[22]

sicut homines per pisces.

12) Cf. 3 Rg 7, 25-44. 13) Cf. Ex 3, 1 sqq. 14) Cf. 4, 1 sqq. 15) Cf. Lv 11, 1-8. 13-23. 16) 1, 14. Vulg.: *Quasi pisces maris.* 17) Cf. Lv 11, 9-12. 18) 1 Cor 2, 14. 19) Act 10, 13. 20) Io 12, 24. 21) 1 Rg 2, 6. 22) Eph 4, 24.

Faciam vos fieri piscatores. Alludit ad piscationem Petri, cum in verbo Domini laxatis retibus, comprehendit piscium multitudinem copiosam, cui Dominus: *Ex hoc eris homines capiens.* [23] Sic ait: *Faciam vos piscatores,* si tamen rete verbi Dei in nomine meo laxabitis; eritis etiam rectores navis Sanctae Ecclesiae, quae ducit homines ad portum salutis aeternae.

Apostoli enim ducunt homines ad portum salutis.

III. *Faciam vos fieri.* Apostolatus et episcopatus non est tantum dignitas et honoris gradus, verum etiam ministerium et ars, imo « ars artium »: [24] *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat;* [25] hinc arti piscatoriae comparatur. Sicut enim piscatores ad capiendos pisces eosque in suos casses includendos multa opus habent industria, diligentia, vigilantia, multa etiam arte, hinc multa excogitarunt retium genera, multos piscandi modos pro varietate temporum atque locorum proque diversis piscium generibus, et nunc retibus, nunc hamis piscantur; ita animarum piscatoribus ad eas convertendas ex mundanae vitae pelago multa opus est industria, multo labore. Hinc Paulus *ad Timotheum; Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina... opus fac evangelistae. Ministerium tuum imple. Sobrius esto.* [26]

Apostolatus et episcopatus non tantum dignitas est, sed et ars divinissima.

IV. *Faciam vos fieri.* Non elegit Dominus Apostolos viros sapientia et omni virtutum genere excultos atque perfectos, sed ineruditos, ineptos ad tantum opus, omni ex parte inidoneos. Non tamen eos ita reliquit, sed, ut Apostolus ait: *Idoneos ministros nos fecit novi testamenti, non littera, sed spiritu.* [27] Ut autem apti fierent, duas actiones simul coniungit: *Faciam vos fieri,* quia ad hoc tum divina tum humana requiritur operatio, gladium Dei et Gedeonis, [28] ad dirigendam sagittam contra Syriam manus regis et manus Elisei. [29] Sicut in naturali hominis generatione nec solus mas nec sola femina hominem generat, nec solum caelum nec sola terra producit naturalia, ita hic salutem hominum nec solus Deus totam operatur nec

Ad praeparandos Apostolos requiritur divina et humana operatio.

23) Lc 5, 10. Vulg.: *Ex hoc iam homines eris capiens.* 24) S. Gregorius M. *Regulae Past.*, lib. 1, cp. 1, (P. L. 77, 14). 25) 1 Tim 3, 1. Vulg.: *Si quis* etc. 26) 2 Tim 4, 2-5. 27) 2 Cor 3, 6. Vulg.: *Idoneos nos fecit ministros,* etc. 28) Cf. Idc 7, 20. 29) Cf. 4 Rg 13, 16.

solus homo, nec partem Deus et partem homo, sed totam Deus et totam homo, sicut scripturam aut picturam totam manus et totam calamus, aut penicillus; ita Lex Vetus nunc lex Domini[30] nunc Moysi lex dicta est,[31] totam enim Deus dictavit et totam Moyses docuit atque scripsit. Ad convertendas animas opus est humana diligentia, doctrina, studio, eloquentia, ac si nullum expectandum esset a Deo auxilium; deinde implorandum est divinum auxilium, quasi nullum adesset humanum suffragium.

Apostoli designantur etiam per tubas, quia tuba hieroglyphicum est praedicationis.

Faciam vos fieri piscatores hominum, pastores et doctores, novae legis praedicatores, tubas Spiritus Sancti, nam tubarum sonitu corruere funditus muri Iericho.[32] Iussit Deus fieri tubas argenteas ad convocandum populum in ecclesiam, ad movenda per desertum castra, ad accendendos milites animandosque ad pugnam, ad celebranda cum exultatione convivia in diebus solemnibus.[33] Est autem tuba praedicationis hieroglyphicum: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*, etc.[34] Sunt autem quattuor vel maxime praedicanda: cultus religionis divinae, mysterium fidei et pietatis nostrae, quod Paulus magnum sacramentum pietatis dixit,[35] praedicandus profectus in terram promissionis per desertum mundi huius, praedicanda pugna contra inimicos spiritus Dei, et tandem praedicandum convivium regni caelestis.

Ex puro argento fuerunt fabrefactae tubae illae ad fucinam ignis; ita Dominus homines elegit vitae purae et immaculatae, homines simplices, candidos, innocentes. Sic homines hi Spiritus Sancti opera facti sunt tubae caelestes. Sine tibicine nullum sonitum edunt tubae; tibicines sacrarum illarum tubarum erant sacerdotes Domini. Ita plane Dei Spiritu opus est ad praedicationem Evangelii; hinc Apostoli, nonnisi accepto caelitus Spiritu Sancto, praedicarunt Evangelium et fidem Christi; tunc: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.*[36]

Christus etiam piscator et pastor est.

Faciam vos fieri piscatores, docebo vos artem piscandi. Ergo etiam Christus piscator, sicut et pastor animarum. Sed mirabilis tum pastor tum piscator, qui divina quadam arte novit ex ovibus

30) Cf. Ios 24, 26; 4 Rg 10, 31; 22, 11; 1 Par 16, 40; 2 Par 5, 10. 31) Cf. Dt 33, 4; Ios 8, 31-32; 23, 6; 4 Rg 14, 6. 32) Cf. Ios 6, 20. 33) Cf. Nm 10, 1-10. 34) Is 58, 1. 35) Cf. 1 Tim 3, 16. 36) Ps 18, 5.

pastores et ex piscibus piscatores efficere. Apostoli erant oves: *Ecce ego mitto vos sicut oves;* [36a] *Nolite timere, pusillus grex;* [37] *Oves meae vocem meam audiunt;* [38] *Ego sum pastor* ovium; [39] *Statuet oves a dextris.* [40] Fecit autem eos ex ovibus pastores; hinc Petro dixit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* [41] Ita hodie pisces capit et in piscatores convertit.

Homines significantur per pisces sicut Angeli per aves.

Faciam vos... piscatores hominum. Ex uno aquae elemento Dominus pisces et aves produxit dicens: *Producant aquae reptile animae viventis et volatile volans in firmamento caeli,* quibus benedixit dicens: *Crescite et multiplicamini et replete aquas maris avesque multiplicentur.* [42] Terrestria autem animalia non benedixit, sed quod piscibus et avibus dixerat, hominibus postea dixit: *Crescite,* etc. [43] Hoc autem non vacat mysterio. Duas enim tantum naturas produxit Deus benedictionis, idest gratiae et gloriae suae capaces: humanam et angelicam, quas ad imaginem et similitudinem suam creavit ex uno elemento intellectualis naturae. Sed Angeli per aves designati sunt, hinc alatos legimus Angelos apud Isaiam, [44] alatos etiam cherubim, alata animalia apud Ezechielem; [45] homines autem per pisces significati sunt, nam sicut minori sensu praediti sunt pisces quam aves, ita homines intellectum habent mentemque Angelis inferiorem. Aves etiam, quia piscibus [46] puriori fruuntur elemento, acutioris sunt visus, nobilioris naturae, pulcrioris formae, agilioris motus.

Divina plane fuit potestas a Christo Apostolis tradita.

V. *Faciam vos fieri piscatores.* Primum quod Adamo datum a Deo fuit, referente Scriptura, fuit plane dominium in pisces: *Faciamus hominem ad imaginem... nostram et dominetur piscibus maris;* [47] *Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli,* [48] quamvis Regius Vates ultimo loco ponat dominium hominis in pisces: *Omnia subiecisti sub pedibus eius... pecora campi, volucres caeli et pisces maris.* [49] Sed Regius Vates per gradus ostendit divinum hominis in omnes animantes imperium, ita ut etiam in pisces dominetur. Cum enim Deus fecisset hominem sibi similem digni-

36a) Mt 10, 16. 37) Lc 12, 32. 38) Io 10, 27. 39) Ibid. vrr. 11, 14. 40) Mt 25, 33. 41) Io 21, 15-17. Affert ordine inverso. 42) Gn 1, 20-22. Ex hebraico. 43) Ibid. vr. 28. 44) Cf. 6, 2. 45) Cf. 1, 8. 23; 10, 8 sqq. 46) Ms.: *Pisces.* 47) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit.* 48) Ibid. vr. 28. 49) Ps 8, 8-9.

tate naturae, similem etiam dominandi auctoritate et imperio esse voluit. Nam dignitas auctoritatis praesidio destituta inermis et infirma est. Divina autem haec auctoritas homini collata in piscibus maxime elucebat, quoniam hi omnium animantium ad humanas voces capiendas surdissimi sunt, hi omnium maxime indociles, disciplinae et imperii minime capaces, solius Dei imperium sentiunt; nam praecepit Deus pisci, qui Ionam devoraverat, ut illum redderet.[50] Quare hic Dominus Apostolis dat tum dignitatem tum etiam auctoritatem plane divinam in res maxime difficiles, ut quod pisces humanas voces capiant humanaeque consuetudinis et disciplinae participes fiant; nil minus difficile erat ut homines Christi fidem caperent.

quia difficillimum est homines fidem docere.

Divinae auctoritatis homini in pisces collatae indicia quaedam remansere in delphinis, qui hominis consuetudine delectari videntur ac gestire ut ei quoquo modo deserviant et obsequantur.[51] Plinius libro 8, capite 25 de Tentyritis, insulam quandam Nili incolentibus, refert quod crocodilis dominantur, voce territant, inaequitant et veluti frenis regunt.[52]

Venite post me. De mari Galilaeae vocavit eos. Lacus est dulcium aquarum, sed ibi saepe periclitatos legimus Apostolos.[53] Mundus hic res utique dulcis videtur et multae plena voluptatis, sed tamen mare est semper inquietum, instabile, mille periculis plenum, imo mare magnum. Hic mundus est, cuius aquae ad potum sitimque levandam ineptae sunt sitimque augent; ita bona mundi huius mare insatiabile, in quod cum omnia flumina ingrediantur, nunquam crescit, nunquam expletur. Imo diluvium noeticum mundus hic est, in quo omnia animalia perierunt, paucis illis exceptis quae in arca servata fuere.[54] Sed cum mare sit, non reiicit ad litus immunditias putridaque cadavera, imo vitiis maxime delectatur: *Mundus totus in maligno positus est;*[55] *Omne quod est in mundo,* etc.[56] In mari reperiuntur multi portus locique a tempestatibus et fortunis securi, in

Mundus per mare figuratur.

50) Cf. Ion 2, 1 sqq. 51) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 9, cp. 8, pag. 153-154. 52) Cf. pag. 137; cf. etiam lib. 28, cp. 3, pag. 500. 53) Cf. Mt 8, 23-27; 14, 24; Mc 4, 37 sqq.; 6, 48; Lc 8, 22-25; Io 6, 17-18. 54) Cf. Gn 7, 11 sqq. 55) 1 Io 5, 19. 56) Ibid. 2, 16.

mundo nullus locus securus est; in mari ex decem navibus vix perit una, in mundo vix ex decem hominibus salvatur unus; in mari aliquando tranquillitas cernitur, in mundo nulla quies, nulla felicitas,

quia in eo nulla quies et multa pericula inveniuntur.

« Quisque suos patimur manes »,[57]

nemo sua sorte contentus. Et tamen mundus hic adeo nobis placet, paradisus deliciarum videtur, hinc vocantis Christi vocem contemnimus.

VI. *Venite post me*, etc. In hodierno Evangelio salutis humanae mysterium suis partibus absolutum continetur. Habet mysterium salutis nostrae, iustitiam, media et finem, sicut Paulus *ad Romanos* ait: *Nam* Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui... quos autem praedestinavit, hos et vocavit*, etc.[58] In quattuor capita redigit Paulus quaecumque spectant ad salutem nostram. Sunt autem praedestinatio, vocatio, iustificatio et glorificatio: praedestinatio in Deo, vocatio in mundo, iustificatio in Ecclesia, glorificatio in paradiso. De Christo quattuor praecipue dicuntur in hodierno Evangelio: quod vidit, quod vocavit, quod iussit: *Venite post me*, tandem quod promisit: *Faciam vos... piscatores hominum.*

In odierno Evangelio continetur mysterium humanae salutis,

Oculus symbolum est animi, hinc dicimus respicere aliquem bono vel malo oculo, idest bene vel male velle alicui. In divino hoc aspectu continetur praedestinationis et electionis mysterium. Nec tantum vidit, verum etiam vocavit, iussit etiam ipsum sequi: *Venite post me*, me ducem, pastorem, magistrum, patrem sequamini: *Ipse dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt.*[59] *Statim*, continuo *relictis* omnibus, *secuti sunt eum;*[60] hoc est iustificationis sacramentum. Tandem promittitur glorificatio: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Sic agitur hodie de electione, vocatione, sanctificatione Apostolorum deque promissa glorificatione, quam hodie celebramus.

idest praedestinationis, electionis et glorificationis.

Relictis retibus, secuti sunt eum. Petrus ait: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.*[61] Hic autem tria reliquisse dicuntur:

57) Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 743. Ms.: *Patitur manes.* 58) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis.* 59) Ps 32, 9. 60) Mt 4, 22; Lc 5, 11. 61) Mt 19, 27.

Terreni affectus impedimento sunt saluti.

retia, navim et parentes. Haec enim illis magno fuissent impedimento, sicut talares tunicae iter agentibus, imo sicut gravia onera; sunt autem terreni carnalesque affectus temporalium rerum. Praecipuo autem impedimento sunt saepe parentes, qui nos maxime videntur diligere, navis possessionum et bonorum temporalium ac tandem retia exercitiorum, quibus assuefacti sumus quibusque delectamur.

Relictis retibus. Mirabile dictu! Vocantur ad piscandum et relinquunt retia. Sicut Gedeon pugnaturus contra Madianitas dimittit exercitum,[62] David certaturus cum Golia deponit arma,[63] Elias accensurus ignem ligna aquis perfundit.[64] Sed profecto talia semper fuere Dei opera, nam Christus luto caecum illuminavit.[65]

ALIA HOMILIA

Ambulans Iesus secus mare Galilaeae, etc. [1]

Indicantur hodie initia Ecclesiae christianae;

I. Habemus in hodierno Evangelio initia christianae Ecclesiae, primos lapides iactos in fundamentis huius aedificii, vocationem primorum christianorum, discipulorum, sequacium, imitatorum, primorum Apostolorum Christi. Et forte mare hoc Galilaeae symbolum quoddam est sacrosancti Baptismi, nam lacus hic fit a Iordane flumine, ut Iosephus[2] et Plinius[3] testantur. In Iordane autem Dominus Baptismi sacramentum instituit. Sicut autem Paulus ait quod Hebraei in mari rubro baptizati fuerunt: *Omnes,* inquit, *sub Moyse baptizati sunt in nube et in mari,*[4] quia utique mare illud, in quo salvati fuere Hebraei periere autem Aegyptii,[4a] typus quidam et figura fuit divini huius Sacramenti, ita plane de mari Galilaeae dici convenienter potest. Nam ad vivum hic exprimitur materia et forma huius Sacramenti, aqua et verbum Christi; baptista Christus, nam *hic est qui baptizat in Spiritu Sancto;*[5] ipsi etiam

62) Cf. Idc 7, 1-7. 63) Cf. 1 Rg 17, 38-39. 64) Cf. 3 Rg 18, 34. 65) Cf. Io 9, 6-7. Reliqua pars paginae alba relinquitur.

1) Mt 4, 18. 2) Cf. *De Bello Iudaico,* lib. 3, cp. 10, pag. 257-258. 3) Cf. *Hist. Nat.,* lib. 5, cp. 15, pag. 72. 4) 1 Cor 10, 2. Vulg.: *In Moyse.* 4a) Cf. Ex 14, 17 sqq. 5) Io 1, 33.

baptizati, quia hodie christiani facti sunt Apostoli; tandem etiam effectus Baptismi et quod requiritur post Baptismum, vita, inquam, sancta et christiano homine digna, nam *statim... secuti sunt eum.*[6] Hic videre illud est quod Paulus *ad Titum* ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, humanitas,* graece *philantropia, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[7] Ubi Apostolus alludere videtur ad illa quae in Christi baptismo acciderunt; nam descendit Spiritus Sanctus, aperti sunt caeli, ubi salus et vita aeterna asservatur, et vox Patris audita fuit: *Hic est Filius meus dilectus.*[8] Ita hic in Paulo habemus Spiritum Sanctum, vitam aeternam et regenerationem: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri;*[9] *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei,* etc.; *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus; scimus autem quoniam,* etc.[10]

exprimitur etiam materia, forma et effectus Baptismi,

qui vere confert Spiritum Sanctum.

Magnus revera hodiernus baptismus a baptizante, qui Christus est, summus sacerdos et pontifex; a baptizatis, qui Apostoli sunt, summi principes Ecclesiae; ab effectu baptismi; hodierni autem baptismi effectus sunt fides in Christum, spes promissionis: *Faciam vos fieri;* caritas in Christum, nam reliquere omnia; mutatio vitae in melius: *Secuti sunt eum,* ita ut a latere Christi nunquam discesserint. Ita mirabiles sunt effectus Baptismi per operationem Spiritus Sancti, qui in Baptismo infunditur una cum divina caritate, nam: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui,* etc.[11]

II. Primum quod Paulus docet est, quod non ex meritis bonorum operum nostrorum, sed ex mera bonitate Dei vocati sumus ad gratiam Baptismi: *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam.* Sic vocati sunt hodie Petrus et Andreas, non quidem ex templo, ubi orarent aut sacrificarent aut

Vocatio ad gratiam Baptismi est ex sola bonitate Dei.

6) Mt 4, 22. 7) 3, 4-7. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit.* 8) Mt 3, 17.
9) Io 1, 12. 10) 1 Io 3, 1-2. 11) Rom 5, 5.

pietatis sive misericordiae et caritatis operibus incumberent, sed ex mari, ubi capiendis piscibus diligentem operam navabant. Piscari autem non est alicuius sanctitatis aut virtutis opus.

Baptismus reddit christianum similem Christo.

Deinde docet nos in Baptismo regenerari et renovari *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* quo efficimur vita, moribus, operibus Christo quam similes, cum ad hoc praedestinati simus. Hoc est quod *ad Galatas* ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* [12] Christum autem induere est Christum vita et moribus referre et praesentare. Hinc *ad Romanos* ait: *Abiiciamus... opera tenebrarum et induamur arma lucis;* tunc subiungit: *Induimini Dominum Iesum Christum;* [13] et *ad Ephesios*: Deponentes *secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur* de die in diem *in desideria erroris, renovamini... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [14]

Audias, haeretice, qui iustitiam imputationem excogitasti, finxisti, somniasti, P a u l u m asserere veram in nobis iustitiam et sanctitatem, nam *Dei perfecta sunt opera,* [15] non ficta ad speciem, non inania et fallacia.

Confutatur error Lutheri et Calvini de iustitia imputativa.

III. Docent Lutherani et Calvinistae in Baptismo non tolli, sed remitti peccata, idest non imputari quatenus non puniuntur a Deo ac si non essent. Animam item non vere iustificari et sanctificari nisi per imputationem iustitiae Christi, ita ut, licet multis vitiis laboret, tamen per Christi merita esse apud Deum tamquam iustam et sanctam, modo credat in Christum. [16] Subtiles revera et acuti homines, sed ad fingenda mendacia, ad componendos cum patre eorum satana errores perniciosissimos. Nam si ficta fuit virtus, iustitia, sanctitas Apostolorum Sanctorumque omnium, quid dicendum, nisi quod Christus fictus fuit Redemptor et Salvator? Quod multo potentior fuit Adam et satanas ad perdendum, quam Christus Deusque ad salvan-

12) 3, 27. 13) 13, 12-14. 14) 4, 24. Vulg.: *Secundum desideria.* 15) Dt 32, 4. 16) Cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Baptismo,* lib. 1, cp. 13, col. 260-261; S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* vol. 2, part. 2, pag. 94. 382. 387; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symb.*, n. 792. 821.

dum? Sed si ficta fuit virtus Spiritus Sancti in Apostolis, quomodo fecit vera virtutis opera? Ficta atque depicta arbor potest facere veros fructus? Paulus *ad Galatas* assignat fructus cum carnis, *quae sunt fornicatio*, invidia, *impudicitia, luxuria*, etc., tum etiam Spiritus, quae sunt *caritas, gaudium, pax, patientia*, etc. [17] Hi autem fructus vere reperti sunt in Apostolis. Christus ait: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis*, etc. [18] Apostoli autem et innumeri Martyres iam animam suam posuerunt pro Christo et propter iustitiam multa passi sunt, nedum magna cum patientia magnaque cum animi virtute et constantia, verum etiam magna cum caritate et hilaritate: *Ibant* enim Apostoli *gaudentes*, etc., [19] magno cum desiderio multo plura patiendi, ut patet in Andrea hodie quantoque mortem cupiebat.

Profecto si a fructibus arbor cognoscitur, optimi fructus nonnisi ab optima arbore, fides, spes, caritas Apostolorum hodie, cum veros fructus fecerit, quomodo ficta fuit? Nam, audita Christi voce: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, statim credentes et sperantes promissa, propter Christum omnia reliquerunt et *secuti sunt eum*. Unde postea aiunt: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te;* [20] ita ut tandem etiam ipsam vitam reliquerint.

Baptismus vere hominem iustificat.

IV. Operatur aqua Baptismi in rite suscipientibus quod aqua maris Rubri Hebraeis demergens Pharaonem, [21] quod aqua Iordanis Naaman syro mundans eum a lepra, [22] quod aqua piscinae infirmo, qui primus descendisset in eam post motionem ab Angelo, [23] quod aqua Siloe caeco nato. [24] Hae nanque veluti imagines erant divini huius Sacramenti. Eorum autem effectus veri fuere, non ficti; sic veros operatur effectus in nobis Baptismus.

Ideo maximum beneficium est.

Magnum beneficium collatum fuit hodie hisce Apostolis in hac aqua maris Galilaeae; magnum beneficium confertur nobis in aqua Baptismi. Nam revera Baptismus inter maxima beneficia debet computari. Beneficium medium est, iustificatio inter creationem et glo-

17) 5, 19-22. 18) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*. etc. 19) Act 5, 41.
20) Mt 19, 27. 21) Cf. Ex 14, 22 sqq. 22) Cf. 4 Rg 5, 14. 23) Cf. Io 5, 4.
24) Cf. ibid. 9, 7.

rificationem, sed maius utroque, nam, ut Paulus *ad Romanos* docet, maius donum Dei est homini ipsum iustificare et per gratiam in filium adoptare, quam ipsum aeterna salute donare. In hac enim iustificatione datur adoptio, datur Spiritus Sanctus,[25] et quidem abunde, ut ait Apostolus, datur ius hereditatis aeternae.[26]

25) Cf. 5, 1 sqq. 26) Cf. Tit 3, 5-7. Sequenti folio albo relicto, transit ad festum sequentem Conceptionis B. Mariae Virginis.

CONCEPTIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

I. *Novum creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum,* ait Ieremias.[1] Vere nova et mirabilis mulier fuit Beatissima Virgo Maria, nam: *Signum magnum apparuit in caelo,* magnum miraculum; *mulier amicta sole.*[2] Novus [homo] dictus est Christus: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est,*[3] quoniam homo fuit totus caelestis: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis;*[4] ita Virgo Maria nova mulier, quia tota caelestis, nam: *Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole.* Nihil habuit de veteri Adam Christus, propterea novus homo dicitur; propterea igitur Maria nova mulier dicitur, quia ipsa quoque nihil de veteri Adam habuit, ut esset omnino similis Christo, sicut Eva Adamo, soli luna plena. **B. Virgo mulier vere mirabilis fuit.**

Novum dicitur in Divinis Litteris quod insolitum est, alias nunquam visum; ita Moyses *in Numeris* dixit de morte Core, Dathan et Abiron: *Si fecerit Dominus novum... scietis,*[5] ubi hebraice: *si creaverit Dominus creaturam;* nam tunc dicitur Deus aliquid creare, cum novum aliquid producit, nunquam alias visum. Sic dicitur Christus novus homo creatus a Deo, quia nunquam alias visus est homo Deus. Sic Maria nova mulier creata: *Novum creavit Dominus super terram,* videlicet mulierem, quae virum Christum circumdaret. Novitatem hanc ostendit Gabriel, cum eam salutavit dicens: **Ideo dicitur nova mulier.**

1) 31, 22. Vulg.: *Creavit Dominus novum,* etc. 2) Apc 12, 1. 3) Eph 4, 24. 4) 1 Cor 15, 47. 5) 16, 30. Vulg.: *Si... novam rem fecerit Dominus.*

Ave gratia plena;[6] Ave mulier tota sancta, nulla peccati macula inquinata: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[7] Cum iussit Dominus parari sibi sanctuarium, voluit ut totum esset novum, similiter et templum totum fuit novum.[7a]

In Scripturis B. Virgo saepe Christo iuncta reperitur,

II. Propter hanc singularem novitatem, qua singulariter Christo similis est, sicut Adamo Eva, saepe simul iuncti reperiuntur in Divinis Litteris Christus et Maria, sicut Adam et Eva in paradiso: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius;*[8] semen mulieris filius Mariae, qui caput antiqui serpentis contrivit; *Ecce virgo concipiet et pariet filium;*[9] *Invenerunt puerum cum Maria matre eius;*[10] *Accipe puerum et matrem eius;*[11] *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui,*[12] sicut benedictus fructus ventris tui absque ulla maledictione peccati, ita tu quoque benedicta. Hoc est quod in *Canticis* legimus: *Veni de Libano, sponsa, veni de Libano,* hebraice: *mecum de Libano, sponsa, mecum de Libano.*[13] Quidnam haec replicata coniunctio? Libanus c a n d i d a t i o interpretatur propter niveum candorem. Duplex fuit in Christo candor: a peccato actuali et originali; sic ait: *Veni de Libano, veni de Libano,* quae duplici mecum candore praedita es.

quia simillima ei fuit in sanctitate.

Hoc item quod ibidem legimus: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*[14] Quid ista replicatio? Duplici via satanas in hominem ingreditur: per [peccatum] originale et per actuale. Virgo Maria ab utroque immunis, hortus bis clausus dicitur. Designat etiam clausura haec virginitatem, sed duplicem virginitatem: corporis et spiritus. Virginitas corporis in ea imago fuit virginitatis spiritus, quae multo potior est; cum Deus spiritus sit, multo magis delectatur spirituali quam corporali virginitate, sine qua mulier potest esse sancta, Deo grata, Spiritu Sancto plena. Sicut corporalis virginitas in Maria fuit omnino intacta et illibata,

Immunis fuit ab omni peccato, illibata mente et corpore.

6) Lc 1, 28. 7) Ct 4, 7. 7a) Cf. Ex 25, 1 sqq.; 2 Rg 7, 1-13; 1 Par 17, 1-12.
8) Gn 3, 15. 9) Is 7, 14. 10) Mt 2, 11. 11) Ibid. vr. 13.
12) Lc 1, 28. 42. 13) 4. 8. 14) Ibid. vr. 12.

Dei utique operatione, ita et spiritualis in anima; hinc paradisum eam appellat: *Emissiones tuae paradisus,* [15] alludens ad illud *Genesis*: *Plantavit autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio;* [16] plantavit autem Deus paradisum illum prius quam terra maledictioni subiecta esset.

Vere opus Dei singularissimum

Ait autem quod Dominus Deus, *Iehovah Elohim,* idest Deus omnipotens, plantavit paradisum illum, quia singulare opus Dei fuit, in quo mirum in modum Dei omnipotentia splendebat, maxime in ligno vitae; ita Maria singulare ac supernaturale opus Dei est. Sicut etiam legimus: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem,* [17] utique ut firmiter fundata esset; sic etiam legimus quod *ferculum fecit sibi rex Salomon,* [18] idest regium lectum, de quo paulo ante dixerat: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.* [18a] Declarat autem ex qua materia factus sit, ut esset regia maiestate dignus: *De lignis,* inquit, *Libani,* idest ex lignis optimis, imputribilibus; *columnas* lectum sustentantes *fecit argenteas, reclinatorium,* fulcrum ipsum, *aureum, ascensum,* superiorem partem, *aureum,* operimentum *purpureum; media,* idest interiora lecti huius, *caritate constravit propter filias Ierusalem,* [19] idest pulcherrimis ornamentis obtexit ad pelliciendas filias Ierusalem, adolescentulas, quae pulcris ornamentis maxime delectantur. Ex hisce rebus factum fuit divinum tabernaculum, quod viri huius tabernaculi typus fuit: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* [20]

et omnibus gratiis ornatissimum.

Vocatur soror et sponsa.

III. Sed quid est quod, mater cum sit, soror et sponsa appellatur? *Hortus conclusus soror mea sponsa.* In hoc *Canticorum* libro Maria Virgo bis appellata est mater: Venite *et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater;* [21] *Sub arbore malo excitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua,* [22] hebraice *parturivit,* enixa est, quia sub cruce sensit partus dolores, et quia dupliciter mater fuit, corpore et spiritu, sicut: *Quicumque*

15) Ibid. vr. 13. 16) 2, 8. Vulg.: *Plantaverat.* 17) Prv 9, 1. 18) Ct 3, 9. 18a) Ibid. vr. 7. 19) Ibid. vrr. 9-10. 20) Ps 45, 5. 21) 3, 11. 22) Ibid. 8, 5.

fecerit voluntantem Patris mei... ipse meus frater et soror et mater est. [23] At vero soror quater appellatur, [24] sponsa vero decies, [25] pluries item amica [26] et dilecta, [27] idest sponsa dilectissima, carissima, amabilissima, numeris omnibus absoluta.

ad ostendendam ipsius quamdam aequalitatem cum Christo;

Soror et sponsa sunt nomina cuiusdam paritatis ac veluti aequalitatis: soror propter consortium eiusdem generis et sanguinis, sponsa propter consortium societatis, fortunae et sortis. Non facimus Mariam Christo aequalem; sed sicut omnes sancti electi dicuntur fratres Christi propter consortium naturae humanae et perpetuae hereditatis in caelo per gratiam, et ita dicuntur fratres, ut in his duobus aequales sint Christo, in nobilitate, inquam, humanae naturae, quae ab omnibus hominibus aequaliter participatur, et in perpetuitate gloriae, non enim diutius fruetur gloria nec longiori aeternitate donabitur Christi humanitas quam omnes alii electi; ita Beata Virgo in his quoque est Christo aequalis; nam ad imaginem Dei facta fuit mulier sicut et vir, donata rationali anima immortali, capaci gratiae et gloriae aeternitate. Insuper autem in nobilitate generis et sanguinis, quoniam ex familia Davidis et Abrahami; adhuc autem in innocentia et immaculata puritate ab omni labe peccati; licet multo copiosior ac infinitis prope partibus maior fuerit plenitudo gratiae in Christo, quoad innocentiam tamen, aequales sunt, sicut Adam et Eva in paradiso; licet maior esset gratia in Adam quam in Eva, non tamen innocentia, quia uterque tunc erat absque ulla penitus macula peccati; ita hic, quamvis Christus innocens per naturam, Maria vero per gratiam. Sic in quattuor aequalis est Christo.

sed specialiter dicitur sponsa, quia Deo undequaque amabilissima

Sponsa tandem decies dicitur, et amica atque dilecta saepe saepius nominatur, quia forte decem sunt quae requiruntur ut viro suo sponsa sit undequaque amabilis et dilecta; nobilitas generis, divitiae et copia dotis, sanitas et integritas corporis, fecunditas ad procreandam prolem, forma et pulcritudo, gratia et iucunditas con-

23) Mt 12, 50. 24) Cf. Ct 4, 9-10. 12; 5, 1-2; 8, 8. 25) Cf. ibid. 4, 8-10. 12; 5, 1.
26) Cf. ibid. 1, 9-14; 2, 2. 10, 13; 4, 1. 7; 5. 2; 6, 3. 27) Cf. ibid. 2, 7; 3, 5; 8. 4.

ob suam immaculatam puritatem.

versationis ex morum elegantia, ingenium et prudentia, industria curaque diligens rei familiaris, sincera et ardens erga virum caritas, sed super omnia honoris integritas, bonum nomen et fama virtutis, ne qua unquam violatae pudicitiae fama laboraverit suspectaeque fidei fuerit. Nam puellam iniuria aut vitio violatam ac defloratam vir honestus et prudens vix poterit adamare, tantum abest ut ipse violari permittat; in honesto nanque homine ardentissimus est zelus honoris. Sed et Deus in Divinis Litteris zelotes appellatur aitque: *Honorem meum alteri non dabo.* [28] Hoc igitur in sua sponsa vel maxime requiritur, ut esset omnino et corpore et spiritu intacta.

Divinum hoc beneficium ipsa Beata Virgo in suo cantico celebravit.

IV. Divinum hoc beneficium ipsa etiam Virgo agnovit et in suo *Cantico* confessa fuit dicens: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo;* [29] Deum nanque suum particularem ac singularem benefactorem agnoscit, quoniam beneficium hoc sibi tantum divinitus collatum fuit. Hinc etiam postea dicit: *Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius,* [30] graece est *megalia,* quo verbo in Divinis Litteris solent miracula appellari, hebraice *ghedoloth,* [31] quae noster Interpres *magnalia* reddere solet: fecit mihi mirabilia, operatus est in me miracula magna secundum suam potentiam, pro viribus, pro sua virili, quantum potuit, sicut David, ut dignum Deo habitaculum aedificaretur, pro sua virili quaecumque potuit praeparavit; aurum, argentum, aes, ligna, lapides pretiosos. [32]

Fragmentum

V. Sanctissimam [33] Virginem saepe laudatam legimus in Scripturis Sanctis, sed praecipue per Angelum: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*

28) Is 42, 8; 48, 11. Vulg.: *Gloriam meam alteri non dabo.* 29) Lc 1, 47. 30) Ibid. vr. 49. 31) Cf. 4 Rg 8, 4; Ps 130 (hebr. 131), 1. S. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub voce: גָּדַל, col. 367. 32) Cf. 1 Par 29, 1-5. Novem paginis albis relictis, transit ad festum sequentem S. Thomae Apostoli. 33) Hoc fragmentum inscriptionem exhibet: « Conceptio B. Mariae Virginis ».

Spiritus Sanctus per os Angeli Gabrielis depingit nobis veluti naturalem imaginem Virginis Beatissimae, talem utique qualem ille ait: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Hic nulla fit penitus mentio de peccato, sed tantum de gratia, de benedictione; nulla de satana, sed tantum de Deo. Nulla, inquam, fit hic mentio de peccato, sed de gratia: *Invenisti enim gratiam apud Deum.* Sed qualem gratiam? Altissimam super omnem creaturam: *Ecce concipies in utero et paries Filium; Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Invenisti gratiam singularem.

Gratia plena singulari. Gratia autem similitudo Dei est. *Deus* autem *lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.* Deus perfectus et *absque ulla iniquitate;* sic et Maria *gratia plena,* perfecta Dei similitudine insignita. *Dominus tecum* singulariter, semper tecum; nunquam ergo satanas. Ubi semper lux, imo fons lucis et *Sol iustitiae,* ibi tenebrae nullae. *Dominus tecum* unitus est; et tu ergo cum Deo coniuncta.

Deus suapte natura summa perfectio est, summa et infinita lux perfectae bonitatis, metrum et mensura perfectionis. Creatura quae Deo vicinior et propinquior est, multo copiosius perfectionem Dei communicat, sicut stella soli vicinior. Nulla autem pura creatura vicinior Deo. *Dominus tecum,* nulla ergo remotior a peccato, nulla magis pura a tenebris peccati, quam ea quae coniuncta est una cum Sole iustitiae. *Dominus tecum* per praesentiam, potentiam et essentiam, cum in Deo sit substantia, virtus et operatio. *Dominus tecum* per naturam et per gratiam singularem, singulares in te operatur effectus: *Fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius; et misericordia eius* perpetua; *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Benedicta tu, etc. Quomodo ergo eam dicemus maledictam a Deo? filiam irae? inimicam Dei? filiam diaboli, imo servam ac vile mancipium satanae? *Benedicta tu* singulariter super omnes mulieres, ergo super Evam sine peccato formatam. *Benedicta tu et benedictus fructus ventris tui:* sicut benedictus fructus ventris tui, sic tu benedicta, Filio tuo omnino similis, sicut Eva Adamo in paradiso,

ut sicut filius tuus exemplar est omnium virorum, absque ulla nota imperfectionis, sic tu mulierum perfectum exemplar, speculum absque ulla macula.

Aliud fragmentum

VI. Cum rex aut summus imperator, a suis diu desideratus, vult seipsum maiestatemque suam eis manifestare seipsumque populo spectandum praebere, thronum parat ornatissimum, sed thronum gratiarum. Hanc ob causam Salomon mirabilem thronum sibi fecit. Deus visus fuit Isaiae *super solium excelsum et elevatum*. Maria thronus est Salomonis, ad quem per sex gradus ascendebatur, quoniam Maria constituta est supra Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores omnesque Virgines, imo super omnes Angelos: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium et exaltabitur super omnes colles*. Mons domus Domini Maria.

Si *omnes in Adam peccaverunt*, privati iustitia originali, cum debito habendi eam, et Maria est filia Adami, nec habuit iustitiam originalem; quomodo non contraxit peccatum? Quia habuit aequivalens, imo donum excellentius. Si rex statuit in nuptiis neminem ingredi absque veste serica, non prohibebitur ingredi homo in veste argentea vel aurea gemmis ornata: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem*, etc.; *formosa tanquam Ierusalem*. Quid movet nos ut teneamus Virginem sine peccato? Quia liberi sumus. Id etiam quod movet Concilium Basiliense; doctrina etiam Divi Thomae, qua ait quod Deus tria non potuit facere excellentiora: gloriam paradisi, humanitatem Christi et Beatam Virginem.

Quis fructus sequitur? Gloria Deo, gloria Christo, gloria Mariae, gloria Ecclesiae, gloria Sanctis omnibus, etiam Angelis, quoniam Regina est omnium.

Deus est instar architecti sapientissimi, qui magnam molem aedificii constructurus, quanto excelsius futurum est aedificium tanto altius fodit fundamentum: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini*. Salomon sub mari aeneo posuit pro basi duo-

decim boves aeneos: magnum vas, magna basis. Conceptio basis et fundamentum est.

Quia creavit lunam ad noctem illuminandam, magnum lumen dedit ei, sed multo maius soli, quia ad maius opus. Sic, etc. [34]

34) Utrumque fragmentum servatur a R.mo DD. Aloysio Serini, Canonico Ecclesiae Cathedralis Brixiensis, Brixiae, Via Martinengo da Barco, 6.

S. THOMAE APOSTOLI

Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt. [1]

Agitur de conversione D. Thomae ad fidem,

I. Habemus in hodierno Evangelio conversionem Thomae ab incredulitate ad fidem, quae quidem illustris est conversio, sicut ab initio tenebrarum in lucem, [2] et cum Deus *convertit petram in stagna aquarum;* [3] nam revera lapideum erat cor Thomae.

Est autem illustris conversio ab auctore, a subiecto, ab opposito et a termino. Auctor Christus ipse, subiectum Thomas, terminus magna fides, oppositum magna incredulitas. Conversus est Thomas, factus est ex Saulo Paulus, nam sicut perversio [4] optimi pessima, ita plerumque conversio pessimi optima. [5]

agitur etiam de natura fidei christianae.

Agitur autem in hodierno Evangelio de natura fidei christianae, quae primo quidem ab opposito cognoscitur: *Noli esse incredulus, sed fidelis;* [6] nam, ut Habacuc 2 legimus: *Qui incredulus est, non erit recta anima eius in eo; iustus autem ex fide vivit.* [7] Fidei autem ostenditur non tantum subiectum, quod est homo, obiectum, quod est Christus, oppositum, quod est incredulitas atque perfidia, finis, quod est beatitudo: *Beati qui non viderunt et crediderunt,* actus, quod est credere et confiteri: *Dominus meus et Deus meus!* [8] verum etiam modus: *Beati qui non viderunt,* idest qui, non videntes, *crediderunt;* nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* [9] Multo, inquit, beatior fuisses, si dicentibus credidisses, priusquam me vidisses. Quod autem hic dicitur: *Beati qui non viderunt et crediderunt,* idem est cum illo Petri: *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum* [10] vestrarum.

1) Pericope huius festi Io 20, 24-29. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 1, 2-3. 3) Ps 113, 8. 4) Ms.: *Conversio* loco: *Perversio.* 5) Aphorismus medicus, de quo cf. Tob Lohner *Bibliotheca Concionatoria,* tit. 40, pag. 375. 6) Io 20, 27. 7) Vr. 4. Vulg.: *Anima eius in semetipso... vivet.* 8) Io 20, 28. 9) Rom 10, 17. 10) 1 Petr 1, 9.

Vere praeclara fuit confessio Thomae de Christi divinitate.

II. Conversus est Thomas a magna incredulitate ad magnam fidem, nam ipse primus est qui palam confessus est Christi divinitatem. Illustris fuit confessio Nathanaelis: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel;* [11] illustris confessio Ioannis Baptistae: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* [12] illustris confessio Petri: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* [13] illustris confessio Marthae: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;* [14] sed nemo tamen Christi divinitatem confessus est sicut Thomas dicens: *Dominus meus et Deus meus!* Ita *ubi abundavit delictum, superabundavit* et *gratia.* [15] Ita cum Thomas Didymus, idest geminus aut gemellus dicatur, videmus hodie solem Christum in Gemini, altissima, inquam, parte caeli, cum dies clarissimi et longissimi sunt maximeque calidi. Haec enim altissima omnium confessio de Christo est: *Dominus meus et Deus meus!*

Fides Thomae magna ostenditur ab auctore, Deo,

Fides haec Thomae magna est ab auctore, quoniam fides donum Dei est. Christus in cor ipsius fidem infudit dicens: *Noli esse incredulus, sed fidelis,* sicut lux Dei opus est. Magna a subiecto: solius Thomae inter omnes Apostolos nomen interpretatum legimus: *Thomas, qui dicitur Didymus,* [16] geminus. Lateat necesse est mysterium aliquod. Visa est mihi anima Thomae instar Rebeccae, cum geminos haberet in utero, Iacob et Esau, [17] contendentes in corde Thomae. Contendebat sensus humanae prudentiae et rationis contra spiritum fidei, sicut Paulus ait, quod *caro concupiscit adversus spiritum.* [18]

sed praecipue a subiecto, ipso Thoma.

Praevaluit tunc Esau in Iacob, hinc tanquam victor egressus est prior factusque est primogenitus; sed postea divino nutu Iacob illi praelatus fuit. [19] Sensus humanae prudentiae et rationis donum Dei est, sed multo minus quam spiritus fidei; illud autem mundus multo pluris facit. In corde Thomae praevaluit sensus humanae prudentiae contra fidei spiritum: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum.* [20] Pugnabat humana prudentia pro incredulitate; sic enim prudens nimis videri vult incredulitas.

Et haeretici vel maxime incredulitate omnia metiuntur, quaecumque difficilia creditu videntur, statim negant, uti in hodierno Evangelio Calvinistae negant Christum clausis ianuis ad Apostolos

11) Io 1, 49. 12) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 13) Mt 16, 16. 14) Io 11, 27. 15) Rom 5, 20. 16) Io 20, 24. 17) Cf. Gn 25, 22-25. 18) Gal 5, 17. 19) Cf. Gn. 27, 1-40. 20) Io 20, 25.

ingressum, quoniam humana ratione assequi non possunt, quomodo Christi corpus clausis ianuis penetrarit ac sese instar aerei corporis Apostolorum conspectibus praesentarit, cum tamen manifeste dicat Ioannes Christum *ianuis clausis* ingressum ad eos.[21] Ita Thomas mysterium resurrectionis Christi incredulitate metiebatur et quod naturae impossibile videbatur, credere nolebat, nisi sensuum experientia convictus atque coactus. Non negabat apparuisse illis Dominum, sed apparuisse in proprio ac naturali corpore resuscitato, nam potuisset apparere in corpore aereo, sicut apparent Angeli; ideo ait quod prius diligenter experiri vellet, an verum esset corpus, quam credere suscitatum. Sed sicut divino nutu Iacob factus fuit ipso Esau longe superior, ita nunc accidit in Thoma, roborato Christi spiritu in eo per divinam hanc apparitionem, qua devicta penitus incredulitate, spiritus Christi palmam victoriae reportavit, illuminata fide et confessione: *Dominus meus et Deus meus!*

qui nonnisi sensibus credere volebat.

III. Laudat Dominus in hodierno Evangelio fidem, sicut laudavit olim lucem:[22] *Beati qui non viderunt et crediderunt,* ostenditque fidem viam esse salutis et, e contrario, incredulitatem perditionis. Nec tantum solam fidem dicit Dominus, ut nugantur haeretici,[23] sed ostendit fidem adeo ad salutem necessariam esse, ut non possit homo absque fide salvari, nam basis et fundamentum est totius spiritualis aedificii, sicut Salomon *Proverbis* 4 ait: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.*[24] Nec tamen intelligendum est a solo corde, ita ut excludatur anima, excludatur spiritus, excludantur cetera membra ad vitam necessaria: caput, intestina et quaecumque extrinsecus necessaria sunt ad vitam consequendam.

Fides maxime necessaria est ad salutem,

Paulus alibi docet quod Deus *operatur omnia in omnibus,*[25] nec tamen excludit operationes secundarum causarum. David ait quod Deus *dat escam omni carni,*[26] idest providet omnia necessaria ad victum, non tamen excludit humanam providentiam, laborem et exercitia agriculturae et ceterarum artium. Dominus ita hic lo-

non tamen sola, sed caritati coniuncta.

21) Ibid. vr. 26. Cf. Corn. A Lapide *Comment. in Io.*, cp. 20, vr. 19. 22) Cf. Gn 1, 4. 23) Sic Lutherani. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 382. 387; part. 3. pag. 238; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 819-820. 822. 24) Vr. 23. Vulg.: *Quia ab ipso*, etc. 25) 1 Cor 12, 6. 26) Ps 135, 25.

quitur dicens: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, sicut ait Divina Scriptura: *Beati immaculati in via*,[27] *Beati omnes qui timent Dominum*;[28] sicut ipsemet: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent*, etc.;[29] eos beatificat Dominus qui crediderunt, sicut credidit Thomas dicens: *Dominus meus et Deus meus!* Nam magno cum affectu caritatis loquitur, sicut Regius Vates dicens: *Rex meus et Deus meus.*[30] Sic loquitur de fide, *quae per caritatem operatur*,[31] sicut etiam Habacuc propheta dicens quod *iustus ex fide vivet;* coniunxit fidem et iustitiam ad vitam consequendam. Imo Thomas hodie non tantum credidit, verum etiam adoravit Christum dicens: *Dominus meus et Deus meus!* sicut caecus illuminatus credens in Christum adoravit eum: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.*[32] Sicut autem Deus veros quaerit adoratores, *qui adorent eum in spiritu et veritate*,[33] ita Thomas Christum hodie adorat dicens: *Dominus meus et Deus meus!*

Mirabilis fuit hodierna Christi apparitio, quoad historiam,

IV. Habemus in hodierno Evangelio mirabilem Christi apparitionem factam collegio Apostolorum; mirabilem autem dico tum quoad historiam, tum etiam quoad mysterium. Quoad historiam mirabilis fuit a substantia, a modo, ab effectu. A substantia, quia apparuit Christus, Deus et homo: *Dominus meus et Deus meus!* a mortuis divinitus suscitatus; a modo, quia venit ianuis clausis eas penetrans nihilque laedens, transiens instar solaris radii per purum crystallum, ac si non verum, sed aereum corpus habuisset, quale ab Angelis assumi solet cum apparent hominibus, unde Apostoli, cum eis primo ita Christus apparuit seseque de repente praesentavit eorum conspectibus, *existimabant se spiritum videre;* unde Dominus: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*[34] Hinc Marcionitae haeretici somniarunt Christum non assumpsisse verum corpus humanum, sed spirituale ac propterea facile potuisse ianuis clausis ingredi ad Apostolos.[35] Calvinistae, cum verum etiam materiale corpus in Christo fateantur, negant ianuis clausis ingressum, ne cogantur fateri posse Chri-

27) Ps 118, 1. 28) Ps 127, 1. 29) Mt 5, 3-5. 30) Ps 5, 3; 43, 5; 83, 4. 31) Gal 5, 6. 32) Io 9, 38. 33) Ibid. 4, 23. 34) Lc 24, 37-38. 35) C. Tertullianus *De Carne Christi*, cp. 1, (P. L. 2, 754); *Adversus Marcionem*, lib. 4, cp. 42-43, ibid. col. 465-467; Philastrius *De Haeresibus*, haeres. 45, ibid. 12, 1161; S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 42, (P. G. 42, 770-774).

stum in Eucharistia reperiri posseque corpora, cum minime pervia, penetrare.[36] Sic semper Christus inter duos latrones reperitur.

Mirabilis etiam effectu mirabilis conversionis Thomae ab incredulitate ad fidem. Non enim frustra apparuit hodie Dominus Apostolis, sed ad fundandam et confirmandam fidem et veritatem resurrectionis suae; haec enim basis et fundamentum est totius spiritualis aedificii radixque salutis nostrae. Nam *si Christus non resurrexit,* etc.[37] quoad effectum

Quoad mysterium mirabilis est hodierna apparitio, docet enim Christum fidelibus suis, qui mundo fores sensuum clausere, etiam inopinatum advenire eosque consolari, nam et apparuit et stetit in medio eorum et pacifice eos salutavit dicens: *Pax vobis;*[38] purgavit eos, illuminavit, consolatus fuit: *Pax vobis.* Siquidem: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum;*[39] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[40] Christus enim ingens infinitusque thesaurus est omnium desiderabilium bonorum, *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*[41] et quoad mysterium

V. *Quia*[42] *vidisti, credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt.* Fragmentum

Quidnam est credere? Actus utique fidei; sed proprie assensus est intellectus ex imperio voluntatis et affectu mentis. Nam intellectus nostri duplex est actus: simplicium apprehensio et compositio, vel divisio. In primo actu est intellectus indifferens, sicut pagina alba, tabula rasa, sicut prima materia, quae ad formas nonnisi ab extrinseco agente determinatur. Intellectus autem noster determinatur ab obiecto, vel a voluntate; ab obiecto, si evidens est, dicitur intellectus sive intelligentia, uti est primorum principiorum et axiomatum; omne totum est maius sua parte, veluti si ignis vi-

36) Cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Sacramento Eucharistiae,* lib. 3, cp. 1, col. 503. 37) 1 Cor 15, 14. 38) Io 20, 19. 21. 26. 39) Ps 118, 165. 40) Ps 30, 20. 41) 2 Cor 1, 3. Folio albo relicto, transit ad Dominicam Primam Adventus.
42) Hoc fragmentum inscriptionem exhibet: « In die S. Thomae » Huius autographum servatur in Sacristia Ecclesiae S. Mariae Magdalenae Carceris Poenalis pro mulieribus, in Insula « Giudecca », folio albo involutum, cera signatoria sigillato. In exteriori autem parte eiusdem folii haec nota invenitur: « Scriptum autografum B. Laurentii a Brundusio, Ord. Min. S. Francisci Cappuccinorum Provinciae Venetiarum ».

deatur, aut sol. Aliquando obiectum movet per discursum et ratiocinationem, ut, si fumum video, dico adesse ignem, si radium in nube, dico adesse solem: horum est scientia. Aliquando res non cognoscitur per evidentiam neque per discursum necessarium, sed probabilem, per quasdam verisimilitudines, quae non causant certam scientiam; hae relinquunt aliquem scrupulum, aliquam suspicionem aut formidinem erroris vel falsitatis: haec est opinio. Aliquando obiectum est ignotum, ad neutram partem movet, sed fluctuat intellectus sicut navis in mari ab undis et ventis contrariis agitata, ita ut neuter ventorum potentior sit: hoc est dubium, cum animus non magis ad affirmandum inclinat quam ad negandum, ut: an numerus astrorum sit par vel impar. Sed tandem aliquando non determinatur intellectus ab evidentia obiecti vel rationum cogentium, sicut cum navis secundo vento navigat vel remis, mari tranquillo; sed tantum auctoritate voluntatis, veluti si navis trahatur, sicut navigatur in fluminibus contra impetum fluminis. Sic Paulus ait: *Captivantes intellectum in obsequium Christi.* Ea igitur quae credimus, non sunt per se nota, sicut diffinitiones, postulata et axiomata, sive communes animi conceptus apud geometras; neque sunt demonstrata, sicut problemata, propositiones; sed fides ab animo pendet et ab auctoritate dicentis vel docentis... [43]

43) Sequitur deinde testificatio authentiae:

« Ego infrascriptus fidem facio hoc scriptum esse authographum Beati Laurentii a Brundusio, Ordinis Nostri Cappuccinorum, olim Ministri Generalis, excerptum ex voluminibus ab ipso exaratis, quae in hoc Archivio Provinciali huius Conventus Venetiarum servantur.

Die 25 Decembris an. 1853.

(Sigillum Provinciae)

Fr. Andreas M. a Venetiis
Provlis Cappuccinus

DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Erunt signa in sole et luna et stellis, etc. [1]

I. Agitur in hodierno Evangelio de terribilibus signis, quae mundi interitum et adventum Christi ad iudicium praecessura sunt. Praedicitur adventus Domini terribilis multoque terribilior eo quando venit ad dandam legem supra montem Sinai, quo supra quam dici potest exterrefacti fuerunt Hebraei. [2] Hic autem dicitur: *Arescentibus prae timore.* [3] Quando venit arca Dei in castra, maximo timore percussi fuere Philisthaei, non sic autem Hebraei, nam hi sciebant quod pro ipsis, illi autem quod contra ipsos; [4] ita fidelibus hodie dicitur: *His fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* [5] Iacob audiens quod Esau armatus contra se veniret, timuit vehementer et muneribus illum placare studuit. [6] Cum Dominus in regia maiestate sedit in medio Seraphim, templum Domini fumo plenum totum contremuit et commotum fuit. [7]

Agitur hodie de signis praecurrentibus mundi finem,

Hodiernum Evangelium duo requirit a nobis: timorem et spem ex consideratione divinae tum severitatis tum bonitatis; his enim veluti columnis nititur religionis et virtutis cultus. Hinc tabernaculum Domini fabrefactum fuit a Beseleel de tribu Iuda et ab Ooliab de tribu Dan. [8] Iudas autem l a u s interpretatur, quae bonitati de-

ad excitandum timorem et spem.

1) Pericope huius diei Lc 21, 25-33. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 19, 16-20. 3) Lc 21, 26. 4) Cf. 1 Rg 4, 7-8. 5) Lc 21, 28. 6) Cf. Gn 32, 13-21. 7) Cf. Is 6, 1-4. 8) Cf. Ex 36, 1 sqq.

betur, Dan vero iudicium; timore nanque divinae iustitiae et spe divinae bonitatis et misericordiae habitaculum Dei in cordibus nostris aedificatur. Hinc in hodierno Evangelio signa habemus iustitiae: *Erunt signa in sole;* signum etiam misericordiae: *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo,*[9] idest signum Sanctae Crucis, quae arcus caelestis est.

Erunt signa maxime terribilia irae Dei,

II. *Erunt signa in sole;* signa irae Dei, signa maxime terribilia maximumque timorem incutientia: *Arescentibus hominibus prae timore,* sicut Nabal Carmelus audiens iram Davidis contra se, timore extinctus fuit;[10] quid faciet tunc ira Dei?

Sed dignum inquisitione est: quid opus erit tam terribilibus signis ad exterrefaciendum hominem, cum suapte natura valde timidus sit et meticulosus? Sensit Adam advenientem Deum absque signis irae et furoris, et tamen timuit vehementer.[11] Sed fient haec ad declarandam advenientis iudicis divinam maiestatem atque potentiam: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate;*[12] et ad praenuncianda et designanda reprobis mala futura, hinc ait: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione,* etc.

qui mundum ad nihilum rediget,

Ostenditur in hodierno Evangelio finis regni mundi et initium regni Dei; nam statua regni mundi a Christo lapide conteretur et ad nihilum redigetur, Dei autem regnum omnia occupabit:[12a] *Appropinquat redemptio vestra; Scitote quoniam prope est regnum Dei.*[13]

Erunt signa. Magna cum asseveratione loquitur hodie Christus mundique finem et universale iudicium vaticinando praenunciat: *Amen dico vobis... caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt,*[14] idest potius caelum et terra quam verba mea deficient.

et significabunt advenientis iudicis potentiam et vindictam.

Erunt signa, idest magna in caelo miracula, non enim naturaliter fient, sed Dei omnipotentis potestate. Sic Dei opera. virtutes, idest exercitus caelorum, astra omnia commovebuntur et ipsi etiam Angeli.[15] Significabunt autem signa haec advenientis iudicis tum

9) Mt 24, 30. 10) Cf. 1 Rg 25, 37-38 11) Cf. Gn 3, 10. 12) Lc 21, 27. 12a) Cf. Dn 2, 31-45. 13) Lc 21, 31. 14) Ibid. vrr. 32-33. 15) Cf. ibid. vr. 26.

divinam potentiam, quia veniet *cum potestate magna et maiestate,* tum iram ad vindictam malefactorum.

III. In hodierno Evangelio confirmatur fides universalis iudicii: *Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec,* etc.[16] Ipsius autem iudicii tria proponuntur: primo quidem praevius apparatus: *Erunt signa,* etc.; secundo vero adventus iudicis: *Tunc videbunt Filium hominis venientem;* tertio tandem effectus ipsius iudicii: *Appropinquat redemptio vestra,* idest, ut Paulus ait, *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis;*[17] item etiam: *Prope est regnum Dei;* tunc Christus destruet omne regnum satanae, peccati et mortis; solus Deus regnabit.

Tria consideranda sunt circa universale iudicium:

Quoad primum ait: *Erunt signa,* non misericordiae, sicut arcus foederis in caelo,[18] sed signa irae et vindictae. Magna signa, quia in caelo, in terra et in mari; magna ab effectu: *Arescentibus hominibus prae timore;* magna a significatione futurorum malorum: *Et expectatione quae supervenient universo orbi,* indicabunt enim Dei omnipotentis iram et indignationem in peccatores. Signa erunt mortis et interitus mundi, qui veluti magnus est homo, sicut homo parvus mundus.

primo, praevius apparatus,

Erunt signa in sole, nam sol obscurabitur et quiescet a motu. Signum irae Dei contra Aegyptum fuit, cum sol lucis suae radios ab eis retraxit;[19] signum irae contra Chananaeos, cum a motu quievit et per integrum diem, pugnante Iosue contra Chananaeos, immotus stetit;[20] signum autem misericordiae in sole fuit, cum per decem lineas retrocessit pro salute Ezechiae.[21]

idest signa in caelo;

Erunt signa in sole: signa haec erunt veluti scriptura illa manu conscripta in pariete contra Balthassar regem Chaldaeorum: *Mane, Tecel, Phares,* in qua comminatus fuit ei Deus totius regni sui ruinam et interitum, sicut ei accidit: *Numeravit Deus regnum tuum,* etc.[22] Ita plane mundo huic accidet.

Tunc videbunt Filium hominis, etc. In Divinis Litteris adventus Filii Dei ad iudicium variis modis describitur, semper autem in

16) Ibid. vr. 32. 17) Rom 8, 21. 18) Cf. Gn 9, 13. 19) Cf. Ex 10, 21-23. 20) Cf. Ios 10, 12-14. 21) Cf. 4 Rg 20, 8-11. Is 38, 8. 22) Dn 5, 25.

secundo, iudex qui veniet maxima cum maiestate et potestate;

maiestate, ut Christi divinitas, quam impii videre non potuerunt in maiestate illa et potestate, sit omnibus generatim singulisque hominibus manifesta. Tunc enim universo mundo veluti dicet Deus quod in transfiguratione tribus Apostolis dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* [23] propterea veniet *cum potestate magna et maiestate*, ut luce clarius verus naturalisque Dei Filius agnoscatur.

tertio, effectus iudicii, idest glorificatio electorum et damnatio reproborum.

Effectus autem universalis iudicii singulariter ponitur redemptio fidelium: *Appropinquat redemptio vestra; Prope est regnum Dei,* [24] quod petimus quotidie dicentes: *Adveniat regnum tuum,* [25] nam, ut Paulus ait, *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* [26] Nam principalius veniet Christus in salutem et gloriam electorum, quam ad damnationem et poenam reproborum. Hinc prius *dicet iis qui a dextris erunt*: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* deinde *iis qui a sinistris erunt*: *Ite, maledicti,* etc. [27]

Non loquitur Christus metaphorice,

IV. *Erunt signa in sole,* etc. Habemus signa praecedentia adventum Christi ad iudicandum et effectus quos signa huiuscemodi in hominibus operabuntur. Quare duo haec consideranda sunt: quaenam futura sint haec signa et quosnam effectus operabuntur. Signa a Matthaeo exprimuntur: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo et virtutes caelorum commovebuntur.* [28] Non loquitur hic Dominus metaphorice, ut per solem Christus intelligatur, per lunam Ecclesia, per stellas fideles: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli;* [29] loquitur proprie de vero sole, de vera luna, de veris stellis in caelo. Erunt visibilia et horribilia portenta in caelo.

sed proprie, de vero sole, de vera luna et stellis,

Non loquitur hic Dominus, sicut apud Ieremiam capite 10: *A signis caeli nolite metuere quae gentes timent, nam leges populorum vanae sunt,* [30] ibi enim idololatriae superstitionem prohibet.

23) Mt 17, 5. 24) Lc 21, 31. 25) Mt 6, 9; Lc 11, 2. 26) Phil 3, 20-21. 27) Mt 25, 34. 41. Vulg.: *Discedite a me maledicti.* 28) 24, 29. 29) Gn 22, 17. 30) Vrr. 2-3.

Gentes enim astra caeli tanquam divina numina deosque colebant; hinc *Deuteronomii* 4 admonentur Hebraei ne astra colant neve arbores;[31] capite 17 dicitur de astrorum cultu;[32] et *4 Regum* 16[33] et 21,[34] nec non 2 *Paralipomenon* 31 legimus Iudaeos more gentium astra coluisse;[35] luna autem, quae stellis omnibus praeesse videtur, tanquam regina caeli colebatur, sicut legimus Ieremiae 8[36] et 44.[37] Nec loquitur de signis, sicut *Genesis* 1: *Fiant luminaria in firmamento caeli... et sint in signa,*[38] nam ibi agitur de signis temporum vel de signis portendentibus varietates et mutationes temporum.

et haec dicit signa terrifica et horrenda.

Signa ergo hic dicit terrifica monstra, prodigia terribilia, horrenda portenta. Nam saepe in Divinis Litteris signa dicuntur miracula: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa;*[39] *Pete tibi signum a Domino Deo tuo;*[40] *Volumus a te signum videre;*[41] *Faciebat prodigia et signa magna in populo;*[42] ita appellantur miracula facta a Moyse in Aegypto supra omnem vim et potestatem naturae; ita opera Christi mirabilia. Quoniam vero mutationes hae in caelo, ut sol obscuretur, luna non det lumen suum, stellae cadant de caelo, divina erunt opera supra naturae creatae vires, hinc dicuntur signa. Non enim natura obscurabitur sol aut[43] natura deliquium patientur luna et stellae, sed divina operatione.

quia divinitus facta.

Exponitur quaenam sit natura horum signorum.

Sol obscurabitur; patietur deliquium luminis revera, non tantum secundum apparentiam, ex divina operatione, sicut in morte Christi revera divinitus obscuratus fuit.[44] Sic legimus Isaiae 13: *Obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo;*[45] sic Ioelis 2: *Sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum,*[46] et eodem capite: *Dabo prodigia in caelo... sol convertetur in tenebras;*[47] sic Ezechielis 32: *Operiam.... caelos et nigrescere faciam stellas eius. Solem nube tegam,*[48] idest obscura caligine; nam vox *hanan* hebraice obscuram etiam caliginem significat. Sic *Apocalypsis* 6: *Sol factus est niger sicut saccus cilicinus,*[49] idest ex nigris setis contextus. Similiter intelligendum cum de luna ait: *Luna non dabit lumen suum,* idest ipsa quoque di-

31) Cf. vrr. 15-19. 32) Cf. vr. 3. 33) Cf. vrr. 3-4. 34) Cf. vrr. 2-3. 35) Cf. vr. 1. 36) Cf. vr. 2. 37) Cf. vrr. 16-19. 38) Vr. 14. 39) Ex 4, 17. 40) Is 7, 11. 41) Mt 12, 38. 42) Act 6, 8. 43) Ms.: *An*, loco: *Aut*. 44) Cf. Lc 23, 45. 45) Vr. 10. 46) Vr. 10. 47) Ibid. vrr. 30-31. Ms.: *Et capite* 3. 48) Vr. 7. 48a) Cf. S. Pagnini *Thesaurus Linguae sanctae*, sub voce: עָנָן, col. 2019.

vinitus obtenebrabitur. Quod autem ait stellas casuras, idest de locis suis deorsum versus ruituras magna facta commotione, siquidem ait quod *virtutes*, idest exercitus *caelorum commovebuntur*, non loquitur de Angelis, qui saepe in Divinis Litteris exercitus caeli dicuntur,[50] sed de stellis, quae similiter caelorum exercitus appellantur;[51] nam loquitur de visibili commotione valde terrifica: *Arescentibus hominibus prae timore, nam virtutes caelorum commovebuntur.* Alludit autem hic Dominus ad vaticinium Isaiae 34: *Tabescet omnis militia caeli... et omnis militia eius defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu;*[52] sicut etiam *Apocalypsis* 6: *Stellae de caelo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur.*[53] Sicut autem divina virtute et operatione hominum causa positae fuerunt in caelo stellae in mundi creatione et elegantissimo ordine dispositae, ita in novissimo die divinitus de locis suis deturbabuntur et deorsum deiicientur ad exterrefaciendos homines, ita ut arescant homines prae timore.

Nec vero in caelo tantum conspicientur terrifica signa irae et indignationis Dei, quin etiam in terra, nam: *Dabo prodigia in caelo sursum et signa in terra deorsum,* ait per Ioelem.[54] Hinc subiungit: *Prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore.*[55]

Sed maxime terrifica erit apparitio crucis.

V. Sed super omnia terrificum erit signum Filii hominis, idest vexillum insigne aut etiam trophaeum, sicut *Psalmo 73* legimus: *Posuerunt signa sua, signa,*[56] idest gentilitia insignia atque stemmata, tanquam trophaea et monimenta perpetua magnificentiae et gloriae in locis editis, in prospectu, in compitis. Ita apparebit tunc signum Christi, crux Christi, quae nunc instrumentum erit iustitiae, sicut prius fuit instrumentum misericordiae, sicut ipsa etiam Christi humanitas.

Quod autem ipsa crux in caelo visa magnum incussura sit timorem atque horrorem, declarat dicens: *Tunc plangent omnes tribus terrae,*[57] utique prae animi angustia et nimio terrore. Sicut Phi-

50) Cf. Dt 17, 3; 4 Rg 17, 16; Is 34, 4; Ier 8, 2; 19, 3. 51) Cf. Is 24, 21. 52) Vr. 4. 53) Vr. 13. 54) 2, 30. Affert ex Act 2, 19. 55) Lc 21, 25-26. Affert ordine inverso. 56) Vr. 4. 57) Mt 24, 30.

listhaei, cognito quod venisset arca Dei in castra, ingemuerunt, qua tamen visa, Hebraei, in quorum favorem venerat, mirum in modum gavisi fuerunt,[57a] ita crux Christi in caelis impiis causa erit magni timoris et doloris, piis vero causa magnae consolationis et gaudii: *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra... quia prope est regnum Dei.* Non formidant iusti iudicium Dei, imo expectant cupiuntque. Hinc Paulus: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.*[58]

utique reprobis, sed iustis, laetissima.

Effectus horum signorum erit in his quidem nimius timor terrorque, fletus et planctus: *Arescentibus hominibus prae timore; Plangent omnes tribus terrae;* illis autem respiratio et consolatio: *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra; Prope est regnum Dei:* hoc ad discipulos tantum dictum est; de illis dicit: *Arescentibus hominibus; Plangent omnes tribus terrae.*

Illi enim plangent, iusti autem consolabuntur.

Unus et idem Christi adventus his quidem erit causa laetitiae et salutis, illis autem timoris, terroris, perditionis, sicut idem radius solis nivem et glaciem solvit, lutum vero indurat, eadem lux gratissima est et iucundissima sanis oculis, sed valde iniucunda infirmis. Bona vel mala conscientia tunc in causa erit vel angustiae et timoris, vel spei et consolationis. Immittitur lapis in fontem clarum et purum, non turbatur aqua; immittitur in lutulentum, statim turbatur, sed nonnisi lutum turbationis in causa est. O quanti valebit tunc fides cum bona conscientia! Nam perversa conscientia infernus sibi ipsi est. Conscii tunc homines suorum criminum atque facinorum, supra quam dici possit sibi timebunt.

Ita adventus Christi aliis erit causa gaudii, aliis vero desperationis.

In malis timor et angustia orietur ex cognitione tum propriae nequitiae tum etiam ex cognitione divinae iustitiae, nam: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens; in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*[59] Sed praecipue ex mala conscientia, sicut mulier adultera non potest non sibi timere videns virum iratum.

Mysterium divini iudicii tria specialiter continet: divinam providentiam, qua Deus cuncta hominum novit, nedum facta et dicta,

57a) Cf. 1 Rg 4, 5-8. 58) 2 Tim 4, 8. 59) Ps 9, 17.

Tria specialiter continet mysterium divini iudicii.

verum etiam cogitata; immortalitatem animarum vitamque nunquam interituram in altero saeculo, ac tandem aeterna bonorum praemia et perpetua malorum supplicia. Ex cognitione horum trium orietur in malis magnus timor et in bonis magna fiducia et consolatio. [60]

60) Reliqua parte paginae et sequenti albis relictis, transit ad Dominicam Secundam Adventus.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi, etc. [1]

Ioannes mittit discipulos suos ad Christum ut certo eum agnoscerent.

I. Sicut Eliseus plenus Eliae spiritu, licet certissime sciret Eliam divinitus raptum in caelum, misit tamen filios prophetarum ad perquirendum eum, ut illi certi fierent et vere cognoscerent Eliam raptum fuisse in caelum, cum non reperiretur in terra,[2] ita hodie Ioannes, cum Christum certissime cognosceret, induens tamen discipulorum personam, dubitare videtur, an Christus esset verus Messias in lege et Prophetis divinitus promissus: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*[3] Magnum plane quaesitum, an ipse esset Deus humanatus, unigenitus Filius Dei, mundi conditor, naturae moderator, humani generis Salvator et reparator.

ipse enim eum optime noverat.

Non dubitavit Ioannes de Christo, alioquin non fuisset aptus testis; non enim potest quis testificari veritatem quam certo minime novit, *hic* autem *venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine;*[4] hinc ut Ioannes certo certius Christum cognosceret, in baptismo aperti sunt supra Christum caeli et vox Patris intonuit Spiritusque Sanctus supra Christum descendit;[5] quare asseveranter postea Ioannes Christum indicans aiebat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;*[6] et si Ioannes de Christo hodie dubitasset; ipse Christus non eum tantopere commendasset, quod esset plusquam propheta, quod Angelus Domini, etc;[7] sed quoniam multi existima-

1) Pericope huius diei Mt 11, 2-10. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 4 Rg 2, 15-18. 3) Mt 11, 3. 4) Io 1, 7. 5) Cf. ibid. vrr. 30-34. 6) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Peccatum.* 7) Cf. Mt 11, 9-10.

bant Ioannem ipsum esse Messiam,[8] hodie Ioannes mirabili artificio [utitur], ut a se hanc populi opinionem repelleret et in Christum transferret, dum docet standum esse dicto ipsius Christi, an ipse esset verus Messias.

Christus ex factis ostendit quis ipsemet esset,

Ite, renunciate Ioanni, etc.[9] Respondet Christus, at non manifeste, sicut samaritanae[10] et caeco illuminato,[10a] sed ab effectibus se Messiam ostendit: *Caeci vident,* etc.[11] In eo autem quod dicit: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me,*[12] ex professo respondet ipsum esse in quem credendum est. Nam Petrus ait Christum incredulis esse petram scandali;[13] quare scandalizari in Christo est in ipsum non credere. Hinc legimus quod *scandalizabantur in eo,*[14] idest non credebant in eum, perfidi erant et increduli.

et hac sua responsione declarat Messiae officia.

Hac autem responsione sua Dominus declarat Messiae officia. Venturus enim erat ad salvandum humanum genus ab omnibus malis, ad vitam et felicitatem conferendam. Hinc concludit: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus,* idest beatus qui crediderit *in me.*

Tu es qui venturus es? Iam, inquit, tempus adventus Messiae in lege et Prophetis praescriptum advenit et opera, quae de te audio, ostendunt te missum esse a Deo; nam, ut Nicodemus ait:[15] *Scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest* [*haec*] *signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*[16] Sed, inquit, ego dictis tuis potius quam operibus credendum censeo. Sic Ioannes Christo divinam tribuit auctoritatem.

alludens ad oracula Prophetarum.

Tu es ille venturus? Alludit Ioannes ad Divinarum Scripturarum oracula, quibus Messias promissus est in lege et Prophetis, et Dominus etiam ad oracula Prophetarum alludens, respondit: *Renunciate Ioanni quae audistis et vidistis*: *caeci vident,* etc.[17] Alludit ad tria vaticinia Isaiae, qui maxime omnium de Christo multa praenunciavit. *Caeci vident*: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum;*[18] *Pauperes evangelizantur*: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos;*[19] *Beatus qui non fuerit scandalizatus*: *Domi-*

8) Cf. Lc 3, 15. 9) Mt 11, 4. Vulg.: *Euntes renunciate,* etc. 10) Cf. Io 4, 26. 10a) Cf. Ibid. 9, 37. 11) Mt 11, 5. 12) Ibid. vr. 6. 13) Cf. 1 Petr 2, 8. 14) Mt 13, 57; Mc 6, 3. 15) Ms.: *Ait* bis ponitur. 16) Io 3, 2. 17) Mt 11, 4-5; Lc 7, 22. 18) 35, 4-5. 19) 61, 1. Affert ex Lc 4, 18.

num exercituum ipsum sanctificate. Et erit... in lapidem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel. [20]

Ioannes missus fuit ut esset Christi testis.

II. *Tu es ille venturus?* Scire et credere, quod Christus Dominus noster ipse sit verus Messias, basis et fundamentum est totius pietatis nostrae. Hinc Paulus ait: *Ut sapiens architectus fundamentum posui... Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est,* etc. [21] Ideo ad veritatem hanc testificandam missus fuit Ioannes, testis omni exceptione superior, fidelissimus, optimus, fide dignissimus.

et quidem fidelissimus et optimus,

Ut sciamus autem quanti faciendum sit Ioannis testimonium, Dominus hodie nobili encomio, multis eum hodie ad populum collaudavit et saepe alias: nunc dicens quod Ioannes venit in via iustitiae, nunc quod ipse esset Elias, nunc quod esset lucerna ardens et lucens; [22] sed hodie eum multis et quam magnificis laudibus exornavit, duplici laudum genere, sicut Deus ipse in Sacris Litteris laudatur nunc a mystica theologia, quae tamquam sculptoria ars est Deum explicans, a praestantissima illa natura omnem removens imperfectionem; nunc a symbolica theologia, quae veluti pictura est vivis coloribus perfectionum omnium, quae in creaturis reperiuntur, componens divinae naturae imaginem. Ita Christus Ioannem laudat removens ab eo communes humanae naturae labes, naturales imperfectiones, quales sunt animi levitas et carnis infirmitas, quae multa etiam voluptatum fulcimenta requirit; deinde vero eum plus quam prophetam dicit, idest Prophetarum omnium maximum et Angelum Domini: *Ecce mitto Angelum meum,* etc., ubi etiam Dominus vaticinium de se indicat, nam ibi Malachias de Messiae adventu in mundum loquitur: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis,* etc. [23]

ideo ab ipso Christo summis laudibus exaltatus.

Docet Ioannes magis credendum esse auctoritati Christi quam miraculis.

Tu es qui venturus es? Docet Ioannes quod prima fidei basis, cui standum est, non est nisi Christi ipsius auctoritas, cui credendum magis est quam miraculis. Hinc enim cum audisset miracula, auctoritatem requirit fidei a dicto ipsius, fides enim et pietas omnis divinae auctoritati firmissime innixa est.

20) Is 8, 13-14. 21) 1 Cor 3, 10-11. 22) Cf. Mt 11, 7; 21. 32; Io 5, 35.
23) 3, 1.

Fides in Christum quattuor basibus firmissimis fundata ostenditur:

III. In hodierno Evangelio fides Christi, quod ipse sit verus Messias, qui venturus erat in mundum, quattuor veluti firmissimis basibus et columnis fundata est. Una est auctoritas magna testimonii ipsius Ioannis, qui pro veritate patiebatur carcerem et vincula ac tandem mortem passus fuit capitis obtruncatione.[24] Altera est auctoritas ipsius Christi, cui ex testimonio Ioannis standum est: ipse dixit se esse Messiam a Deo missum, credendum ergo est, sicut credimus Deum et divina, quia ipse dixit. Tertia basis est auctoritas divina miraculorum: *Caeci vident, claudi ambulant,* etc., nam et Moyses editis miraculis probavit se missum a Deo pro Hebraeorum salute.[24a] Quarta tandem est auctoritas vaticiniorum: *Tu es ille venturus,* ad quae etiam Dominus alludit, dum Ioanni respondet; et tandem ex Malachia vaticinium adducit.

prima est magna auctoritas

Quoad primum, in Sacris Litteris data est veris Prophetis divina auctoritas, ut in *Deuteronomio* manifestum est, ut cum probati fuerint veri Prophetae ex verificatis praedictionibus vel miraculis et ex praedicatione divini cultus, fides adhibeatur verbis eorum tamquam verbis ipsius Dei, ac si Deus ipse loqueretur,[25] sicut cum legem dedit.[25a] Sicut autem olim cognovit omnis Israel *quod fidelis Samuel propheta esset Domini,*[26] ita plane noverant Iudaei omnes Ioannem prophetam esse ex vitae sanctissimae instituto et praedicatione cultus Dei, ex sanctissima tum vita tum doctrina. Sic in hodierno Evangelio ostenditur qualis et quanta sit Ioannis auctoritas.

propter eius vitae et doctrinae sanctitatem;

Verus propheta in Sacris Litteris est qui nec impietatis nec falsitatis convictus est, qui nec deprehensus est impius ex cultu idolorum, sed Dei cultor, nec mendax ex falsis praedictionibus, ut in *Deuteronomio* patet. Ioannes autem vita et doctrina sanctissimus semper inventus est, divina ergo auctoritate pollet. At confessus est se Christo multo inferiorem esse: *Me oportet minui, illum autem crescere;*[27] *Qui post me venit, ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solvam,* etc.[28] Manifeste docuit Dominum nostrum esse verum Messiam caelitus divinitusque sibi indicatum: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Credendum ergo est divino huic

24) Cf. Mt 14, 3. 12; Mc 6, 17-28 24a) Cf. Ex 4, 28 sqq. 25) Cf. 18. 15-19. 25a) Cf. Ex 20, 1 sqq. 26) 1 Rg 3. 20. 27) Io 3, 30. Ordine inverso affert hunc vr. 28) Ibid. 1, 27. Vulg.: *Qui post me venturus est,* etc.

testimonio Ioannis, ita ac si Deus ipse locutus fuisset. Nam Spiritus Sanctus per eum loquebatur, siquidem ex utero matris suae Spiritu Sancto repletus fuit, ut Gabriel testatus fuit.[29]

secunda est auctoritas Christi, qui de Ioanne testificatur;

Quoad secundum, ex his etiam duobus elucet qualis et quanta sit Christi auctoritas, ex vita, inquam, et doctrina sanctissima: *Ite, renunciate Ioanni quae vidistis et audistis.* Vult agnosci ex doctrina et operibus. Doctrina divina est: *Pauperes evangelizantur;* opera item divinissima, dissolvit opera satanae: *Caeci vident, claudi ambulant,* etc. Nam ad hoc venit Christus in mundum, *ut dissolvat opera diaboli.*[30]

tertia auctoritas miraculorum.

Quoad tertium, opera Christi, quae Ioannes audivit in vinculis, simul erant et miracula et beneficia. Quatenus erant miracula convincebant intellectum ad credendum, quatenus vero beneficia movebant atque urgebant affectum ad diligendum talem tantumque benefactorem; quatenus miracula erant ad confirmandam fidem et veritatem doctrinae sanctissimae, ad cultum virtutis omnis et pietatis. Differebant opera Christi a magorum praestigiis et imposturis, sicut miracula Moysi a miraculis fictis et mendacibus magorum.[31] Quaecumque autem fiunt ad gloriam Dei et ad hominum utilitatem, nonnisi a Deo esse possunt. Nam ad duos hos fines directa sunt omnia opera Dei, quae legimus in Divinis Scripturis. Christi autem opera in Evangelio talia sunt. Quatenus autem omnia Christi opera singulaque beneficia erant: *Caeci vident, claudi ambulant,* differebant a miraculis Veteris Testamenti, quorum pars maxima punitiones extitere, uti universalis cataclysmus,[32] incendium Pentapolis,[33] decem plagae Aegypti,[34] subversio Pharaonis[35] aliaque permulta. Christus autem in mundum venit, non ad perdendum, sed ad salvandum: *Non enim misit Deus Filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;*[36] *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.*[37] Sicut autem Moyses multis editis miraculis manifeste demonstravit se vere missum esse a Deo, doctrinamque suis miraculis veluti validissimis rationibus et argumentis confirmavit, ita et Christus. Sed non habuit Christus impeditam lin-

Christus miracula operabatur ad solam Dei gloriam et hominum utilitatem.

29) Cf. Lc 1, 15. 30) 1 Io 3, 8. 31) Cf. Ex 7, 10-22; 8, 6-18. 32) Cf. Gn 6, 1-7, 1 sqq. 33) Cf. ibid. 19, 24-29. 34) Cf. Ex 7, 1-11, 1 sqq. 35) Cf. ibid. 14, 23 sqq. 36) Io 3, 17. 37) Lc 19, 10.

guam ad praedicanda mysteria regni caelestis nec manus graves,[38] nam ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde... Iugum enim meum*, etc.[39]

ALIA HOMILIA

Ioannis sanctitas maxime elucet dum esset in vinculis.

I. Hodierni Evangelii historia paradoxa multa continere videtur, oppositis paradoxis contexta, nam praeter ea quae a Christo dicuntur: *Caeci vident, claudi ambulant.. surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur,*[1] beati praedicantur, cum idem videatur esse beatus et dives; Ioannes in principio Evangelii in vinculis proponitur, et in fine Angelus Domini dicitur;[2] in principio de Christo dubitare videtur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* et in fine *plus quam propheta* praedicatur.[3] Si Angelus Domini, quomodo in vinculis hominum? Si vir sanctissimus, quomodo in carcere tanquam scelestissimus? Si propheta Christi, imo plus quam propheta, quomodo dubitat de Christo? nam dubius in fide infidelis est.[4] Imo in fine Evangelii videtur Ioannes maxime laudatus a Christo, dilectus a Deo; et tamen derelictus a Deo in manibus impii Herodis et scelestissimae Herodiadis videtur in principio Evangelii,[4a] cum tamen scriptum sit: *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem*, etc.[5] An forte Ioannes in tribulatione positus in fide dubitavit? Sed aurum verum et bonum in fornace magis splendet. Ostenditur autem a Christo Ioannes in vinculis positus tanquam aurum in fornace probatum; hinc, cum esset in vinculis, a Christo multis laudibus est exornatus, sicut adamas ad incudem malleo probatus, etc.

Sed est hodierni Evangelii historia tanquam musicus concentus valde harmonicus. Concentus autem non fit ex vocibus unisonis, sed

38) Cf. Ex 4, 10; 17, 12. 39) Mt 11, 29 sq. Aliquae lineae albae relinquuntur.

1) Mt 11, 5. 2) Cf. ibid. vrr. 2-10. 3) Ibid. vrr. 3. 9. 4) Axioma theologicum, forte deductum ex illo S. Bernardi: « Fides ambiguum non habet, aut si habet, fides non est. » *De Consideratione ad Eugenium*, lib. 5, cp. 3, (P. L. 182, 791); et ex Hugone de S. Victore: « Ubi adhuc dubitatio est, fides non est. » *De Sacramentis*, lib. 1, part. 10, cp. 2, ibid. 196, 330. Quo sensu vero accipiendum sit cf. Melchior Canus *Loci Theologici*, lib. 12, cp. 9-12, pag. 741-763. 4a) Cf. Mt 11, 2. 5) Ps 124, 3.

multisonis oppositis, mira proportione sibi invicem respondentibus; maxime autem omnium mirabilis concentus est qui constat ex oppositis vocibus, gravi et acuta; est enim tanquam ver inter hiemem et aestatem; invenire autem medium inter extrema proportionatum, quoniam difficile est, pulcrum est. Hac de causa Moyses vir fuit mirabilis, quoniam princeps altissimus et humillimus; sic Virgo Beatissima, altissima caeli Regina et humillima Dei ancilla; sic Christus: *Verbum caro factum est.* [6]

ideo tantopere a Christo laudatur.

Concentus hodierni Evangelii constat ex vocibus gravi et acuta; ex gravi in principio et acuta in fine. Nam duo tantum sunt qui loquuntur: Ioannes et Christus; Ioannes gravi voce canit, Christus acuta, sublimi, alta; sed mirabili proportione sibi consonant, sicut duo Seraphim apud Isaiam. [7] Laudat Ioannes Christum, Christus autem Ioannem collaudat; sicut magnus colossus mirabili et daedalica arte fabrefactus, non solum laudatur cum supra basim edito et honestissimo loco positus est, verum etiam in terram proiectus admirationi est omnibus intuentibus et spectantibus. Ioannes ab Angelo dictus fuit *magnus coram Domino.* [8] Magnus autem ostensus fuit Ioannes in deserto praedicans, in Iordane baptizans; magnus saeculi opinione; [9] sed magnus etiam ostenditur in carcere, in vinculis. Hinc cum esset in vinculis tantopere laudatus a Christo est.

dum Christus a Ioanne pariter collaudatur.

II. In hodierno Evangelio Christus et Ioannes mutuo se respiciunt et intuentur; sicut duo cherubim aurei in sanctuario Domini, [10] mutuoque se collaudant, sicut Seraphim. Ioannes in vinculis sui oblitus Christum cogitat, ita ut dicere posset: *Vivo* ego *iam non ego, vivit vero in me Christus;* [11] ad Christum mittit discipulos suos ut, audita Christi doctrina visisque miraculis, Christi fidem susciperent; Christum laudat, siquidem hac legatione Ioannes iterum confitetur: *Quia non sum ego Christus,* [12] ostenditque et docet ipsum Christum talem esse, cui firmissime credendum sit, ardentemque animi sui affectum ostendit ut Christus agnosceretur et crederetur verus Messias. Nam legatione hac a Christo hoc exigere videtur ut, editis mi-

Sua legatione Ioannes vult ut Christus agnoscatur.

6) Io 1, 14. 7) Cf. 6, 3. 8) Lc 1, 15. 9) Cf. Mt 3, 1 sqq.; Mc 1, 4-5; Lc 3 2-17.
10) Cf. Ex 37, 8-9. 11) Gal 2, 5. 12) Io 1, 20.

raculis, mundo manifestaret se verum esse Messiam expectatum, nec alium expectandum esse.

Quare in Ioanne hodie tria vel maxime elucent: contemptus et veluti oblivio sui ipsius; non quaerit libertatem, non vitam, non conqueritur de honoris famaeque suae iactura, non expetit vindictam; veluti mortuus erat in seipso, carcerem et vincula veluti mortuus non sentiebat; secundo vero, caritas erga discipulos, ingens desiderium salutis ipsorum, propterea misit eos ad Christum; hinc veluti ignorare se Christum finxit, ut discipulos sibi carissimos mittat ad Christum; tertio, ardens pietas erga Christum, ingens desiderium gloriae Christi, ut omnes eum agnoscerent crederentque in eum; hinc quam libentissime audiebat opera Christi. Sic Ioannes nonnisi Christi gloriam quaerebat, sicut *venit in testimonium... ut omnes crederent per illum.* [13]

sic ostendens humilitatem suam, erga discipulos caritatem et erga Christum pietatem.

Sicut autem Ioannes Christum intuebatur, ita et Christus Ioannem. Hinc suscepit Christus nuncios Ioannis, annuit votis ipsius - nam *voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet:* [14] - *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis,* [15] verba et facta, doctrinam et miracula. Sicut autem Ioannes nonnisi Christi gloriam quaerebat, ita Christus Ioannem hodie quam maxime honoravit. Inter Deum et Sanctos suos magnum certamen reperiri videtur. Nam Sancti nonnisi Dei gloriam et honorem quaerunt, Deus autem vicissim gloriam Sanctorum suorum; haec lucta est Iacob cum Deo.[16] Sic Christus hodie Ioannem divinis laudibus, habita ad populum concione, exornavit et super sidera extulit, laudum Ioannis divinam panegyrin composuit. Vere ab Angelo dictum fuit: *Erit enim magnus coram Domino*, nam a Christo declaratus est maximus prophetarum Sanctorumque omnium, Angelus Domini in carne puritate et sanctitate vitae. [17]

Ioannes Christi gloriam nonnisi quaerebat.

ideo Christus gloriam Ioannis tantopere exaltat.

Ostenditur in hodierno Evangelio Christus princeps, ad quem Ioannes legationem mittit; princeps autem benignissimus et liberalissimus: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis: caeci vident*, etc.; nec tantum princeps, verum etiam orator excellentissi-

Ostenditur Christus princeps optimus.

13) Ibid. vr. 7. 14) Ps 144. 19. 15) Mt 11, 4. Vulg.: *Euntes renunciate*, etc.
16) Cf. Gn 32, 24-25. 17) Cf. Mt 11. 7-14.

mus: *Coepit dicere ad turbas de Ioanne.* [18] Sic, veluti alter Salomon, Christus rex est ditissimus, liberalissimus, sapientissimus et eloquentissimus. [19]

III. In hodierno Evangelio continentur duo: alterum spectat ad fidem, alterum vero ad mores vitae et opera. *Tu es qui venturus es?* Tu ne es verus Messias? Hoc spectat ad fidem; nam hoc est fundamentum nostrae fidei, de quo Paulus: *Ut sapiens architectus fundamentum posui... fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [20] Nec tamen putandus est Ioannes in fide hac dubitasse, nam si dubitasset, non fuisset talis qualem hodie Christus sua oratione describit; sed ignorare ac dubitare se finxit, sicut theologus in cathedra docens fingit se dubitare, dum movet quaestiones an Deus sit trinus et unus, etc., sed ad erudiendos discipulos; sicut in Divinis Litteris Deus ipse aliquando finxit se ignorare aliquid: *Adam, ubi es?* [21] *Clamor Sodomorum* venit coram me. *Descendam et videbo;* [22] Quid habes in manu tua? [23] *Quid tu vides, Ieremia?* [24] Sic Christus: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* [25] Petre, *amas me?* [26] Sic *finxit se longius ire* [27] in habitu peregrini. Non enim omnis fictio et simulatio mala est aut peccatum. Angeli saepe peregrinos se finxerunt ad Abraham [28] et Loth, [29] Angelus cum Iacob luctatorem egit. [30] Illa simulatio mala est, quae ad decipiendum adhibetur, qua satanas *transfigurat se in angelum lucis.* [31] Ioannes igitur prudenti simulatione usus est ad procurandam Christi gloriam et salutem discipulorum suorum. Sic igitur habemus in hodierno Evangelio stabile fidei nostrae fundamentum, quod Christus Dominus noster sit verus Messias, qui venturus erat in mundum. Nam hoc est quod ait: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me,* [32] idest beatus qui in me crediderit.

Duo continentur in hodierno Evangelio:

unum, fides in Christum verum Messiam,

quae fundamentum est salutis;

Verum laudat etiam Christus vitam virtutemque Ioannis mirabili illustrique encomio. Hic autem videre est quam varia sint huius mundi et Dei iudicia. Herodes nihili facit Ioannis virtutem, iudicat

alterum, quod in vita futura vere virtus praemiatur

18) Ibid. vr. 7. 19) Quae sequuntur alio atramento clariori alioque stylo exarata sunt. 20) 1 Cor 3, 10-11. 21) Gn 3, 9. 22) Ibid. 18, 20-21. 23) Cf. Ex 4, 2. 24) Ier 1, 11. 25) Mt 16, 13. 26) Io 21, 15-17. 27) Lc 24, 28. Vulg.: *Se finxit,* etc. 28) Cf. Gn 18, 1 ssq. 29) Cf. ibid. 19, 1-3. 30) Cf. ibid. 32, 24-25. 31) 2 Cor 11, 14. 32) Mt 11, 6.

et peccatum punitur.

indignum libertate et vita; Christus Ioannem iudicat caelo dignum tanquam Angelum Dei. Videtur in hodierno Evangelio virtus prius despecta, deinde supra modum exaltata, sicut in Ioseph. [33] Ita agere consuevit Deus. Non praemiat Deus virtutem in hoc mundo, nec punit vitia hominum peccatorum, ne putaret mundus non reperiri alia aut bona aut mala, nisi quae in hoc mundo sunt. Coronanda virtus in caelo, puniendum peccatum in inferno.

Aliquando etiam in hoc mundo punit ad ostendendam providentiam suam; sic legimus multas punitiones peccatorum, multa etiam praemia virtutum; quamvis etiam abstinet Deus a praemiis virtutum et poenis vitiorum in hoc mundo, ne homines tantum formidine poenae abstineant a malis et intuitu temporalium bonorum dent operam virtuti, non virtutis amore [34] et Divini Numinis contemplatione. At vero, quia contempta virtus in mundo est, quam paucissimi sunt qui eam ex animo curent! Hinc perfecta virtus in mundo rara avis. [35]

In vinculis maxime elucet virtus Ioannis.

Voluit Dominus in vinculis probare virtutem Ioannis, sicut probatur aurum in fornace, quemadmodum probavit virtutem Abrahae, [36] Iob [37] et aliorum. In Ioanne hodie Dominus quattuor laudat: animi constantiam, vitae rigiditatem, sanctitatis excellentia et angelicam puritatem. His enim virtutibus maxime delectatur Deus easque in veris adoratoribus requirit. Ostendit Ioannes in carcere perfectam virtutem, non enim quaerebat quae sua sunt, quod Christus eum liberaret, sed quae Iesu Christi, ipsius gloriam et animarum salutem. [38]

33) Cf. Gn 39, 19-20; 41, 37-46. 34) Ex Horatio Epistolae, lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53. 35) Modus proverbialis ex Juvenali *Satyrae*, satyr. 6, vr. 165. 36) Cf. Gn 22, 1-19. 37) Cf. Iob 1, 1 sqq. 38) Sex paginis albis relictis, transit ad Dominicam Tertiam Adventus.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS

Confessus est et non negavit. et confessus est: quia non sum ego Christus. [1]

Proponitur magnitudo Christi ex testimonio Ioannis.

I. Proponitur in hodierno Evangelio magnitudo Christi ex testimonio Ioannis, nam ait: *Hoc est testimonium Ioannis quando miserunt*, etc.[2] Moyses in caelo collocavit *duo luminaria magna*, comparatione utique stellarum; sed cum duo luminaria contulit inter se, ait: *Luminare maius... et luminare minus;*[3] ita plane in Evangelio Christus et Ioannes comparatione aliorum Sanctorum sunt duo luminaria magna. Nam de Ioanne ait quod fuit plus quam propheta, quod inter natos mulierum non surrexit maior propheta, sed tamen *qui minor est in regno caelorum*, idest Christus, *maior est illo;*[4] dum Ioannes comparatus Christo infinitis gradibus inferior est: *Cuius ego non sum dignus ut solvam*, etc.;[5] quanto enim Deus maior est homine, tanto Christus Ioanne.

Hoc est testimonium Ioannis. Cum Evangelista de Christi divinitate multa docuisset, cum ostendisset aeternitatem ipsius: *In principio erat Verbum;* coaequalitatem: *Et Verbum erat apud Deum;* consubstantialitatem: *Et Deus erat Verbum;* omnipotentiam universi conditricem: *Omnia per ipsum facta sunt;*[6] cum etiam docuisset Incarnationis mysterium: *Verbum caro factum est;* plenitudinem gratiae et gloriae: *Vidimus gloriam eius... plenum gratiae et veritatis;*[7] cum tandem auctorem gratiae et omnis bonitatis ostendisset: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est;*[8] universam hanc de Christo philosophiam testimonio Ioannis Baptistae probavit et confirmavit.

1) Pericope huius diei Io 1, 19-28. Cf. Missale Rom. 2) Io 1, 19. 3) Gn 1, 16. 4) Mt 11, 11; Lc 7, 28. 5) Io 1, 27. 6) Ibid. vrr. 1-3. 7) Ibid. vr. 14. 8) Ibid. vrr. 16-17.

Ioannes ex divina revelatione Christum noverat.

Hoc est testimonium Ioannis. Testimonium verum, quia Christum novit ex revelatione Dei, qui mentiri non potest; nam dum Christum in Iordane baptizaret, vidit caelos apertos et Spiritum Sanctum descendisse ac mansisse super Christum,[9] audivit etiam vocem Dei dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*[10] Sic Christum Dei Filium esse certissime cognovit, sicut Samuel Saulem.[11]

ideo optimus testis erat

Hoc est testimonium Ioannis. Magnum utique testimonium a teste optimo, omni exceptione superiore; nam talis ac tantus erat et habebatur Ioannes, ut Iudaeorum respublica, summus pontifex et principes Iudaeorum, honestissimam legationem sacerdotum et levitarum ad eum destinarint; nam Ioannes vel Christus vel Elias aut aliquis magnus habebatur propheta. Hinc legati Iudaeorum interrogant an ipse sit Christus aut Elias aut propheta.[12]

et fidelissimus, quamvis humillimus.

Hoc est testimonium. Vere testis fidelis Ioannes, sicut in *Psalmo* legimus: *Luna perfecta in aeternum et testis in caelo fidelis,*[13] idest lucifer, quae summo mane, aurora exoriente apparens, fidelissime solis vicinum ortum praenunciat indicatque; ita Ioannes. Dicitur stella illa hebraice *scechar*, quasi nigra, cum sit omnium splendidissima, et quia, oriente sole, absconditur ac veluti lumine privata, postrema omnium denigratur; ita Ioannes in oculis suis niger erat, nihil erat: *Non sum ego Christus*, non sum Elias, non sum propheta.[14] Splendida erat facies Moysi, sed ipse ignorabat;[15] ita Ioannes divinam sanctitatis suae praestantiam super omnes Prophetas non agnoscebat, de seipso humillime sentiebat, nihil se esse existimabat.

Fides Christi fundamentum est salutis, ideo multis testimoniis probata fuit.

II. *Hoc est testimonium.* Quoniam fides Christi basis et fundamentum est salutis nostrae, sicut Paulus ait: Fides est *substantia sperandarum rerum*, etc.,[16] voluit Deus eam esse multis optimisque testibus probatam et confirmatam: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius*, etc.[17] Testes Prophetae, testis Ioannis, testes Apostoli, testis Spiritus Sanctus: *Ille testimonium perhibebit de me et vos testimonium perhibebitis;*[18] testis Deus Pater in Iordane, in monte sancto;

9) Cf. ibid. vrr. 31-34. 10) Mt 3, 17. 11) Cf. 1 Rg 9, 17.
12) Cf. Io 1, 19-21. 13) Ps 88, 38. 14) Io 1, 20-21. 15) Cf. Ex 34, 29.
16) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum.* 17) Act 10, 43. 18) Io 15, 26 sq.

testes etiam ipsa Christi opera, nam ait: *Ego testimonium habeo maius Ioanne... opera quae ego facio* in nomine Patris mei, ipsa *testimonium perhibent de me.* [19] Sicut ergo caelum multis luminibus splendet, ita fides Christi multis clarissimis et illustrissimis testibus comprobata [est].

sed praecipue testimonio Ioannis.

Hoc est testimonium. Quidnam testificatus est de Christo? *Medius vestrum stetit quem vos nescitis,* quoniam *Deus absconditus;* [20] *Qui post me venturus est, ante me factus est, cuius ego non sum dignus,* etc., [21] nec dignus nec aptus tantum, ut sim unus de minimis servis eius. Talis et tanta est maiestas ipsius, tam magna est ipsius tum dignitas tum auctoritas! Iure autem hodie Ioannes ignorantiae arguit synagogam dicens: *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis.* Nam valde caecutientium est lunam pro sole accipere, quae infinitis pene gradibus sole inferior est; sic Ioannes Christo, qui *Sol iustitiae* [22] est.

Sicut Moyses abscondit faciem suam cum ei Deus in rubo apparuit, [23] quod etiam Elias praestitit coram Domino in Oreb, [24] tum in signum reverentiae, nam etiam Seraphim coram Domino stant velatis vultibus, tum ut significarent indignos se praesentia tantae maiestatis, ita hodie Ioannes indignum se dicit famulatu humillimo Christi.

Humilitate sua Ioannes speciem refert hominis vere christiani,

Ioannes hodie speciem refert hominis vere christiani, qui seipsum despicit, mundum contemnit, Christum super omnia colit. Ioannes Christum hodie *confessus est et non negavit;* [25] nam: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* [26] Christum agnoscit, hinc ait: *Medius vestrum stetit quem vos nescitis,* nam Christum in Iordane ex divina revelatione cognoverat; Christum super omnia maximi facit: *Cuius ego non sum dignus,* etc. De seipso humillime sentit, nihil se reputat: *Non sum Christus,* non sum Elias, non sum propheta, nihil sum: *vox clamantis.* [27] Ex cognitione Dei oritur cognitio sui ipsius in homine, ex utraque autem vera solidaque humilitas. Hinc in *Apocalypsi* legimus quod seniores, idest principes Sanctorum omnium, mittentes coronas suas procidunt ante thronum Dei; [28] itemque quod omnes Angeli in conspectu throni ceciderunt

19) Ibid. 5, 36. 20) Is 45, 15. 21) Ibid. vv. 26-27. 22) Mal 4, 2. 23) Cf. Ex 3, 6.
24) Cf. 3 Rg 19, 13. 25) Io 1, 20. 26) Rom 10, 10. 27) Io 1, 23. 28) Cf. 4, 10.

in facies.[29] Sic enim prospectis divitiis et thesauris principis, homo de plebe cognoscit magnam paupertatem suam, licet plura bona possideat, et sicut sol candidissimae lucis suae radiis homines albos denigrat: *Quia denigravit me sol;*[30] ita accidit homini cum Deo.

solum enim Deum quaerens, oblatos sibi honores ex alto contempsit.

Ioannes eremiticam vitam in deserto agens, non solum non quaesivit aut appetiit vanissimos mundi honores, sed oblatos etiam ex alto contempsit, quoniam vitam caelitem ducebat. Hominibus, qui terram incolunt, quae in terra sunt magna videntur; hinc dicimus magnos montes, magnas valles, magnas planities, magnos fluvios, lacus, maria, magna palatia, templa, plateas, civitates, arces; caelestia autem, quoniam remotissima sunt, parva videntur. Stellae, cum vere sint magnae, apparent quam parvae; at si homines in caelo, ubi stellae sunt, habitarent, totus hic terrae orbis nihil omnino appareret, terra enim caeli comparatione vix punctum est. Hinc P a u l u s, qui in tertium caelum sublatus fuerat,[31] cuius conversatio in caelis erat,[32] mundana omnia nihili faciebat, contemnebat ut stercora;[33] ita Ioannes eodem spiritu plenus. Sicut enim qui solem fixis oculis fuerit contemplatus, cum iterum in terram oculos declinaverit, nihil videt nisi obscuras umbras, ita plane homini, qui Deum vere cognoscit, mundana omnia nihil videntur.

Elucet etiam hodie imago mundi vanissimi.

III. Elucet etiam in hodierno Evangelio imago quaedam mundi huius vanissimi. *Miserunt Iudaei,* idest principes Iudaeorum, *ab Ierosolymis,* civitate regni totius metropoli, *sacerdotes et levitas,*[34] viros dignitate et auctoritate conspicuos, valde insignes. Sic in mundo hoc multi sunt hominum ordines, multi dignitatum honorumque gradus. Mundus hic civitas videtur esse Ierusalem, quae v i s i o p a c i s, idest felicitatis, interpretatur, nam mundus hic paradisus deliciarum, thesaurus bonorum omnium videtur. Sed tamen mundus hic Deum non novit: *Medius vestrum stetit quem vos nescitis;* hinc Athenis erat ara ignoto Deo dicata.[35] Est quidem Deus in mundo, sed mundus Deum non novit, absconditus est, ignotus est, thesaurus est absconditus in agro;[36] hinc sequitur quod mundus caecus pro Christo, qui verus est Deus, Ioannem suspicit, merum hominem;

Mundus quoad divina caecus est,

29) Cf. ibid. 7, 11. 30) Ct 1, 5. Vulg.: *Decoloravit me sol.* 31) Cf. 2 Cor 12, 2. 32) Cf. Phil 3, 20. 33) Cf. ibid. vr. 8. 34) Io 1, 19. 35) Cf. Act 17, 23. 36) Cf. Mt 13, 44.

relinquit incommutabile bonum et convertitur ad commutabile; felicitatem ad quam conditus est, non in Deo vero, sed in creaturis requirit. Hinc vana sunt mundi studia, vanos exitus sortiuntur; nam vanissima fuit hodierna legatio. Cum enim a Ioanne de Messia requirerent, cumque dixisset eis Ioannes: *Medius vestrum*, etc., imprudentes non intellexerunt testimonium Ioannis, quod Messias iam venerat, ut perquirerent ab eo quisnam et ubi esset; sed post magnos labores itineris, vacuis manibus reversi sunt Ierosolymam, nihil certe referentes, nisi quod Ioannes dixerat se non esse Christum, neque Eliam, neque prophetam.

Alia quoque mundi huius qualitas hic manifesta est: quam sit instabilis et volubilis. Ioanni nunc divinos honores offerunt interrogantes an ipse esset Christus; nunc cum supercilio coarguunt et reprehendunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* [37] Sic Christo etiam accidit in postrema hebdomada.

in seipso instabilis et volubilis.

IV. In hodierno Evangelio tria nobis consideranda se offerunt: unum est legatio Iudaeorum, alterum est persona Ioannis ad quem destinatur legatio, tertium est causa legationis: *Ut interrogarent eum* an ipse esset Messias. In primo offert se mihi imago quaedam mundi, in secundo imago hominis vere christiani, vere perfecti, in tertio imago Christi sub habitu principis eminentissimi, sed incogniti: *Medius vestrum stetit quem vos nescitis, cuius ego non sum dignus*, etc.; sic enim rex Israel, mutato habitu suo, descendit in proelium. [38]

Tria consideranda se offerunt.

Ioannes hodie magnam passus est tentationem a mundo, et forte non sine opera satanae, sicut Adam in paradiso tentatus fuit a serpente, [39] sicut Christus a diabolo in deserto, [40] sicut Ioseph castissimus pellectus fuit a domina sua ad peccandum secum. [41] Serpens Adamo obtulit aequalitatem Dei, Christo omnia regna mundi, mulier aegyptia Iosepho totam seipsam, synagoga hodie Ioanni offert dignitatem et auctoritatem Messiae, honores divinos, regnum Israelis totamque seipsam.

Ioannes hodie magnam passus est tentationem,

Tentatio haec plures partes habuit, sicut statua regis Nabuchodonosor, quam in somnis vidit: caput aureum est: *Messias es tu?* pectus argenteum: *Elias es tu?* venter aeneus: *Propheta es tu?* tibiae

sed humilitate sua eam superavit,

37) Io 1, 25. 38) Cf. 3 Rg 22, 30. 39) Cf. Gn 3, 1-6. 40) Cf. Mt 4, 1-10; Lc 4, 3-12. 41) Cf. Gn 39, 7-12.

ferreae: *Quis es? quid dicis de te ipso?* [42] Sed sicut parvo lapide ad pedes percussa statua illa, ad nihilum redacta fuit, [43] ita humilitate Ioannis tota haec tentatio superata evanuit, nam verissima sui cognitione semper respondit Ioannes: *Non sum, non sum, non sum.*

unde a Domino tantopere laudatur.

Ioannes hodie est sicut columna stabilis in templo Dei, [44] sicut magnus et eminens montis instar scopulus in mari, qui sive tranquillum sive turbatum sit mare, semper idem est. Hinc Dominus ait Ioannem non esse arundinem vento agitatam, [45] sed columnam immobilem ad quemcumque impetum ventorum. Non movetur hodie flante vento vehementi humanarum laudum, nec item flante vento contrario obiurgationum: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Fuit hodie Ioannes sicut civitas munita ab inimicis obsessa et impugnata, sed quam dux optimus validissima militum manu tuetur, defendit, servat incolumem, sicut ad Ieremiam Dominus ait: *Ego quippe dedi te in civitatem munitam... et bellabunt,* etc. [46] Ioannes dictus fuit a Domino *lucerna ardens et lucens,* [47] magna lucerna, quam tanta vis ventorum extinguere minime valuit.

ALIA HOMILIA [1]

Qui post me venit, ante me factus est, etc. [2]

Ostenditur hodie excellentia Ioannis,

I. Duo habemus in hodierno Evangelio quae Christo debentur ex Ioannis sententia: alterum quid credere et tenere debeamus de Christo, alterum quid praestare debeamus Christo: *Dirigite viam Domini.* [3]

ut magis conspicua fiat excellentia Christi.

Quoad primum docet Ioannes Evangelista probatque testimonio Baptistae Christum esse Dominum infinitae maiestatis, cuius comparatione quaelibet creatura, quamvis excellentissima, nihil sit. Hinc Ioannes, qui talis ac tantus erat, ut Messias ipse existimaretur, [4] Christo comparatus ait: *Cuius ego non sum dignus,* [5] idest vix alicuius momenti sum. Hac de causa ostenditur in Evangelio excellentia Ioannis, ut inde conspicua sit Christi excellentia. Hinc ait: *Fuit homo missus a Deo,* [6] legatus Summi Imperatoris ad mun-

42) Io 1, 22. 43) Cf. Dn 2, 31-35. 44) Cf. Apc 3, 12. 45) Cf. Mt 11, 7; Lc 7, 24. 46) Ier 1, 18 sq. 47) Io 5, 35.

1) Atramento clariori exarata. 2) Io 1, 30. Vulg.: *Post me venit qui ante me factus est.* 3) Ibid. vr. 23. 4) Cf. Lc 3, 15. 5) Io 1, 27. 6) Ibid. vr. 6.

dum, nam: *Venit ut omnes crederent per ipsum.*[7] Sed tamen cum tantus esset, minor Christo erat, quia propter Christum missus erat: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*[8] Hoc ipsum egit Gabriel Angelus cum Zacharia patre ipsius. Multa dixit de Ioannis excellentia: *Erit magnus coram Domino; Spiritu Sancto replebitur; In spiritu et virtute Eliae,* etc. Sed *praecedet ante illum,*[9] erit praecursor ipsius, praemissus ad praeparandam ei mansionem. Ita Christus ipse: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne; sed qui minor est in regno caelorum, maior est illo,*[10] revera sicut Deus homine.

Multipliciter probatur veritas fidei christianae.

Testimonio Baptistae probat Evangelista hanc Christi excellentiam, quoniam Ioannes una est ex septem columnis supra quas *Sapientia aedificavit sibi domum.*[11] Nam veritas fidei christianae probata est testimonio Patris in Iordane[12] et in Tabor,[13] etiam in die Palmarum: *Clarificavi,* etc.;[14] testimonio Christi per miracula: *Opera quae ego facio,* etc.;[15] testimonio Spiritus Sancti: Paracletus autem Spiritus veritatis, *ipse testimonium perhibebit de me;*[16] testimonio Angelorum in nativitate,[17] in resurrectione,[18] in ascensione;[19] testimonio Apostolorum, testimonio Prophetarum: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent,* etc.;[20] itemque testimonio Ioannis, qui ostenditur testis omni exceptione superior propter scientiae certitudinem, propter summam animi sinceritatem, integritatem, sanctitatem ac tandem propter summam auctoritatem, qua apud Iudaeos valebat. Sic christianae fidei veritas irrefragabili Ioannis testimonio firmata est.

Testimonium Ioannis omni fide dignum est ex auctoritate ipsius testis

II. In hoc autem Ioannis testimonio duo considerantur: primo quidem auctoritas ex persona ipsius et ex modo formaque testimonii, nam est testimonium in iudicio legitimo; testatus est enim de Christo non sua sponte, non sese ingerendo, quod testem potest reddere suspectum, sed interrogatus, non a quibusdam, sed a sacerdotibus et levitis, legatis a republica et principibus sacerdotum, viris summa auctoritate ac dignitate, summa etiam divinarum rerum humanarumque scientia usuque praeditis, ita ut nulla

7) Ibid. vr. 7. 8) Ibid. vr. 8. 9) Lc 1, 15-17. 10) Mt 11, 11. 11) Prov 9, 1. 12) Cf. Mt 17; Mc 1, 11; Lc 3, 12. 13) Cf. 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35. 14) Io 12, 28. 15) Ibid. 5, 36. 16) Ibid. 15, 26. 17) Cf. Lc 2, 9-14. 18) Cf. Mt 28, 1-7; Mc 16, 5-7; Lc 24, 4-5; Io 20, 12-13. 19) Cf. Act 1, 10-11. 20) Ibid. 10, 43.

penitus posset esse falsitatis suspicio. Nam hac de causa noluit Ioannes Christo adherere, eius discipulus cum Apostolis fieri eumque sequi, ne suspicarentur eum affectione quadam ductum talia tantaque de Christo praedicare. Sic Ioannis testimonium redditum est ex quacumque parte omni fide dignum et irrefragabile.

et ex praestantia rei testificatae.

Alterum, etiam testimonii ipsius praestantia et excellentia propter rem testificatam; testatus est enim Messiam iam venisse: *Medius autem stetit,* graece *stat,*[21] sed venisse incognitum, non cum gloria et maiestate, sed cum humilitate, sicut Zacharias ait: *Ipse pauper,* etc.;[22] hoc est quod ait: *Quem vos nescitis.* Humilitas autem haec nihil impedit divinam in eo maiestatem: *Ipse est qui post me venturus est* ad praedicandum et manifestandum seipsum, *qui ante me factus est,* mihi longe praepositus, infinitis partibus maior, ita ut *ego non* sim *dignus ut solvam,* etc.;[23] nempe ille est de quo scriptum est: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti,* etc.[24] Loquitur de excellentia humanae naturae in Christo. *Ante me factus est,* divina utique praedestinatione et ordinatione, secundum quam data est illi *omnis potestas in caelo et in terra.*[25] Hinc prius dixerat idem Ioannes: *Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat;*[26] idest propterea secundum humanam naturam praelatus mihi est, quoniam revera natura et persona multo praestantior me erat, ac tanto maior, quanto Deus homine.

Sic igitur Ioannes comparatione sui ostendit divinam Christi magnitudinem, ubi fere illud mysterium videri potest, quod in *Sacra Genesi* legimus de scala, quam in somnis vidit Iacob ad caput suum in caelum erectam, in cuius culmine Deum ipsum vidit, qui scalam illam veluti sustentabat,[27] nam Deus est qui de caelo fidem Sanctamque Ecclesiam sustentat.

Dirigite viam Domini.[28] Cum Messias verus sit Dominus noster, colendus adorandusque est, cum talis ac tantus sit Dominus, ut Ioannes dicat: *Cuius ego non sum dignus.*[29]

21) Io 1, 26. 22) 9, 9. 23) Io 1, 27. 24) Ps 8, 6-8. 25) Mt 28, 18.
26) Io 1, 15. Vulg.: *Qui post me venturus est,* etc. 27) Cf. 28, 12-13. 28) Io 1, 23.
29) Quattuor foliis albis relictis, transit ad Dominicam Quartam Adventus.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS

***Vox clamantis in deserto*: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* etc.** [1]

I. Proponitur initium praedicationis Evangelii, quod *virtus Dei est in salutem,* [2] per Ioannem, qui praedicatione sua praecucurrit praedicationem Christi, sicut nativitate sua nativitatem Christi, sicut lucifer praecedit solem, aurora diem, sicut praeco clamabat ante Ioseph ut omnes adorarent eum, quem rex constituerat principem super universam Aegyptum, [3] sicut Eliseus ad suscitandum filium sunamitidis praemisit servum suum cum baculo suo, sed statim postea ipsum secutus fuit; [4] ita Christus praemisit Ioannem cum baculo severae praedicationis, nam venit *in spiritu et virtute Eliae,* [5] *praedicans baptismum poenitentiae*: [6] *Poenitentiam agite.* [7] *Iam enim securis ad radicem arboris posita est; omnis arbor quae,* etc. [8]

Incipit hodie praedicatio Evangelii per Ioannem,

Sicut Moyses missus fuit a Deo ad populum tamquam praecursor et praenunciator ad praeparandos Hebraeorum animos ad accipiendam legem, quam Deus ipse de caelo daturus erat, ita praemissus fuit Ioannes ad praeparandos animos ad Evangelium, quod est *lex spiritus vitae.* [9] Et sicut ante latam legem auditus fuit sonitus buccinae, ut in *Exodo* legimus, qui paulatim crescebat in maius et prolixius tendebatur et vehementius perstrepebat, [10] ita praedicatio Ioannis ante praedicationem Christi veluti clangor tubae fuit: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam;* [11] Ioannes enim tuba Spiritus Sancti erat.

qui praecessit praedicationem Christi.

1) Pericope huius diei Lc 3, 1-6. Cf. Missale Rom. 2) Rom 1, 16. 3) Cf. Gn 41, 43. 4) Cf. 4 Rg 4, 28-37. 5) Lc 1, 17. 6) Mc 1, 4; Lc 3, 3. 7) Mt 3, 2. 8) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Arborum.* 9) Rom 8, 2. 10) Cf. 19, 18-19. 11) Is 58, 1.

Ego vox clamantis, idest vox Dei, de qua dicitur: *Vox Domini super aquas... vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* [12] Saepe autem in Sacris Litteris vox Domini tonitrum dicitur. Hinc in libro *Iob* legimus: *Tonabit Deus voce sua mirabiliter;* [13] et iterum: *Si habes brachium sicut Deus et si voce simili tonas.* [14] Hinc Ioannes audivit in caelo velut *vocem tonitrui magni;* [15] et filii Zebedaei dicti sunt *filii tonitrui* ob praedicationem. [16] Sic Ioannes Baptista tonitrum caeli magnum fuit.

Omnes creaturae voces Dei sunt,

II. *Vox clamantis in deserto.* Hodiernum Evangelium plenum est divinis vocibus. Nam omnes creaturae Dei voces sunt, hinc ait quod *caeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum;* nec sunt voces ignotae, quae intelligi non possint: *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur,* idest intelligantur, *voces;* sunt etiam voces magnae et validissimae, plus quam stentoreae: *In omnem terram exivit sonus eorum.* [17] Sic omnes creaturae praedicant Creatorem. Hinc Ioannes in *Apocalypsi* ait quod omnes creaturas, quae in caelo sunt et quae in terra ac sub terra, audivit Deum laudantes. [18] Utinam nos voces has audiremus!

praecipue vero principes Dei vices gerentes;

Singulariter autem voces Dei sunt principes mundi huius, nam ministri Dei sunt, Dei vices gerunt, condunt leges iustitiae, clamant ne fiat malum, ut fiat bonum. In hodierno autem Evangelio habemus principatum cum saecularem: *Anno quintodecimo imperii,* tum etiam sacrum: *Sub principibus sacerdotum.* [19] Hi duo principatus sunt veluti duae tubae Dei argenteae.

item divinae inspirationes, praedicatores,

Voces item Dei sunt inspirationes divinae et motiones Spiritus Sancti internae: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium.* [20] De his vocibus dicitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus;* [21] *Ego sto ad ostium et pulso.* [22] Voces Dei praedicatores, praecones divini verbi: *Venit in omnem regionem Iordanis praedicans.* [23] Voces Dei Divinae Scripturae: *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae Prophetae.* [24] Ipsum etiam desertum et regio circa Iordanem, quae, sicut in *Genesi* legimus, erat *sicut paradisus*

Sacrae Scripturae, bona temporalia

12) Ps 28, 3-4. 13) 37, 5. 14) Ibid. 40, 4. 15) Apc 14, 2. 16) Mc 3, 17. 17) Ps 18, 1-5. 18) Cf. 5, 13. 19) Lc 3, 1-2. 20) Ibid. 21) Ps 84, 9. 22) Apc 3, 20. 23) Lc 3, 3. 24) Ibid. vr. 4.

Domini,[25] voces Dei sunt, bonorum, inquam, temporalium tum copia tum penuria; Dei tum beneficia erga nos tum punitiones voces Dei sunt.

ipsaque mala;

Sed singulariter Ioannes Zachariae filius vox Dei dicitur; nam interrogatus ipse a Iudaeis quisnam esset, respondit: *Ego vox clamantis in deserto.* Ioannes homo erat ad imaginem Dei conditus, sed, iuxta nomen suum, gratia Spiritus Sancti plenus, homo iustus atque perfectus et in deserto vitam ducens non secundum carnem in Dei famulatu. Vox Dei potentissima est: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto.* Memoratur Ioannis generatio ortusque mirabilis, dum filius dicitur Zachariae, cui iam seni ex sterili et vetula uxore caelitus magno miraculo datus fuit;[26] homo nanque ab ipso ortu suo totus vox Dei est praedicans gloriam Dei.

sed singulariter Ioannes Dei vox dicitur, quia plenus Spiritu Sancto.

Adsit hic impius ille atheus insipiens, qui in corde suo dicit: *Non est Deus,*[27] et licet surdissimus sit, audiet tamen hanc Dei vocem in homine. Primo quidem in hominis conceptu, in formatione humani corporis in locis maternis, quomodo ex tam modica seminis materia, tota similari, formatur tanta moles corporis aeterogenei, tanto cum artificio, tam mirabili, incomparabili, incomprehensibili! Natura, inquiunt, efficitur opus hoc. Sed quidnam est natura in maternis locis tanto viribus intellectus humani superior, ut facillime ipsa efficiat quod omnis ars et industria totius humanae intelligentiae non potest efficere, immo nec capere et intelligere?

Opus vero mirabile Dei est hominis formatio,

R e g i u s V a t e s opus hoc miratur et stupet: *Confitebor tibi quoniam terribiliter magnificatus es,* hebraice: *mirabiliter mirabilis factus sum; mirabilia opera tua et anima mea cognoscet nimis. Non est occultatum os meum,* corpus meum, substantia mea, *a te quod fecisti in occulto et substantia mea in inferioribus terrae,* hebraice: *rukamti, acupinxisti* me; *imperfectum meum, golmi, embryonem meum, viderunt oculi tui,* etc.[28] Formationem corporis nostri mirabiliter mirabilem dicit, quoniam supra modum mirabilis est.

25) 13, 10. 26) Cf. Lc 1, 18. 27) Ps 13, 1; 52, 1. 28) Ps 138 (hebr. 139), 14-16. Vulg.: *Cognoscit nimis.*

in singulis suis partibus externis,

Deinde dicit: *Mirabilia opera tua,* quoniam omnis pars corporis nostri mirabili artificio fabrefacta est, maxime autem omnium caput, ubi respublica spirituum, sedes sensuum, sapientiae thesaurus, animae nostrae arx et palatium huius civitatis vel civitas metropolis regni corporis nostri. In capite autem extrinsecus quidem quam mirabilis facies, intrinsecus quam mirabile ingenium et memoria! Facies hominis magnum est mundi miraculum, per quam homo aliis hominibus simillimus et dissimillimus est, per quam homo et ab animalibus et ab hominibus singulari forma discernitur atque dignoscitur; quae etiam veluti platea est, ubi cernuntur insignia passionum animi, ubi mirabile et incomprehensibile Dei artificium deprehenditur. Cum enim decem tantum partibus constet [28a] et omnes partes suis semper locis sint positae ordineque dispositae, mirum est quanta in hominum utriusque sexus reperitur varietas. Ex alphabeti viginti duabus litteris multae quidem et differentissimae voces componuntur linguae latinae, italicae, germanicae, gallicae, hispanicae. Sed litterae non semper eodem modo sunt dispositae, sicut in alphabeto sunt ordinatae; nam aliquando prima alphabeti littera in dictione est ultima et ultima prima. Partes autem faciei semper eodem modo dispositae sunt, et tamen omnes omnium hominum vultus differentes sunt. Opus igitur est mirabilis sapientiae; nam vix reperietur pictor, licet excellentissimus, qui vel mille hominum vultus differentes pingat ex sua inventione et ingenio, licet felicissimo. Sic homo vox Dei in capite extrinsecus.

miro ordine dispositis,

et tamen cum tanta individuorum varietate;

sed adhuc mirabilius in potentiis internis.

Intrinsecus autem quid de ingenio dicendum est? Unde origo omnium artium, disciplinarum, doctrinarum, legum, linguarumque omnium? Unde tam mirabiles rerum inventiones? Ingenium hominis fons et origo est omnis eruditionis, scientiae, disciplinae et artis. Memoria autem penum ditissimum et thesaurus pene infinitus divitiarum, ingenii, scientiarum, artium, disciplinarum, historiarum, legum, linguarum, verborum, conceptuum, cogitationum, et vix capere possumus quo in una capitis nostri particula infinita pene multitudo specierum, absque ulla confusione aut perturbatione consistat, ut quodcumque volumus memoria ad nutum promptissime suppetat. Sunt in memoria multo plures rerum verborumque species, quam

28a) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 7, cp. 1, pag. 106.

stellae in caelo et guttae aquae in mari, et tamen tam modico loco continentur! Opus Dei est.

praesertim in intellectu et voluntate.

Anima etiam rationalis in homine, ad Dei imaginem condita, vox Dei est, infinita capacitate tum intellectus tum voluntatis. Intellectus enim avidissimus est scientiae et cognitionis omnium rerum; voluntas autem bonorum omnium in infinitum appetentissima, maxime autem laudis, honoris et voluptatis, ut sit homo perpetuo felix et beatus.

Sed Ioannes singulariter vox Dei dicitur ob suam sanctitatem.

Sed Ioannes in deserto singulariter dictus est vox Dei, homo in carne, non vivens secundum carnem, in mundo non vivens secundum mundum, qui bona omnia mundi huius contemnit ut stercora, qui omnes corporis sensuumque animales voluptates fugit et Dei tantum et virtutis cultu delectatur. Hic Dei vox est, nam facilius est ut homo sine cibo et potu quam sine aliqua voluptate vivat. Qui ergo nulla visibili voluptate fruitur, necesse est ut invisibili fruatur, ut manna abscondito cibetur, sicut populus in deserto.[29] Multo beatiores erant Hebraei in arido deserto quam in Aegypto, quae paradisus videbatur, multo beatior Ioannes in deserto quam Tiberius Imperator in mundo. Sunt ergo invisibilia bona Dei.

Dicitur *vox clamantis*, idest Dei, qui per Ioannem ad nos clamabat.

III. *Vox clamantis in deserto.* Videndum est cur dicitur vox clamantis et quid clamans dicat. *Vox clamantis*, idest Dei, qui per Ioannem ad nos clamabat. Sed quomodo clamare dicitur Deus, qui perpetuo silere videtur? Nam per Isaiam ait: *Tacui semper, silui.*[30] Apud Aegyptios crocodilus erat Dei hierogliphycum, quoniam elinguis est;[31] in sanctuario ad pontificem summo cum silentio oracula et responsa dabat et silentio quam maxime laudatur. Hinc Regius Vates ait: *Tibi silentium laus, Deus, in Sion;*[32] nec decet clamor regiam maiestatem; nam clamor pusillanimitatis indicium est, animi timore vel dolore aut indignatione, sive etiam admiratione turbati manifestum signum. Principes autem animi magnitudo quam maxime decet, hinc a tenera aetate assuescunt et a magistris morum etiam docentur in loquendo et gestu corporis quam maxime gravitatem servare. Deus autem *Rex regum* est.[33]

29) Cf. Ex 16, 12-16. 30) 42, 14. 31) Cf. Beyerlink *Theatrum Vitae Humanae*, sub voce: *Superstitio*, pag. 430. 32) Ps 64, 2. Ex hebraico. 33) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

Quomodo ergo clamat? Aut quid opus ei est clamare, cui ad nutum obediunt omnia? Sed amor maiestatem servare nescit. Quis principum videns in magno periculo carissimos filios non exclamat? David rex, audita morte Absalom, amare flebat et clamabat;[34] rex Iosaphat, videns seipsum in magno periculo, dum pugnarent contra eum Assyrii, exclamavit.[35] Deus nostri amantissimus est: *Sic Deus dilexit mundum.*[36] Postquam homo satanae opera in magnum salutis discrimen adductus fuit et semivivus relictus, auditus fuit clamor Dei: *Vocem tuam,* Domine, *audivi et timui,*[37] vocem terribilem edidit.

Magno clamore opus est ad divina praedicanda.

Sed si intelligamus quidnam vox ista clamet, sciemus cur magno clamore opus fuerit: *Parate viam Domini.* Sicut homo ad spiritualia et divina caecissimus est, ubi ad carnalia et mundana Argo oculatior est,[38] ita ad illa quidem surdus est, cum ad haec aures habeat Midae.[39] Ad divina homo valde surdaster est, gravissimum habet auditum; clamore opus est, - hinc Deus magna voce tonans legem dedit,[40] hinc etiam Dominus in templo magna voce clamans dicebat: *Si quis sitit, veniat ad me,*[41] hinc magna voce clamans Lazarum suscitavit[42] - ad mundana et carnalia auditum acutissimum habet.

Via recta significat studium virtutis et vitam sanctam.

Dirigite viam Domini, rectas facite semitas eius. Viam rectam appellat virtutis studium, vitam sanctam. Via recta est vel natura vel arte; natura recta est cum medium respondet extremis, nulla obliquitate exorbitat. Talis fuit vita Christi, talis vita Virginis Beatissimae, talis fuisset vita hominum in paradiso, si Adam non peccasset, talis est vita Angelorum in caelo, talis etiam fuit vita Ioannis in deserto. Arte autem recta bonaque est via quae hominum diligentia facta est recta, plana et expedita, remotis impedimentis, quae viam vel impossibilem vel difficilem reddunt. Sed ad aliquid rectificandum mensura opus est, regula recta, iusta, sed proportionata; neque enim ad rectificandam viam perpendiculum adhibetur, sed

34) Cf. 2 Rg 18, 32 sq. 35) Cf. 3 Rg 22, 32. 36) Io 3, 16. 37) Gn 3, 10. 38) Iuxta fabulam, Midas, rex Phrygiae, cum Pan et Apollo carmine decertarent, iudex electus, Pan Apollini praetulit, unde indignatus Apollo, ei asininas aures addidit. Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 29, f. 205b; Ovidius *Metamorph.*, lib. 11, vrr. 75-80. 39) Item ad fabulam alludit, iuxta quam Antiqui centum oculos Argo tribuebant custodienti Iunonis iuvencam. Cf. Ovidius *Amorum*, lib. 3, eleg. 4, vrr. 19-20; Hyginus *Fabulae*, fab. 145. 40) Cf. Ex 19, 18 sqq. 41) Io 7, 37. 42) Cf. ibid. 11, 43.

linea ad amussim posita. Ita plane ad vitam hominum regulandam opus erat rectissima regula, absque ullo errore. Solus autem Deus sine peccato est: *Sancti eritis, sicut et ego sanctus sum;*[43] *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.*[44] Sed inter Deum et hominem, uti inter finitum et infinitum, nulla erat proportio. Propterea ad sanctificandum exemplo etiam suo hominem, Deus factus est homo, ad vitam hominum rectificandam aptissima regula, nam cum Deus sit infallibilis, regula est, et cum sit homo, nobis proportionatissima. Hinc Paulus ait: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.*[45]

Ideo Deus homo factus est, ut nos exemplo suo sanctitatem doceret.

Dirigite viam Domini, rectas facite semitas. Rectum est quod respondet extremis; extrema autem hominis sunt principium et finis vitae, nativitas et mors. Nascitur homo nudus et nudus moritur. Ad quid ergo tanta cura divitiarum, honorum, voluptatum?

Recta via est contemnere mundana et sola caelestia quaerere.

Apud geometras recta linea dicitur quae inter duo puncta brevissima est, nam quae vel minimum deflectit in arcum aut obliquitatem aliquam, longior semper est recta, ita ut recta sit linea, quae per medium tantummodo necessarium transit. Paulus ait: *Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus.*[46]

Linea iustitiae symbolum et hieroglyphicum est, hinc Deus iustus et rectus dicitur et rectum iudicium ipsius.[47] Deus hominem rectum fecit figuramque corporis rectam dedit. Satanas autem hominem incurvavit, sicut legimus de muliere incurvata, quae sursum respicere omnino non poterat, quam tamen Christus Dominus erexit et pristinae integritati restituit.[47a] Utinam nos Dominus erigat et dirigat!

IV. *Factum est verbum Domini super Ioannem.* Agitur in hodierno Evangelio de principio praedicationis Evangelii et duo ostenduntur: quisnam fuit primus Evangelii annunciator et quidnam praedicavit. Praedicator fuit Ioannes, Zachariae filius, magnus ille Ioannes, de quo Angelus: *Erit enim magnus coram Domino et Spiritu Sancto replebitur; Praecedet in spiritu et virtute Eliae;*[48] de quo

Magnus praedicator Ioannes, quia sanctissimus

43) Lv 11, 45; 1 Petr 1, 16. Vulg.: *Quoniam et ego*, etc. 44) Mt 5, 48. 45) Gal. 6, 16. 46) 1 Tim 6, 8. Vulg.: *Habentes alimenta*, etc. 47) Cf. Ps 118, 137. 47a) Cf. Lc 13, 10-13. 48) Ibid. 1, 15-17.

Dominus: *Inter natos mulierum,* etc.,[49] qui praedicationis munus non humano spiritu ductus ex seipso suscepit, nam: *Quomodo praedicabunt nisi mittantur?*[50] sed *factum est verbum Domini super eum.* Missus fuit sicut propheta Dei, factus idoneus minister Novi Testamenti, non littera sed spiritu.[51] Sicut autem cum Deus Moysen ad Hebraeos misit, dixit ei: *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris;*[52] et sicut Ieremiae dixit: *Ecce dedi verba mea,* etc.;[53] Ezechieli volumen de caelo dedit ad devorandum, ac sic misit eum ad praedicandum,[54] Apostolos prius Spiritu Sancto replevit et postea ad praedicandum misit; ita Ioannes missus a Deo praedicavit, doctus a Deo: *Beatus homo quem tu erudieris Domine.*[55] In schola deserti Ioannes optimum magistrum habuit et ab eo accepit doctoratus insignia.

et a Deo illustratus

Fuit autem Ioannes optimus praedicator, hinc totus vox erat et vox magna, vox potens, hoc enim est: *Vox clamantis in deserto.* Fuit etiam praedicator dogmaticus, criticus et paraeneticus; docebat, arguebat, movebat magna cum virtute spiritus.

et saluberrimae doctrinae praedicator.

Sed quid praedicabat? *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Praedicabat Christi adventum in mundum, Incarnationis mysterium, Christi divinitatem; praedicabat gloriam paradisi: *Videbit omnis caro salutare Dei;*[56] *Appropinquavit regnum caelorum;*[57] praedicabat iudicium Dei: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?*[58] *Ventilabrum in manu eius,* etc.; praedicabat poenas inferni: *Paleas comburet igni inextinguibili;*[59] *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur;*[60] praedicabat poenitentiam necessariam ad salutem: *Poenitentiam agite, appropinquavit,* etc.; *Facite fructus dignos poenitentiae,*[61] nam si quis debeat quingentos aureos, non satisfacit creditori si quinquaginta solvat. Sic saluberrimam doctrinam praedicabat iuxta vaticinium patris sui: *Tu puer propheta Altissimi vocaberis, praeibis ante Dominum parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum.*[62]

49) Mt 11, 11. 50) Rom 10, 15. 51) Cf. 2 Cor 3, 6. 52) Ex 4, 12. 53) Ier 1, 9. 54) Cf. Ez 3, 1-4. 55) Ps 93, 12. 56) Lc 3, 6. 57) Mt 3, 2. 58) Lc 3, 7. 59) Ibid. vrr. 17-18. 60) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Non faciens,* etc. 61) Ibid. vr. 8. 62) Ibid. 1, 76-77. Quattuor paginis albis relictis, transit ad Vigiliam Nativitatis Domini.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam, etc. [1]

I. Mysterium supernaturalis conceptionis et nativitatis Christi in utero Virginis divinitus per Angelum revelatur Ioseph in hodierno Evangelio, ad eximendam ex animo ipsius ortam adulterii suspicionem. [2] Ostenditur autem, una cum ipsa supernaturali conceptione, et dignitas eius qui conceptus est et auctoritas potestasque divina: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [3]

Ostenditur dignitas Christi, dignitas Mariae et dignitas Ioseph. Dignitas Christi a conceptione: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est;* [4] nam: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* [5] Dignitas ab opere: *Salvum faciet populum suum;* a nomine, non casu, sed divino consilio imposito et per Angelum revelato; [6] ac tandem ab oraculo prophetico, nam *hoc totum,* inquit, *factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam: Ecce Virgo concipiet et pariet filium,* etc.; [7] quod autem ait oraculum: *Vocabitur... Emmanuel,* [8] idem est ac erit, sicut Isaiae 1: *Vocaberis civitas iusti, urbs fidelis,* [9] et 60: *Vocabunt te civitatem Domini;* [10] similiter Ieremiae 3 [11] et Zachariae 8; [12] sic quod dicitur Isaiae 8: *Voca nomen eius: accelera spolia detrahere,* etc.; [13] et capite 9: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,* etc., [14] hoc est, talis erit, sicut: *Domus mea domus orationis vocabitur,* [15] idest erit; sic: *Filii Dei vocabuntur,* [16] idest erunt et tales apparebunt cognoscenturque ac propterea vocabuntur. Ita Messias talis futurus erat talisque agnoscendus habendusque erat. Haec autem omnia Iesu nomen continet. Nam: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* [17] Hinc ergo dictus est *Emmanuel, no-*

Ostenditur hodie dignitas Christi

ex Evangelio et Prophetis,

1) Pericope huius diei Mt 1, 18-21. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Mt 1, 20. 3) Ibid. vr. 21. 4) Ibid. vr. 20. 5) Lc 1, 35. 6) Cf. Mt 1, 21; Lc 1, 31. 7) Mt 1, 22-23. 8) Is 7, 14. 9) Vr. 26. 10) Vr. 14. 11) Cf. vr. 17. 12) Cf. vr. 3. 13) Vr. 3. 14) Vr. 6. 15) Ibid. 56, 7. 16) Mt 5, 9. 17) Lc 5, 21.

biscum Deus, nobiscum potens aut etiam potentia. Nam Deus ita dicitur, quoniam est ipsamet potentia, sicut sol lux.

dignitas etiam Mariae

Dignitas Mariae, quod sit vera Mater Christi divinitus supernaturaliter facta, non naturali consuetoque more: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Sic praedicatur ab Angelo vera Christi Mater, sed divinitus facta. Hinc ait: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria*, ponitur virgo vera, sed ita tamen ut semper manens vera virgo, esset etiam vera hominis Ioseph sponsa et vera Mater Dei hominis, Christi. Ingens revera divinumque miraculum: *Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?* Isaiae 66.[18]

et dignitas Ioseph.

Dignitas vero Ioseph ponitur a nobilitate generis: *Ioseph fili David;*[19] a virtute: *Cum esset iustus;*[20] ab auctoritate in Virginem et in Christum, nam in Virginem habuit auctoritatem mariti: *Cum esset desponsata; Ioseph autem vir eius;*[21] *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;*[22] in Christum autem habuit auctoritatem patris. Nam etsi non natura, auctoritate tamen pater Christi fuit; hinc ait ei Angelus: *Vocabis nomen eius Iesum.*[23]

Deus Filio suo domum pauperem praeparavit,

II. Sed quoniam hodie dies est praeparationis ad digne celebrandum natalem diem Christi, videndum hic quem locum praeparavit Deus unigenito Filio suo in hoc mundo. Praeparavit enim ei domum Ioseph et Mariae, domum quidem paupertatis et humilitatis in oculis mundi, sed tamen domum summae nobilitatis in oculis Dei, quia in ea magna erat virtutum suppellex, magna sanctitas, honestas et castitas virginalis, caritas coniugalis et moralis probitas: *Ioseph vir eius, cum esset iustus*, idest vir pius, bonus, innocens, omni virtutum genere ornatus; *cum esset* homo *iustus*, optimae conscientiae. Hisce rebus Deus quam maxime delectatur. Sic legimus in Evangelio domum, eiecto daemone, scopis mundatam et ornatam;[24] erat domus haec munda ab omnibus vitiis, nullum hic legitur peccatum, ornata omnibus virtutibus.

sed omni virtutum genere ornatam.

Hoc est quod agere debemus, ut nascituro in nobis Christo dignum locum praeparemus: *Ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et pie et iuste vivamus.*[25] Sic praeparanda sunt corda nostra Domino.[26]

18) Vr. 8. 19) Mt 1, 20. 20) Ibid. vr. 19. 21) Ibid. 22) Ibid. vr. 20. 23) Ibid. vr. 21. 24) Cf. ibid. 12, 14; Lc 11, 25. 25) Tit 2, 12. Vulg.: *Iuste et pie vivamus.* 26) Aliquibus lineis albis relictis, transit ad Festum Nativitatis Domini.

IN NATIVITATE DOMINI

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia, etc. [1]

I. Concinit Angelus Vati Isaiae: *Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia... Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis,* etc. [2] Quod ait Angelus *gaudium magnum,* Isaias ait: *Laetabuntur coram te,* ante faciem tuam, idest cum tu apparueris; sicut etiam Zacharias ait: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce Rex,* etc.; [3] quod autem ait Angelus: *Invenietis infantem,* [4] Isaias ait: *Parvulus natus est nobis*: quod tandem Angelus: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus,* [5] Isaias ait: *Factus est principatus,* imperium, *et vocabitur admirabilis, miraculum,* etc. [6] Annunciatur ab Angelo Christi nativitas,

Evangelizo gaudium magnum vobis. Laetatus est hodie Deus, sicut Abraham cum natus fuit ei Isaac; [6a] laetati Angeli, canunt enim: *Gloria in excelsis Deo,* etc. [7] Sed singulariter: *Vobis annuncio gaudium magnum, quia vobis natus est Salvator, qui est Christus Dominus, Iehovah,* Deus omnipotens, solus enim Deus Dominus est Angelorum. Sic Zacharias ait: *Exulta, iubila, quia rex tuus venit tibi iustus et Salvator.* Haec tanti causa est gaudii. Isaias insinuat quidnam sit Salvator: *Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius confregisti, sicut in die Madian,* [8] quando divino miraculo per Gedeonem liberatus fuit populus quae magnum gaudium attulit hominibus,

1) Pericope huius diei Lc 2, 10-14. Cf. Missale Rom. 2) 9, 3-6. 3) 9, 9. 4) Lc 2, 12. 5) Ibid. vr. 11. 6) 9, 6. Ex hebraico. 6a) Cf. Gn 21, 1-7. 7) Lc 2, 14. 8) 9, 4. Vulg.: *Superasti sicut,* etc.

Christus enim verus Salvator est, quia liberat a peccato, causa omnium malorum.

a gravi captivitate.[9] Populus autem, cum se liberum vidit a captivitate Aegypti, transmisso mari Rubro, mirum in modum laetatus fuit: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.*[10] Salvator igitur est liberator ab omnibus malis, a potestate diaboli, mortis, inferni atque peccati: *Salvum faciet populum a peccatis;*[11] peccatum enim in causa fuit omnium malorum; remota autem hac causa, omnes removentur effectus.

et iram Dei placat.

Alio in loco Isaias aliam reddit causam dicens: *Consolamini, consolamini populum meum... loquimini ad cor Ierusalem... quia completa est malitia eius, dimissa est iniquitas ipsius; suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis,*[12] idest placatus est Deus ei, efferbuit iam ira ipsius, non militabit amplius contra eam, dimisit, pepercit iam iam iniquitati et pro poenis, quas passa est, suscipiet de manu Domini multo plura beneficia. Ira Dei peccati causa ex odio iniquitatis, in mundo causa fuit omnium malorum; placato autem Deo, nihil timendum, sed multum sperandum est: *Pax hominibus bonae voluntatis.*[13]

Gaudium magnum attulit etiam B. Virgini.

Bethlehemitae congratulabantur Noemi cum natus fuit Obed dicentes, quod natus ei erat infans, qui melior futurus erat ei quam septem filii;[14] ita nobis hodie congratulandum est Deiparae Virgini, quia natus est ei talis ac tantus Filius, nam congratulati sunt ei hodie Angeli: *In terra pax hominibus bonae voluntatis.*

Vere miraculum Christus, quia Deus altissimus factus infans humillimus.

II. *Natus est vobis Salvator; Invenietis infantem.*[15] Videtur Angelus paradoxa dicere. Primo dicit: *Natus est vobis Salvator, qui est Dominus,* idest verus Deus. Deo autem haec competunt, ut suapte natura sit aeternus, infinitus, invisibilis, infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis et altissimae maiestatis: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.*[16] Quomodo ergo: *Invenietis pannis involutum infantem ac positum in praesepio?* Isaias etiam paradoxa visus est dicere: *Parvulus natus est nobis, et vocabitur Deus, fortis, Pater aeternitatis;* sed Christum ideo appellavit *miraculum.* Hinc Habacuc aiebat:

9) Cf. Idc 7, 12 sqq. 10) Ex 15, 1. 11) Mt 1, 21. 12) 40, 1-2. Vulg.: *Popule meus... Quoniam completa est... iniquitas illius,* etc. 13) Lc 2, 14. 14) Cf. Ruth 4, 13-15. 15) Lc 2, 12. 16) Ps 96, 9.

Admiramini et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. [17]

Angelus, qui nativitatem Christi pastoribus nunciavit, magna luce amictus apparuit, nam in obscuro loco ad invenienda quae parva sunt luce opus est; hinc mulier illa evangelica ad inveniendam drachmam accendit lucernam. [18] Deus quidem magnus est; sed quando in Christo factus est parvus, nam *exinanivit semetipsum,* [19] ad inveniendum eum luce angelica opus fuit.

Evangelizo gaudium, quia, ut Paulus ait, *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,* [20] quia *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere,* [21] non punire, sicut cum venit ad puniendum peccatum parentum nostrorum, quare timuerunt, audito Dei adventu. [22] Laetati fuerunt Hebraei ad arcae Domini adventum. [23]

venit enim ad salvandum.

Idem omnino dicere videtur hic Angelus quod ibi Isaias; uterque veluti per scalam Iacob, in cuius culmine Deus erat, moventur, [24] sed Angelus descendit. Nam prius dicit: *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus,* et postea: *Invenietis infantem,* etc.; Isaias vero ascendit: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus,* etc., factus est principatui subiectus, hinc ut pareret edicto Caesaris, voluit cum ceteris describi; [25] deinde vero: *Vocabitur nomen eius admirabilis,* etc. Paulus Apostolus simul descendit et ascendit per hanc scalam: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est,* etc.; *propter quod et Deus exaltavit illum,* etc. [26] Sic utique in hoc mysterio ostenditur nostri causa humiliatus Deus, exaltatus homo; nostri, inquam, causa, nam ita tandem Isaias concionem suam concludit: *Zelus Domini exercituum fecit hoc,* [27] et Paulus: *Propter nimiam caritatem qua dilexit nos, Filium suum* misit *in similitudinem carnis peccati.* [28] Vere possumus dicere hodie: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret,* [29] nam ita Isaias ait: *Filius datus est nobis.*

ideo semetipsum humiliavit ut nos exaltaret,

17) 1, 5. 18) Cf. Lc 15, 8. 19) Phil 2, 7. 20) Tit 3, 4. Affert ordine inverso. 21) 1 Tim 1, 15. 22) Cf. Gn 3, 10. 23) Cf. 1 Rg 4, 5. 24) Cf. Gn 28, 12-13. 25) Cf. Lc 2, 1-5. 26) Phil 2, 6-7. 27) 9, 7. Vulg.: *Faciet hoc.* 28) Eph 2, 4, cum Rom 8, 3. 29) Io 3, 16.

Declarat autem Angelus ad quid datus sit nobis, nempe in Salvatorem, sicut Moyses, Iosue, Ioseph, in regem, in Dominum. *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus.* Datus in cibum, hinc natus est in Bethlehem, quae d o m u s p a n i s interpretatur, hinc positus in praesepe, ubi cibus animalium ponitur. Revera hodiernum mysterium evidentissima est divinae erga nos caritatis.

sic ostendens infinitam erga nos caritatem,

O vere divinae caritatis potentia, quae omnipotentem Deum potuit de caelo in terram trahere et vinctum hodie fasciis in praesepio collocare! Sapiens ille ait nihil potentius esse veritate. [30] Ego autem dicam nihil potentius esse caritate, quae etiam Deum quodammodo potuit superare. O spectaculum, o miraculum divinae caritatis! Hinc puer iste ab I s a i a miraculum appellatur: *Vocabitur nomen eius pele, miraculum.* Nam si sapientibus magnum miraculum visus est homo, [31] quia spiritu et carne constat videturque simul et animal terrenum et caelestis angelus esse, quanto magis Christus, qui verus est Deus et homo? homo autem passibilis, mortalis, parvus, pauper, humilis? Sed caritas haec omnia fecit.

qua motus venit ad dandam nobis felicitatem sempiternam.

Christus in praesepio mirabilis est etiam Angelis, qui ad divinam eius pulcritudinem contemplandam de caelo descendunt. *Consiliarius* hominibus: quam divina consilia dat mundo Christus in praesepio! *Deus fortis,* sive potens gigas, *princeps pacis,* idest princeps fortunatus, *pater futuri saeculi, pater aeternitatis, ad multiplicandum imperium* et pacem sive felicitatem sine fine; nam ad hoc venit in mundum, ad dandam hominibus perpetuam sempiternamque felicitatem in regno caelorum. Nam pater aeternitatis nihil aliud est nisi auctor vitae aeternae. Coniungit autem vitam aeternam cum infinita pace, nunquamque interitura felicitate. Quare tria illa quae Angelus dixit: *Salvator, Christus, Dominus,* I s a i a s multis verbis expressit.

Causa tanti gaudii est nascentis omnipotentia,

III. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis,* etc. Duplici titulo ostendit magnitudinem gaudii: ab eo quod is qui natus est potest, et ab eo quod vult. Ab eo quod potest, quia *Salvator Christus,* idest rex, *Dominus,* idest verus Deus; ab eo quod vult,

30) Cf. 3 Esr 4, 34-41. 31) Cf. Mercurius Trismegistus *Asclepius,* cp. 3, pag. 482.

qua omnia potest,

quia nostra causa voluit multa pati: *Invenietis infantem*, etc. Id quod potest Isaias multis expressit illum dicens esse Deum, potentem, principem pacis, instar Salomonis ditissimum, felicissimum, patrem aeternitatis, idest auctorem aeternae vitae; quare cum Deus sit omnipotens, dare potest hominibus et vitam immortalem et felicitatem sempiternam. Deinde adiungit divinum amorem: *Zelus Domini exercituum*, idest Dei omnipotentis, *fecit hoc*. Zelum autem dicit ardentissimum amorem.

et bonitas, qua omnia patitur propter nos.

Ostenditur autem efficax voluntas; nam quando princeps aliquid magno etiam cum suo dispendio et incommodo molitur, manifestum est revera et ex animo illud desiderare et velle. Hinc magnum oritur gaudium ex infinita Nati huius potestate, nec minori bonitate et caritate erga nos. Nam ex ardenti salutis nostrae desiderio descendit de caelo in terram et propter nos multa pati voluit, ut etiam hodie patet qualem passus est paupertatem, qualia incommoda, qualem humilitatem.

Evangelizo, faustum nuncium significat.

Evangelizo vobis. Evangelion graece bonum, idest faustum iucundumque nuncium significat, sicut hebraice *beschorah*, licet aliquando hebraeis haec vox significet etiam donum, quod pro laeto nuncio dari solet, *2 Regum* 4 [32] et 18. [33] Semper autem hac voce utuntur hebraei in faustis nunciis, veluti nunciis victoriarum, nisi quod *1 Regum* 4 et *2 Regum* 1 tristia significare videtur; nam priore loco nunciabatur ruina exercitus, mors principum filiorum Heli et captura arcae, [34] posteriore vero clades exercitus morsque regis Saul et filii eius Ionathae. [35] Attamen in his etiam locis proprium habet significatum, nam priore quidem nuncium dicitur *mebascer*, pro expectatione populi, nam cum scirent arcam Domini esse in castris, certissimum victoriae nuncium opperiebantur et expectabant; posteriore vero, quoniam ait: *Ne evangelizetis in civitatibus Philisthaeorum ne exultent filiae incircumcisorum;* [36] calamitas enim Hebraeorum Philisthaeis laetitiam afferebat. Evangelium igitur bonum optatumque nuncium significat. Angelus autem hic optatissimus nuncius est, quo nec melior nec optabilior ad homines venire nec

32) Cf. vr. 10. 33) Cf. vrr. 19-20. 22. 25. 27. 34) Cf. vr. 17. 35) Cf. vrr. 1-12.
36) Ibid. vr. 20. Cf. Pagnini *Lexicon Hebraicum* sub voce: בָּשָׂר, col. 337, iisdem fere verbis.

a Deo quidem mitti potuit. Nunciat enim Deum ipsum procurandae salutis et felicitatis nostrae gratia hominem factum, quia inquit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.*

ALIA HOMILIA

Impleti sunt dies Mariae ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, etc. [1]

Describitur persona nascentis.

I. In sacratissima hodiernae festivitatis solemnitate repraesentatur nobis temporalis nativitas Unigeniti Filii Dei, Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, quod revera ineffabile mysterium est. Sed tamen ab Evangelista in historica nativitatis huius descriptione tria enarrantur: persona nascentis, tempus et locus nativitatis. Persona describitur ab Evangelista: *Peperit Filium suum primogenitum*, iuxta quod dictum praedictumque fuerat ei ab Angelo ante conceptionem, in ipsa annunciatione;[2] describitur ab Angelo: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus*, etc.;[3] describitur a pastoribus: *Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis;*[4] *Et omnes qui audierunt mirati sunt de his quae dicta erant*, etc.;[5] praeterea describitur nascentis persona a Ioanne in Evangelio tertiae Missae[6] et a Paulo in tribus Epistolis: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri;*[7] *Apparuit benignitas et humanitas Salvatori nostri Dei,*[8] *Locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius*, etc.[9] Ab Evangelista dicitur Filius primogenitus Mariae, ut alludat ad illud oraculum: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium;*[10] Ioannes addit, et Christum Unigenitum Filium Dei appellat: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi Unigeniti a Patre,*[11] hinc Angeli gloriam canunt;[12] Paulus et Filium et Primogenitum Dei dicit: *Locutus est nobis in Filio. Cui enim Angelorum aliquando dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te?...*

Primogenitus Dei factus est primogenitus Virginis.

1) Lc 2, 6-7. 2) Cf. Ibid. vr. 31. 3) Ibid. vr. 11. 4) Ibid. vr. 15. 5) Ibid vr. 18. 6) Cf. 1, 1-14. 7) Tit 2, 11. 8) Ibid. 3, 4. 9) Hebr 1, 2-3 10) Is 7, 14. 11) 1, 14. 12) Cf. Lc 2, 13-14.

Et cum iterum introducit Primogenitum suum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. [13] Inde concludit Christum tanto praestantiorem Angelis esse quanto praestantius nomen sortitus est. [14] Dicitur autem Christus Filius Dei Primogenitus, sicut: *Filius meus primogenitus Israel;* [15] *Primogenitum ponam illum excelsum prae regibus terrae;* [16] *Qui est imago Dei invisibilis, Primogenitus omnis creaturae;* [17] *Ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus;* [18] *In omnibus primatum tenens.* [19] Ab Angelo infans natus dicitur *Salvator Christus Dominus;* Ioannes: *In ipso vita erat et vita erat lux hominum,* [20] auctor vitae aeternae; Paulus vero Deum Salvatorem dicit, [21] idest omnipotentem ad salvandum; itemque: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens,* etc. Pastores dicunt Verbum factum et ostensum a Domino; Ioannes ait: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis,* Verbum autem de quo dixerat: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum... omnia per ipsum facta sunt,*[22] sicut per manum artificis fit omne opus artis; sic et Paulus: *Per quem fecit et saecula; portans omnia verbo virtutis,* idest potentia et fortitudine sua, veluti divinus quidam Atlas mundum universum humeris suis sustentans. [23] Sic declaratur qualitas personae nascentis, quod infans sit primogenitus, unigenitus Filius Virginis et verus Unigenitus Filius Dei, verus Deus.

Deus maximus mundi Salvator.

Ponitur locus nativitatis, ut alludatur ad vaticinium Michaeae: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis,* [24] praeter mysterium, nam vere Bethlehem domus panis, Ephrata frugifera dici potest, nam hic *terra dedit fructum suum,* [25] dedit vobis panem vitae aeternae. Nascitur autem in stabulo ad designandum quod mundus hic peccati causa factus est animalium habitatio: *Homo, cum in honore*

Ponitur locus nativitatis, humillimus et pauperrimus.

13) Hebr 1, 5-6. Vulg.: *Cui enim dixit aliquando Angelorum,* etc. 14) Cf. ibid. vr. 4. 15) Ex 4, 22. 16) Ps 88, 28. 17) Col 1, 15. 18) Rom 8, 29. 19) Col 1, 18. 20) 1, 4. 21) Cf. 1 Tim 1, 1; Tit. 2, 11-13. 22) 1, 1-3. 23) Cf. Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 4, cp. 7, pag. 182-184; Virgilius *Aeneid.,* lib. 4, vrr. 245-246. 24) 5, 2. Vulg.: *Parvulus es in millibus,* etc. 25) Ps 66, 7.

esset, non intellexit, comparatus est, etc.[26] Ponitur in praesepio, ubi cibus animalium ponitur, quia ad hoc venit, ut panis hominum esset.

Indicatur tempus.

Ponitur nativitatis tempus, quod natus sit tempore romani imperii, ut alludatur ad vaticinium Danielis de lapide exciso sine manibus percutiente statuam et postea in immensum crescente.[27] Hoc mysterium habemus hic hodie: contra romanum imperium parvus lapis, Christus natus de Virgine, idest sine manibus excisus; parvus lapis factus fuit divinitus magnus: parvus Christus in praesepio, magnus in caelo, praedicante Angelo: *Quia natus est,* etc. Nocte natus est obscura, in tenebris, nam: *Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est;*[28] *Surge, illuminare, quia venit lux tua et gloria Domini super te orta est... super te orietur Dominus et gloria eius in te videbitur.*[29]

Qui natus est, Salvator appellatur

II. *Natus est vobis hodie Salvator.* Paulus hodie duplici paraphrasi exponit: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri; Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri;*[30] itemque: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei... secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos,* etc.[31] Salutem interpretatur gratiam Spiritus Sancti ad delenda omnia peccata, et gloriam Dei.

quia Deus et homo,

Qui est Christus Dominus, idest rex, Dominus Angelorum: *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus,* etc.[32] *Qui est Christus Dominus,* idest verus Messias, Deus et homo, in lege et Prophetis promissus, tantopere expectatus et desideratus; nec tantum Iudaeis verum etiam gentibus, sicut in Aggaeo legimus.[33]

natus ad salutem nostram.

His autem tribus addi et quartum potest, nempe ad quid natus sit, hoc nanque Angelus indicavit dicens: *Evangelizo vobis gaudium magnum... quia natus est vobis hodie Salvator;*[34] hoc Paulus dum ait: *Apparuit gratia Dei; apparuit benignitas et humanitas*

26) Ps 48, 13. 21. 27) Cf. 2, 34-35. 28) Is 9, 2. 29) Ibid. 60, 1-2. Vulg.: *Venit lumen tuum,* etc. 30) Tit 2, 11-12. 31) Ibid. 3, 4-6. 32) Hebr 1, 3-4. 33) Cf. 2, 8. 34) Lc 2, 10-11.

Salvatoris nostri Dei, nam « propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis ». [35]

III. In hodierna Christi nativitate factus fuit a caelestibus musicis et cantoribus suavissimus quidam concentus vere armonicus, dum Angeli cecinere: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* [36] In Ecclesia autem hodie similis fit concentus quattuor vocibus constans, summa cum harmonia et consonantia, voce, inquam, Evangelistae Lucae, voce Angeli, voce Ioannis et voce populi. Omnes enim concinunt Christi nativitatem, laudes canentes eius qui natus est, et ad quid natus est indicantes. Hoc enim Evangelista insinuat dum tempus et locum nativitatis describit, [37] nempe ad quid natus sit Christus; hoc Angelus dum ait: *Natus est vobis hodie Salvator,* et cum eo omnis Angelorum chorus: *Gloria in excelsis Deo,* etc., hic finis est nativitatis; hoc Ioannes, dum Christum lucem et vitam hominum appellat, [38] alludens ad locum et tempus nativitatis, nam in Bethlehem natus et nocte, in tenebris natus est: vita alludit ad locum, lux ad tempus; hoc ipsum Paulus: *Apparuit gratia, ut abnegantes;* [39] *Apparuit benignitas et humanitas; Ut iustificati gratia ipsius.* [40] Mira plane et divina consonantia.

Hoc proclamant hodie Angeli et Evangelistae.

Divus quoque Paulus.

Dies hodie magnae laetitiae, sed Angelis et fidelibus hominibus, non daemonibus; Ecclesiae et paradiso, non synagogae satanae et inferno. Cum venit arca Domini in castra Israel, universus exercitus magna laetitia exultavit, sed non ita Philisthiim: *Vae nobis! Venit Deus in castra, vae nobis!* [41]

Appendix.

35) Symbolum Nicaenum, cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 54.
36) Lc 2, 14. 37) Cf. ibid. vrr. 1-7. 38) Cf. 1, 4-5. 39) Tit 2, 12. 40) Ibid. 3, 4-7. 41) 1 Rg 4, 5-7. Quattuor paginis albis relictis, transit ad festum sequentem SS. Innocentium.

Fragmentum

... Supremum[1] etiam ac excellentissimum, et independens, primum, aeternum, simplicissimum, infinitum, unum atque trinum, creatorem omnium, a quo omne dependet totaliter sicut a sole lumina mundi. Haec vera sapientia est, hanc et Abraham habuit, et docuit veluti verus sapientiae divinae pater; hanc Moyses, quam in quinque divinae legis sibi datae libris sapientissimus descripsit; hanc item Iob, et alii. Christus vero super omnes: illi astra fuere caeli per sapientiam, Christus vero sol. Convenit autem Christo sapientia, et quia Deus et quia homo: quia Deus est, habet omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei, immo ipse ipsamet est Dei sapientia quatenus homo, convenit ei sapientia, quia homo natura perfectus, multo magis quia gratia, multo magis quia gloria, multo magis quia rex gloriae, multo magis quia rex universae creaturae, multo magis quia homo divinus. Quia homo natura perfectus, convenit ei scientia omnium naturalium; sed quia perfectus gratia, et supernaturalium et divinorum mysteriorum; quia perfectus gloria, omnium et naturalium et supernaturalium visio in Deo ipso, per cognitionem meridianam, vespertinam et matutinam; quia vero rex universi totius, et naturae, et gratiae et gloriae, necessaria sapientia est; propterea Deus Salomoni sapientiam dedit. Quo autem Christi regnum Salomonis regno maius est, tanto et sapientia amplior. Sic quoque Christi sapientia et super omnes homines sapientes, et super omnes Angelos et beatos est; quatenus vero homo divinus, est Deo unitus, quia in eo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis;* per consequens omnis plenitudo divinae sapientiae, et praedestinationis et visionis et simplicis intelligentiae. Haec omnia Christus ab initio suae conceptionis habuit.

1) Hoc fragmentum religiose servatur in sacristia interiori Ecclesiae Monialium Franciscalium Discalceatarum Monasterii B. Mariae Virginis ab Annunciatione, in civitate v. Villafranca del Bierzo, in Hispania.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS

Agitur hodie de donis Spiritus Sancti in Protomartyre Stephano.

I. Mira est sympathia magnaque consonantia inter hodiernam Epistolam et Evangelium. In utraque enim lectione agitur de variis Spiritus Sancti donis et charismatibus, in utraque etiam de martyrio servorum Dei: *Mitto ad vos prophetas, sapientes et scribas:* [1] haec sunt dona Spiritus Sancti: *Elegerunt Stephanum, plenum fide et Spiritu Sancto;* [2] *Stephanus plenus gratia et fortitudine;* [3] *Non poterant resistere sapientiae et spiritui qui loquebatur:* [4] his autem veluti vivis quibusdam coloribus depicta est nobis a Spiritu Sancto pulcherrima quaedam imago mirabilis gloriae Protomartyris Stephani: « Intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli stantis inter illos ». [5]

Ex Evangelio et Epistola ostenditur quisnam fuerit Stephanus.

II. Quisnam fuit Stephanus [ostenditur] ex Evangelio: *Ecce ego mitto ad vos.* Fuit nuncius et legatus Dei, fuit propheta, sapiens, scriba, sicut Esdras in lege doctissimus, [6] fuit martyr sanctissimus: *Ex illis occidetis; Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt;* [7] martyr, sicut Abel iustus et Zacharias pontifex: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, a sanguine Abel iusti,* etc. [8] Ex Epistola autem ostenditur plenus omnibus Spiritus Sancti donis. Sed summatim quattuor dicuntur de eo: quod erat plenus

1) Mt 23, 34. 2) Act 6, 5. 3) Ibid. vr. 8. 4) Ibid. vr. 10. 5) Cf. ibid. vr. 15. Ex Breviario Rom., 2 respons. in hoc Festo. 6) Cf. 1 Esr 7, 11-12. 7) Mt 23, 37. 8) Ibid. vr. 35.

Spiritu Sancto in seipso, nam Spiritus Sanctus est veluti spiritus et anima spiritus nostri; plenus fide in Christum, credebat ex toto corde in Christum et palam fidem Christi praedicabat, *nam corde creditur ad iustitiam, ore autem,* etc.; [9] plenus gratia, idest caritate erga Deum et homines; ac tandem plenus fortitudine contra omnes inimicos crucis Christi, contra mundum et mundi principem.

Una tantum videtur differentia inter has duas lectiones. Nam in Epistola agitur de electione bona: *Elegerunt Stephanum levitam, plenum fide et Spiritu Sancto,* elegerunt virum optimum atque dignissimum, fecerunt optimam electionem. In Evangelio agitur de electione mala: *Quoties volui congregare filios tuos et noluisti;* [10] *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* [11] Haec autem mala electio causa est malorum omnium, ideo: *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* [12] Dicunt bonum malum et malum bonum, eligunt istud, non illud.

Ostenditur etiam Stephani, certamen et victoria.

III. Ostenditur nobis hodie triumphus Stephani, sed similis triumpho Christi: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam;* [13] *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum;* [14] *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* [15] Ostenditur arma quibus armatus fuit miles hic fortissimus; nam sunt utique militi necessaria arma, hinc militi christiano Paulus providit omne genus armorum quae necessaria sunt ad defensionem et offensionem: *Accipite armaturam Dei.* [16] Secundo ostenditur certamen quo in agone contendit cum satana et angelis eius, nam: *Surrexerunt disputantes cum Stephano et non poterant,* etc. Tertio tandem palma victoriae et honor triumphi: *Reposita est mihi corona iustitiae.* [17]

arma quoque quibus certavit.

Quoad primum ostenduntur arma quae etiam fortissimo militi necessaria sunt, licet primo omnium requiratur in milite fortitudo animi ad resistendum et aggrediendum. Fortis miles erat Stephanus,

9) Rom 10, 10. 10) Mt 23, 37. 11) Io 3, 19. 12) Mt 23, 38. 13) Lc 24, 26. 14) Phil 2, 8-9. 15) 2 Tim 2, 5. Vulg. *Non coronatur.* 16) Eph 6, 13. 17) 2 Tim 4, 8.

qui dicitur plenus fortitudine instar Samsonis; sed armatus erat etiam fide, gratia et Spiritu Sancto, nam: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo;*[18] *Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed,* etc.[19] Fidem Paulus dixit scutum validissimum itemque thoracem iustitiae. Haec dicitur hic gratia; quod autem Paulus dixit *gladium spiritus,*[20] hic dicitur plenus Spiritu Sancto, qui erat in ore Stephani veluti gladius Cherubim igneus atque versatilis.[21] Sic armatus Stephanus processit ad pugnam, sicut David cum Goliath certaturus.[22] Qualis futurus erat Stephanus, si diutius vixisset, Paulus ostendit, qui loco ipsius suscitatus a Deo fuit, sicut Seth pro Abel: *Posuit mihi Deus semen,* etc.[23] Plenus fuit Stephanus fortitudine Pauli: *Quis nos separabit a caritate Christi...? Certus sum quia* nulla creatura *poterit nos separare.*[24] O militem fortissimum![25]

Persona, certamen et triumphus David

IV. In hoc triumpho Stephani quattuor nobis indicantur: primo quidem personae qualitas, secundo armorum genera, tertio certamen magnum et quarto corona victoriae palmaque triumphi, sicut etiam de David cum Goliath pugnante quattuor haec in Sacris Litteris designantur: quod erat aetate iuvenis, sed iam sanctus, iam destinatus ad regnum, facie pulcher et decorus, viribus animi corporisque validissimus, ita ut leonibus ursisque fortior esset; quod moribus erat innocens simplexque pastor; arma accepit, non regia quidem Saulis, sed pastoralia: baculum, fundam et quinque lapides de torrente; quod in arenam descendit ita armatus pugnaturus singulari certamine cum validissimo hoste viribus naturae artisque munitissimo; ac tandem quod illum vicit, prostravit, occidit, caput ei amputavit gestansque caput ipsius in manibus gloriosissime in Ierusalem exceptus fuit ac si hostium exercitum solus ipse profligasset:[26]

18) 2 Cor 10, 4. 19) Eph 6, 12. 20) Ibid. vrr. 14-17. 21) Cf. Gn 3, 24. 22) Cf. 1 Rg 17, 40. 23) Gn 4, 25. 24) Rom 8, 35. 38 sq. 25) Quae sequuntur alio calamo clariori alioque stylo exarata sunt. 26) Cf. 1 Rg 16, 12; 17, 34-52.

Percussit Saul mille et David decem millia,[27] « manus Domini erat cum illo, percussit Philisthaeum et abstulit », etc.[28]

figurae erant personae, certaminis et triumphi Stephani,

Ita, inquam, de Stephano quattuor haec aut etiam quinque, si triumphum a victoria distinguamus, sicut in facto Davidis distincta sunt. Indicantur primo quidem qualitas personae: *Stephanus plenus gratia et fortitudine,* iuvenis erat pulcherrimus, gratiosissimus Deo et hominibus, nam « intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli stantis inter illos », plenus fortitudine supernaturali, sicut Gedeon, sicut Samson, sicut David, qui habebat cor sicut leonis. Homo erat Stephanus vita moribusque insignis, nam cum dixissent Apostoli: *Considerate viros boni testimonii... plenos Spiritu Sancto et sapientia,*[29] elegerunt Stephanum. Stephanus ergo vir erat boni testimonii, plenus Spiritu Sancto et sapientia, homo numeris omnibus absolutus.

habuit enim ipse quoque fortitudinem animi,

Quod in milite primo omnium necessarium est, valor est, fortitudo animi, firmae vires corporis, disciplina militaris; ita in milite Christi Stephano haec primo reperta sunt. Secundo necessaria militi sunt arma, sed valida, constantia, bona; habuit miles hic Christi optima arma: *Accipite armaturam Dei* et *state succincti lumbos in veritate,*[30] idest parati ad certamen, sicut legimus: *Non glorietur accinctus ut discinctus,*[31] idest miles qui pugnaturus est sicut qui, iam hoste superato, arma deponit, parta victoria. Habuit *scutum fidei, galeam salutis,* thoracem iustitiae, *gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Sic armatus processit David contra Goliath, Stephanus hodie contra satanam, qui in Iudaeis pugnabat contra ipsum. Magnus athleta Stephanus magnum habuit antagonistam, gigantem, fortem armatum.

arma validissima ad pugnam

et plurimos inimicos,

Descendit in arenam: *Surrexerunt* multi *de synagoga... disputantes cum Stephano.*[32] Agebatur autem de vera religione, de fide, in qua vera animae salus consistit. Posuit animam suam in manibus suis.[32a] Multi pugnant contra unum et tamen, ut habet adagium, « cum duobus nec Hercules quidem »,[33] et ita pugnant, ut ipsi eum

27) 1 Rg 18, 7; 21, 11. 28) Breviarium Rom. Dom 3 post Pent., 4 Respons. 29) Act 6, 3.
30) Eph 6, 13-14. 31) 3 Rg 20, 11. 32) Act 6, 9. 32a) Cf. 1 Rg 19, 5
33) Proverbium, de quo cf. Plato *Phaedo* vel *de Anima*, pag. 506.

veluti imparatum invaserint. Ait enim quod *surrexerunt,* non ipse eos provocaverat, sed ipsi de repente contra eum surrexerunt, invaserunt eum armati ut perderent, sicut mille Philisthaei armati invaserunt Samsonem solum atque inermem, nec tamen vincere aut vel minimum laedere eum potuerunt.[34] Vicit ac superavit David fortissimum gigantem, Stephanus satanam in Iudaeis pugnantem: *Non poterant resistere sapientiae et spiritui qui loquebatur.*[35] Non ait quod Stephanus unus et solus non poterat resistere illis, sed quod ipsi non poterant resistere; erant veluti oves coram leone, tamquam feminae coram armatum militem. Sicut non potuere Philisthaei resistere Samsoni, ita non poterant, etc.

quos omnes superavit.

Tandem cum triumpho post victoriam exceptus fuit David in Ierusalem; ita Stephanus, cum esset *plenus Spiritu Sancto, intendens in caelum vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei.*[36] Triumphus autem hic Stephani declarat hesternam Angeli concionem; est veluti mathematica demonstratio lineis in tabula designata, quae prius oretenus tradita erat. Declarat quidnam sit illud: *Salvator, qui est Christus Dominus:*[37] *Ecce video caelos apertos et Iesum stantem a dextris* virtutis *Dei,* idest a dextris divinae maiestatis. Quid sit salus illa, nam vidit gloriam Dei, vidit apertum paradisum, vidit gloriam omnem Sanctorum Angelorum, vidit quae non licet homini loqui,[38] quae nunquam in cor hominis, divinitus tamen homini praeparata, ascenderunt.[39]

Ideo in caelo cum triumpho exceptus fuit.

V. *Ecce ego mitto.* Apud L u c a m legimus: *Sapientia Dei dixit: ecce ego mitto Prophetas et Apostolos,*[40] ad promovendum utique humanae salutis negotium. Quare sicut de Ioanne Baptista legimus: *Fuit homo missus a Deo,*[41] ita de Stephano possumus intelligere. Cum autem in Evangelio hodierno scandalum oriri possit ex persecutione sanctorum, tollitur in historia martyrii Stephani, dum ei aperitur caelum et spectanda monstratur gloria paradisi, ita ut indicetur martyrium esse veluti scalam caeli et portam paradisi:

Ostenditur hodie martyrium et tribulationes scalam esse caeli.

34) Cf. Idc 15, 16. 35) Act 6, 10. 36) Ibid. 7, 55. 37) Lc 2, 11.
38) Cf. 2 Cor 12, 4. 39) Cf. 1 Cor 2, 9. 40) 11, 49. Vulg.: *Mittam ad illos,* etc.
41) Io 1, 6.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,[42] nam etiam Christum *pati oportuit et ita intrare in gloriam suam.*[43] Sicut certamen via est ad coronam, *non* enim *coronabitur nisi* qui *legitime certaverit,* et cursus via est ad bravium consequendum, ita malorum perpessio in hoc mundo propter Deum et virtutis causa via est ad gloriam sempiternam, hinc ait: *Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam, quoniam ipsorum est,* etc.[44] Sic in historia martyrii ponitur certamen et corona, meritum virtutis et praemium.

et quid opus sit ad aeternam gloriam consequendam.

Ostenditur in hodierna solemnitate exemplo Stephani quibus opus sit ad aeternam gloriam consequendam. Nam de Stephano legimus non solum quod erat vir plenus fide, verum etiam quod erat homo boni testimonii, boni odoris, bonae famae, quia erat plenus Spiritu Sancto, sapientia, gratia et fortitudine. Legimus non tantum fidem ipsius, verum etiam fidei confessionem et quidem publicam coram inimicis Christi, nam *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Legimus magnam ipsius caritatem erga amicos et inimicos: erga amicos ministrando mensis, erga inimicos dum positis genibus clamavit voce magna dicens: *Ne statuas illis,* etc.;[45] magnam animi constantiam in revincendis et coarguendis Iudaeis: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis;*[46] magnam patientiam in ferendis calumniis et iniquis accusationibus falsorum testium, in ferenda lapidantium persecutione; tandem magnam religionem et pietatem erga Dominum, nam lapidabant *invocantem et dicentem*: *Domine Iesu, accipe spiritum meum; et positis genibus clamavit voce magna dicens*: *Domine, ne statuas,* etc.[47] Sic ad salutem aeternam consequendam non sola sufficit fides, multa alia necessaria sunt.

Ostenditur etiam dignitas iustorum,

In hodierno Evangelio una cum historia martyrii Divi Stephani ostenditur dignitas servorum Dei: *Ecce ego mitto vos;*[48] *Sapientia Dei dixit*: *ecce ego mitto ad vos Prophetas et Apostolos,* ait Lucas.

42) Act 14, 21. 43) Lc 24, 26. Vulg.: *Oportuit pati.* etc. 44) Mt 5, 10.
45) Act 7, 59. 46) Ibid. vr. 51. 47) Ibid. vr. 59. 48) Lc 10, 3.

Quos Deus legatos suos constituit, multis honoribus nobilitavit, sicut cum Moysen ad Pharaonem misit: *Constitui te deum Pharaonis;*[49] sic Paulus ait: *Idoneos ministros nos fecit Novi Testamenti.*[50]

Deinde ostenduntur tribulationes servorum Dei in mundo et consolationes apud Deum: *Ut veniat super vos omnis sanguis;*[51] *Laetabitur iustus cum viderit vindictam;*[52] et praeterea vidit Stephanus in ipsa tribulatione positus gloriam Dei ac veluti beatificatus fuit, videndo gloriam paradisi. Sic consolatur Deus suos in mediis tribulationibus, sicut Iacob dum fugeret a facie Esau caelesti visione,[53] et tres pueros in fornace.[54]

qui in tribulationibus a Deo consolantur.

VI. *Ecce ego mitto ad vos prophetas,* etc. Utique *ad dandam scientiam salutis,*[55] sine qua nemo potest salvus fieri. Causa enim ob quam Deus electos servos suos exponit talibus tantisque periculis - *Ex eis occidetis, crucifigetis, flagellabitis, persequemini,* - est ardens desiderium salutis hominum peccatorum: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.*[56] Vocibus gallina pullos sub alas vocat congregatque. Quilibet autem propheta sanctus et apostolus vox Dei est. Hinc nanque Ioannes vox dictus fuit: *Ego vox clamantis in deserto.*[57] Magnus amor gallinae in pullos, magnus Dei amor in homines; quare ubi minus videtur esse divinae providentiae, ibi multo plus requiritur.

Deus servos suos mittit in mundum ad salvandos peccatores,

Accusatur divina providentia, quoniam saepe relinquit *virgam peccatorum super sortem iustorum,*[58] quod bonis multa mala a malis permittit ac si eos nihil penitus curaret; sed exponit periculis corpora iustorum ad salvandas animas peccatorum; exponit temporalibus malis ad acquirenda aeterna bona. Sunt sancti Deo sicut filii carissimi: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*[59] Qui autem ad aliquid consequendum

et aliquando eos exponit temporalibus malis ut acquirant aeterna bona.

49) Ex 7, 1. 50) 2 Cor 3, 6. Vulg.: *Idoneos nos fecit,* etc. 51) Mt 23, 35. 52) Ps 57, 11. 53) Cf. Gn 28, 1-16. 54) Cf. Dn 3, 23-24. 55) Lc 1, 77. 56) Mt 23, 37. 57) Io 1, 23. 58) Ps 124, 3. 59) 1 Io 3, 1.

etiam carissimos filios exponit magnis periculis, proculdubio ostendit se illum magni facere et summopere desiderare: *Sic* autem *Deus dilexit mundum, ut Filium suum,* etc.[60] Quod autem egit Deus[61] cum Unigenito Filio suo, hoc ipsum etiam cum sanctis agere voluit.[62]

60) Io 3, 16. 61) Ms.: *Christus* loco: *Deus.* 62) Duobus foliis albis relictis, transit ad festum sequentem.

IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit, etc. [1]

Ioannes Christo dilectus prae ceteris Apostolis.

I. Honestissimo titulo divinitus decoratus est Ioannes, ut dilectus Domini appelletur, hic enim Christi proprius est titulus: *Hic est Filius meus dilectus.* [2] Mirabile quidem est quod Deus diligat hominem. Hinc mirabatur Iob: *Quid est homo quia visitas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* [3] et Regius Vates: *Quid est homo quia memor es eius?* [4] et alibi: *Quid est homo quia magnificas eum?* [5] *aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.* [6] Quam mirum igitur ut vivus et verus Deus factus homo Ioannem, qui non nisi homo erat, tam singulariter diligeret! Diligebat Dominus Apostolos super omnes alios Sanctos, forte etiam supra Angelos, nam Angeli quidem ministri Domini sunt appellati, [7] Apostoli autem fratres; [8] Ioannes vero supra ceteros Apostolos diligebatur: *Discipulus quem diligebat.* [9]

Hic autem tria videnda nobis sunt: primum unde noverat Ioannes singularem erga se Christi amorem; secundum qua de causa tam singulariter diligebatur a Christo; tertium unde nos possimus cognoscere Dei erga nos amorem et quid agere debeamus ut singularem mereamur amorem.

1) Pericope huius diei Io 21, 20-24. 2) Mt 3, 17; 17, 5. 3) 7, 17. 4) Ps 8, 5. 5) Ps 7, 17. 6) Ps 143, 3-4. 7) Cf. Hebr 1, 14. 8) Cf. Io 20, 17. 9) Ibid. 21, 7.

Dignoscitur particularis amor a particularibus beneficiis.

II. Quoad primum cognoscitur particularis amor a particularibus beneficiis, sicut amor Ioseph erga Beniamin, [10] secundo a revelatione arcanorum secretorum animi; tertio a familiari dulcique conversatione; quarto tandem a singulari fide qua quis credit amico rem quampiam magni momenti, supra modum carissimam. Hisce ex causis cognoscimus Ioannem fuisse Christo valde carum et dilectum, quia magnam ei contulit copiam gratiarum, quia divina ei revelavit secreta, maxime in coena, quia cum eo familiarissime conversabatur et quia Matrem ei commendavit, infinitum thesaurum, hinc *accepit eam* ipse *in sua.* [11]

Causa amoris est bonitas et similitudo.

Quoad secundum amoris causa est bonitas, quae veluti magnes amoris est; causa item amoris pulcritudo et gratia; praeterea similitudo amorem valide conciliat attrahitque, maxime cum similitudo est cum corporum tum etiam animorum, cum quadam sympathia naturalium spirituum ac veluti sanguinum; tandem amor gignit amorem, sicut ignis generat ignem. Qui vult amari amet, magna nanque est vis amoris in animum hominis.

Multis ostenditur amor Christi et Ioannis.

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, etc. Duo his verbis indicantur: amor Christi erga Ioannem et amor Ioannis erga Christum, qui erat veluti magnes ipsius. Quare ostenditur Ioannes dilectus et dilector, amatus et amator, sive potius redamator; sicut bona terra bene culta fructum reddit cultori suo, ita Ioannes Christo.

Christus Ioannem diligebat divino et humano amore,

In Christo sicut duplex natura est et duplex voluntas, ita etiam duplex amor, divinus et humanus: divinus, de quo dicitur: *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* [12] tui; humanus, quo diligebat Lazarum tamquam amicum: *Lazarus amicus noster dormit.* [13] Est autem in homine triplex amor sive dilectio, quae amor est amicitiae, non concupiscentiae: amor naturalis, quo parentes filios suos diligunt; moralis, quo aliquem diligimus virtutis causa, ut dominus bonum et fidelem servum; supernaturalis, quo aliquem diligimus propter Deum eique vitam et salutem aeternam desideramus. Quoniam vero Christus nostram assumpsit naturam cum omnibus na-

10) Cf. Gn 43, 29-30. 11) Io 19, 27. 12) Ier 31, 3. 13) Io 11, 11.

turalibus qualitatibus, excepto peccato vitiisque et ignorantia exclusis, suscepit hos amoris effectus. Quare Ioannem diligebat et divino et humano amore, naturali, morali ac supernaturali. Sic ostendens Christus Ioanni talem tantumque amorem, veluti rapuit cor Ioannis, sicut 2 *Regum* 15 legimus quod, cum Absalom multa amoris et benevolentiae signa ostenderet Israelitis, *sollicitabat* corda eorum, ubi hebraice est *vaiganeb Absalom eth leb ansei Israel: furatus fuit Absalom cor hominum Israelis;* [14] hinc ubi ibidem legimus: *Toto corde universus Israel sequitur Absalom,* [15] hebraice est: *cor cuiusque Israelitae post Absalom.* Tantum valet principis vel indicium benevolentiae ad commovendum cor subditorum ad magnum erga se amorem! Sic Christus magno amore suo erga Ioannem rapuit ad se cor ipsius.

quo cor discipuli ad se traxit;

Erat igitur Ioannes dilectus Christo et Christus illi, sicut: *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia.* [16] Amor autem Ioannis in Christum ostenditur in eo, quod sua sponte Christum sequebatur. Petrus iussus sequebatur Christum, utique ad martyrium, ad mortem; Ioannes autem non iussus: *Vidit illum... sequentem; maiorem* autem *nemo caritatem habet, ut animam suam ponat,* idest velit, promptus paratusque sit revera ex animo ponere animam suam *pro amicis suis,* [17] idest pro his quos diligit et amat. Ioannes autem cupiebat martyrium pati et mortem subire pro Christo. Quare veluti comparatur hic Ioannes cum Petro, principe Apostolorum, in caritate et amore erga Christum; nam paulo ante dixerat ei Christus: *Simon Ioannis, diligis me? diligis plus his?* responderat: *Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* [18] Hic Ioannes veluti superior in caritate erga Christum ostenditur, nam Petrus iussus Christum ad martyrium sequebatur, Ioannes autem sua sponte ex animo. Vel saltem ostenditur hic Ioannes dignitate quidem posterior Petro, qui iam fuerat Christi vicarius et totius Ecclesiae pastor constitutus; at si dignitate posterior, non tamen virtute et caritate in Christum minor eo erat, imo forte etiam superior, nam solus Ioannes Christo astitit in cruce pendenti, [19] solus, inquam, ex Apostolis et discipulis

ostenditur etiam amor Ioannis erga Christum.

Ioannes Petro superior fuit caritate, etsi inferior dignitate.

14) Vr. 6. 15) Ibid. vr. 13 16) Ct 2, 16. 17) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo habet,* etc. 18) Ibid. 21, 15-17. 19) Cf. ibid. 19, 26.

Christi. Hinc alias simul Petrus et Ioannes comparantur, dum ad Christi sepulcrum currunt, et Ioannes quidem *praecucurrit citius Petro.*[20] Potest enim esse, ut qui prior est dignitate, posterior sit merito ac sanctitate, et e converso.

Elucent hodie Ioannis meritum et sanctitas,

III. In hodierno Evangelio, quantum possum coniicere, tria de Ioanne ostenduntur. Primum est meritum et sanctitas ipsius, quae ostenditur ex comparatione Petri; hinc forte ipse dicitur discipulus dilectus potius quam Petrus, nam si dilectus, ergo bonus, non enim diligitur nisi bonum; erat singulariter dilectus, ergo singulariter bonus. Secundum vero quod coniicio est multiplex privilegium: primo singularis dilectionis, favoris et gratiae apud Christum; secundo quia recubuit in coena supra pectus Christi, summa cum Christo familiaritas; tertio revelatio secretorum: recubuit et dixit: *Domine, quis est qui tradet te?*[21] nam revelavit tunc ei Christus secretum. Sunt igitur hic tria et quidem magna privilegia Ioannis. Tertium tandem est multiplex officium, nam appellatur in hodierno Evangelio discipulus Christi, testis verax Christi: *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his... et scimus quia verum est testimonium eius;*[22] tandem dicitur scriptor Evangelii: *Et scripsit haec,* mysteria utique Evangelii, Christi secretarius, chronista, historicus, Christi divinus Evangelista, ita tamen ut non omnia, sed illustriora tantum Christi gesta aeternis monumentis consignavit, nam sunt, ait, *et alia signa,* quae *fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.*[23] Nam extitit ipse sicut Seraph apud Isaiam, qui sex cum haberet alas, duabus velabat caput, duabus pedes, idest inferiores corporis partes, et duabus extensis volabat, media tantum corporis revelabat.[24] Ita Ioannes non omnia scripsit mysteria vel divinitatis vel humanitatis Christi, sed tantum illustriora quaedam necessaria ad salutem: *Haec autem scripta sunt ut credatis, quoniam Iesus est... Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.*[25] Sic ipse aquila est apud Ezechielem habens quattuor alas, duabus volans et duabus te-

multiplex privilegium et officium.

20) Ibid. 20, 4. 21) Ibid. 21, 20. 22) Ibid. vr. 24. 23) Ibid. 20, 30. 24) Cf. 6, 2. 25) Io 20, 31.

gens corpus; [26] in *Apocalypsi* etiam aquila est sex alarum, quae cum aliis tribus animalibus perpetuo canit divinum trisagium. [27] Magnum meritum Ioannis, magna virtus, magna sanctitas, magna item privilegia, magna officia.

IV. Habetur etiam in hodierno Evangelio opinio de immortalitate Ioannis famaque per universam Ecclesiam sparsa: *Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur.* [28] Nam videtur de morte dixisse Christus Petro: [29] *Sequere me,* idque [cum] optime nossent Apostoli, audito: *Sic eum volo manere,* statim suspicati sunt eum a Domino immortalitate donatum. At vero, inquit ipse: *Non dixit Iesus: non moritur, sed: sic eum volo manere, quid ad te?* [30] Hoc est: si nolo eum per martyrium de medio tolli, sed manere in vivis, donec naturali morte extinguatur, nam in morte advenire Dominus dicitur. Quare diuturna forte hic designatur vita.

Opinio de immortalitate Ioannis.

V. Agitur in hodierno Evangelio de amore Christi erga Ioannem, quae causa est omnium beneficiorum Dei erga nos. Amor nostrorum causa bonorum est: *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* tui. Amor in causa ponitur attractionis. Huius autem amoris Christi in Ioannem multi ponuntur effectus in hodierno Evangelio. Primus electio in discipulatum et apostolatum, nam ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* [31] de mundo; temporalis autem electio executio fuit aeternae electionis et praedestinationis. Secundus magna Ioannis erga Christum fiducia magnaque cum eo familiaritas, hinc recubuit supra pectus, ita ut etiam secreta divini pectoris sibi posceret revelari: *Quis est qui tradet te?* Tertius effectus revelatio secretorum Christi, Christi sequela ex animo et spontanea voluntate: *Vidit illum sequentem,* ubi in ardore caritatis in Christum cum Petro comparatur, et etiam in altero; nam petiit Ioannes a Christo revelationem secretorum et statim revelavit; petiit hodie Petrus: *Domine, hic autem quid?* [32] hoc est: revelasti mihi quid futurum sit de me, quidnam futurum est de Ioanne? Non tamen obtinet, sed

Multi sunt effectus amoris Christi erga Ioannem.

26) Cf. 1, 10-11. 27) Cf. 4, 7-8. 28) Io 21, 23. 29) Ms.: *Petrus Christo.*
30) Io 21, 23. 31) Ibid. 15, 16. 32) Ibid. 21, 21.

obiurgatur: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* Quoniam Ioannes electus fuerat in secretarium Christi, Petrus autem in vicarium; principes autem non vicariis, sed secretariis suis fidelibus revelant pectoris sui secreta.

Tandem agitur hic de Ioannis immortalitate: *Exiit sermo inter fratres quod discipulis ille non moritur,* quod mortem non sit gustaturus, quod, sicut Enoch [33] et Elias, [34] rapiendus in paradisum perpetuo esset victurus. Hoc enim est: *Quod discipulus ille non moritur,* idest quod non esset moriturus. [35]

33) Cf. Gn 5, 24. 34) Cf. 4 Rg 2, 11. 35) Duobus foliis albis relictis, transit ad festum sequentem.

IN DIE SANCTORUM INNOCENTUM

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: surge et accipe puerum. [1]

Ostenditur innocentiae persecutio et protectio.

I. Ostenditur in hodierno Evangelio innocentiae protectio et persecutio: protectio a Deo, persecutio autem a mundo; protectio ab altissima providentia Dei, persecutio ab hominis prudentia, sed satana suggerente. Herodes hodie Christum persequitur innocentem, Deus autem protegit, defendit, liberat a paratis insidiis. Machinabatur Herodes animoque versabat quomodo Christum perderet; Deus autem, qui corda hominum scrutatur et renes, [2] praeripit Christum de manibus Herodis, nam *contra Dominum non est sapientia, non est prudentia, non est consilium.* [3] *Quaeretur peccatum illius et non invenietur,* [4] non complebitur opere, non succedet pro voto feliciter, sicut peccatum Saul dum persequeretur Davidem. [5]

Frustra Herodes Christum perdere studet, multa usus astutia;

Multa Herodes usus est prudentia ad perdendum Christum, sicut Pharao ad perdendos Hebraeorum infantes, [6] primo cum Magis, nam *diligenter didicit ab eis tempus stellae,* ac deinde calliditate usus: *Ite,* inquit, *et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renunciate, mihi, ut et ego veniens adorem eum.* [7] Tandem pro abundanti cautela amplificavit limites [7a] loci et temporis, nam occidi iussit, non solum infantes in Bethlehem natos, verum etiam *a bi-*

1) Pericope huius diei Mt 2, 13-18. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ps 7, 10; Apc 2, 23. 3) Prv 21, 30. Affert ordine inverso. 4) Ps 9, 15. 5) Cf. 1 Rg 18, 8 sqq. 6) Cf. Ex 1, 8 sqq. 7) Mt 2, 7-8. 7a) Ms.: *Tempus*, loco: *limites*.

matu, [8] ut sic omnem ab animo suo suspicionem eximeret nullaque suspecti sibi regis vel minima suspicio cor ipsius corroderet.

humana prudentia nil potest contra divinam providentiam.

At vero contra divinam providentiam nihil valet humana prudentia; sed cum videret divina providentia humanam prudentiam armatam ad perdendam innocentiam, suscipit protectionem ipsius. Hinc *apparuit Angelus Domini Ioseph dicens: Suscipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum,* in locum securum, extra regnum Herodis, *futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.* [9] Quam provida et oculata est providentia ad tuendam innocentiam! Priusquam vel cogitasset Herodes necem innocentum, eripit a periculo Christum.

Deus innocentiam protegit et culpam punit,

Deus semper ab initio amator, fautor, defensor et protector innocentiae fuit. Angelos in caelo et homines in terra condidit innocentes. Osor est culpae: punivit cum in caelo Angelos tum homines in terra causa peccati, culpae gratia. Placuit Deo innocens Abel, non autem Cain impius. [10] Ita consequentibus temporibus Deus semper fautor fuit innocentiae, osor autem iniquitatis.

et contra mundum et satanam semper praevalet.

At vero satanas, inimicus capitalis Dei, semper innocentiam impugnavit; mundus etiam, diaboli spiritu plenus eiusque imitator: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem* eius *vultis facere.* [11] Sic ab initio Cain persecutus fuit Abelem, Ismael Isaacum, Esau Iacobum, Aegyptus Israelem, Babylon Ierosolymam, satanas Christum. Semper satanas persecutus est sanctos propter Christum, ut in illis Christum perderet, sicut hodie Herodes propter Christum persecutus est innocentes, tantum ut perderet Christum. Sed quoniam Christus sub cura et Patris erat providentia, nihil laesus fuit, liberatus fuit a persecutione Herodis, positus in securo loco. Ita quisquis *innocens manibus et mundo corde* [11a] sub alis divinae providentiae vivit, nihil sibi timet a persecutionibus et tentationibus satanae.

Praevaluisse visa est humana prudentia, aut potius satanica Herodis astutia contra divinam providentiam, quoniam perdidit Sanctos Innocentes, sicut lupus vorax et leo ferox gregem agnorum; sed divinae providentiae propositum fuit Christum servare, infantes

8) Mt 2, 16. 9) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Accipe puerum,* etc. Invertit ordinem. 10) Cf. Gn 4, 4-5. 11) Io 8, 44. 11a) Ps 23, 4.

autem aeterna in caelis vita donare. Quare non successit Herodi pro voto.

II. In hodierno Evangelio, praeter historiam habemus etiam mysterium, quo per Herodem satanas, per Christum viva fides et gratia Christi in nobis designatur; per Angelum Spiritus Sanctus divinaque inspiratio; per Mariam anima sancta voluntasque caritate divina praedita; per Iosephum animus hominis virtute et pietate praestans; per Iudaeam, quae erat regnum Herodis, mundus hic, cuius princeps est satanas, locus periculorum; per Aegyptum locus salutis et securitatis. Ioseph et Maria, ut Christum servarent, omnia quae habebant contempserunt ac reliquerunt protinusque fugerunt in Aegyptum. Perdidit Herodes innocentes pueros masculos, non feminas, sicut Pharao rex Aegypti. Perdere satagit satanas spirituales cogitationes sanctaque desideria, ut Christum utique perdat; sed Christus debet nobis esse ingens infinitusque thesaurus, sicut Ioseph et Mariae qui, ut Christum servarent, omnia quae habebant nihili fecerunt.

Hodie habemus etiam multa mysteria.


Cum innocentia expetenda sit animis sicut lux oculis, mirum est cur mundus tantopere eam sit insectatus. Sed philautia, omnium vitiorum radix, in causa est tanti mali, quia Herodes noxium et exitialem sibi existimavit Christi natalem. Nam quis aut qualis Christus futurus erat penitus ignorabat, propterea persecutus est innocentes. Innocens Abel Cainum nihil laeserat, ille autem invidia commotus quod Abel Divino Numini esset acceptior, odisse ipsum coepit. quoniam ipse primatum honoris cupiebat. Isaac nihil laeserat Ismaelem, a quo tamen invidiae causa persecutionem patiebatur, videns nanque Ismael Isaacum patri maxime dilectum, oderat et persequebatur; [12] sic Ioseph, quoniam patri dilectissimus erat, fratribus maxime erat invisus, [13] ita David invisus fuit Sauli et mortali odio exagitatus, quoniam timebat ille regni amissionem si David viveret. [14]

Immoderatus amor sui causa est omnium malorum.

12) Cf. Gn 21, 9; Gal 4, 29. 13) Cf. Gn 37, 4. 14) Cf. 1 Rg 18, 6-9.

Sic videmus hodie hominem factum ex pastore lupum; nam reges pastores sunt populorum, hinc David electus dicitur ut pasceret populum Domini [15] et populares suos ipse oves appellavit. [16] Herodes rex erat, ergo pastor; sed hodie tamquam lupus famelicus multos agnos crudeliter devoravit. [17]

15) Cf. 2 Rg 5, 2. 16) Cf. ibid. 24, 17. 17) Pagina alba relicta, transit ad Dominicam sequentem infra octavam Nativitatis.



Ex originali aliquantulum deminuto

Photo Ferruzzi - Venetiis

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

Erat Ioseph et Maria Mater Iesu mirantes super his quae dicebantur de eo, etc. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio de Christo mirabilia mysteria, vaticinia et historiam. Mysteria mirabilia: Erant *mirantes super his quae dicebantur;* vaticinia: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum,* etc.; [2] historiam: *Puer autem crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* [3] Erant revera mirabilia quae dicebantur, cum Ioseph et Mariam in admirationem inducerent, qui tot taliaque et tanta de eo noverant.

Habemus hodie de Christo mirabilia mysteria,

Mirabile vaticinium: *Positus est hic in ruinam,* etc.; in ruinam Iudaeorum perfidorum, incredulorum, in salutem fidelium vere credentium; positus in ruinam synagogae, in resurrectionem Ecclesiae. Dies iudicii in iis qui a dextris et a sinistris Christi collocandi sunt declarabit vaticinium hoc ruinae et resurrectionis signumque contradictionis. Dicitur autem hic contradictio ipsa Christi passio, sicut etiam a Paulo: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* [4] Fuit autem Christi passio mirabile mysterium.

mirabile vaticinium,

Mirabilis historia: *Puer crescebat et confortabatur* spiritu. Ille, super quem requievit *Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus,* [5] ille qui erat plenus gratiae et veritatis, *in quo sunt omnes*

mirabilem historiam

1) Pericope huius diei Lc 2, 33. 39-40. Vulg.: *De illo.* Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 34. 3) Ibid. vr. 40. 4) Hebr 12, 3. 5) Is 11, 2.

thesauri sapientiae et scientiae[6] Dei, quomodo confortabatur spiritu, cui Deus non ad mensuram dedit spiritum?[7] Sed quia ita videbatur, sicut postea Lucas ait: Puer autem crescebat *sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines;*[8] quia maiora in dies dabat indicia sapientiae et gratiae, videbatur in his crescere tum apud Deum tum apud homines, sicut in aetate crescebat. Quod autem Lucas hic dicit Christum plenum sapientia et gratia, Ioannes dixit *plenum gratiae et veritatis*, et postea quod *gratia et veritas per Iesum Christum facta est,*[9] sicut Paulus *ad Corinthios* ait, quod Christus *factus est nobis a Deo sapientia ed iustitia et sanctificatio et redemptio,*[10] idest attulit nobis veram Dei cognitionem et verum amorem, veram fidem veramque caritatem sanctitatemque vitae.

et mirabile encomium;

Habemus itaque in hodierno Evangelio magnum et mirabile encomium, divinum de eo vaticinium ac prophetiam ac tandem illustre historiae testimonium: *Puer autem crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus*, etc.

Christus ipse ostenditur magnum miraculum.

Imo habemus in hodierno Evangelio Christum esse magnum divinumque miraculum, magnum paradoxum, magnum signum ad sagittam, sive scopum ad collimandum, ac tandem magnum virtutum exemplar. Magnum miraculum, nam mirabantur, etc.; magnum paradoxum, nam *positus est in ruinam et resurrectionem*, ac si fons esset dulcis simul et amarae aquae, ac si arbor esset simul vitae et mortis; magnum signum, nam positus est *in signum cui contradicetur... ut revelentur ex multis cordibus cogitationes,*[11] sicut apud Ieremiam legimus, *Threnorum* cap. 3: *Tetendit arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam.*[12] Ponitur autem hic Christus scopus, corda tamquam pharetrae, cogitationes tamquam sagittae. Tandemque Christus ponitur ut exemplar, quia *puer crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus sapientia*, idest cognitione Dei, *et gratia Dei erat in illo. Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*[13]

6) Col 2, 3. 7) Cf. Io 3, 34. 8) 2, 52. 9) 1, 14. 17. 10) 1 Cor 1, 30. 11) Lc 2, 35. 12) Vr. 12. 13) Ex 25, 40.

Christus vere magnum miraculum fuit in sua vita, morte

II. Magnum Christus miraculum, ita appellatur ab Isaia: *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo,* etc.[14] *Vocabitur nomen eius, pele, miraculum,*[15] sicut Angelus qui apparuit parentibus Samsonis, *pele,* miraculum dicebatur;[16] sic Ieremias: *Novum creavit Dominus super terram;*[17] sic Salomon miraculum appellat Christum in conceptione, passione, resurrectione et ascensione, sed ordine retrogrado: *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro,* hebraice: *mirabilia supra me*: *viam aquilae in caelo,* etc., quartum *viam viri in virgine;*[18] sic Regius Vates: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris,*[19] idest nobis magnum miraculum. Ita alibi, cum contemplatus miratusque divinam maiestatem fuisset ac deinde mundi huius magnitudinem, tandem in Christi contemplatione totus admiratione, veluti extasi repletus ait: *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus,* etc.[20]

et gloria.

Magnum autem miraculum ostenditur Christus ex his quae dicebantur de eo: quod esset Salvator divinus omnium populorum, idest assertor et liberator a tyrannica captivitate diaboli, inferni, mortis et peccati; quod esset vitae aeternae perpetuaeque felicitatis Israelis, qui tamen in Divinis Litteris solus Deus dictus sit Israelis gloria, unde: *Transtulerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.*[21] Quamvis etiam gloria dicatur in Sacris Litteris copia divitiarum bonorumque omnium, quae vel maxime desiderantur;[22] sic legimus gloriam Salomonis,[22a] quare gloria dictus est Israelis, quod maxime Israelem glorificaturus esset. Quid amplius de Deo dici aut cogitari potuisset? Dabantur Infanti divini honores divinaeque laudes.

Miraculum fuit sapientiae

III. Magnitudo autem divini huius miraculi non solum a Simeone expressa est tribus illis titulis: salutis, lucis et gloriae, verum etiam ab Evangelista, dum ait quod puer *confortabatur* spiritu *plenus sapientia et gratia Dei.* Nam erat in Christo omnis plenitudo Spiritus Sancti: *Requiescet super eum Spiritus Domini,* etc.,

14) 7, 14. 15) Ibid. 9, 6. Ex hebraico. 16) Cf. Idc 13, 18. 17) 31, 22. Vulg.: *Creavit Dominus novum,* etc. 18) Prv 30, 18. 19) Ps 117, 23. 20) Ps 8, 7. 21) Ps 105, 20. Vulg.: *Mutaverunt* etc. 22) Cf. S. Pagnini *Lexicon Hebraicum,* sub voce: כָּבַד, col 1124. 22a) Cf. 1 Par 29, 25; Mt 6, 20.

plenus sapientia Dei: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei.

tum beatae tum naturalis;

Praeter autem sapientiam divinam erat in Christo sapientia beata, quae est in Angelis, sapientia infusa Prophetarum et Salomonis; sapientia naturalis, quae fuit in Adam, et sapientia usu comparata, quae est cognitio experimentalis, de qua Paulus: *Didicit ex his quae passus est obedientiam,* etc.[23] O miraculum! Puer plenus sapientia, idest omni sapientia, similiter plenus gratia Dei, plenus divina sanctitate et virtute: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis!*[24] Magnum miraculum puer aequalis Deo!

et etiam magnum paradoxum, est enim ruina et resurrectio,

Nec solum miraculum, verum etiam paradoxum Christus est in hodierno Evangelio: *Positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum,* veluti sol positus esset ad faciendum diem et noctem, ad faciendam lucem et tenebras; sic *positus est hic in ruinam,* in perditionem, *et resurrectionem,* idest in salutem. Sed est Christus sicut sol in Aegypto, clarus Hebraeis, tenebrosus Aegyptiis.[25] De hoc paradoxo Regius Vates ait: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est,* etc.;[26] et Isaias, capite 8, Christum appellat lapidem offensionis ac petram scandali;[27] capite autem 28, lapidem summum angularem, etc.[28] Petrus, hac eadem ratione alludens ad Dei vaticinia, dixit Christum lapidem ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum et credentibus lapidem pretiosum, non credentibus autem lapidem offensionis et petram scandali.[29] De hoc paradoxo Paulus ait: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam,* his autem qui vocati sunt, *Iudaeis et Graecis, Dei virtutem et Dei sapientiam;*[30] et alibi fidem Christi dixit his quidem odorem vitae esse ad vitam, illis vero odorem mortis in mortem.[31] Christus ipse: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.*[32]

non causaliter, sed occasionaliter,

Intelligendum autem cum dicitur Christus positus in ruinam, non causaliter sed occasionaliter; cum autem dicitur positus in resurrectionem, vere causaliter, nam: *Gratia et veritas per Iesum*

23) Hebr 5, 8. 24) Col 2, 9. 25) Cf. Ex 10, 22-23. 26) Ps 117, 22. 27) Cf. vr. 14. 28) Cf. vr. 16. 29) Cf. 1 Petr 2, 6-8. 30) 1 Cor 1, 23. 31) Cf. 2 Cor 2, 16. 32) Io 9, 39.

Christum facta est; Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.[33] Instruit princeps amicis suis convivium: cibus optimus est, optimum vinum; iis qui valido sunt stomacho et capite, confert plurimum cibus ille ac potus: vinum laetificat cor et panis cor hominis confirmat;[34] iis autem qui debili sunt stomacho et infirmo capite, obest officitque instructum convivium, ea de causa infirmantur. Infirmitatis huius princeps non causa est, sed occasio; sic: *Perditio tua, Israel, tantum in me auxilium tuum.*[35]

Paradoxum Christus est, non in seipso, sed in mundo, pro varietate hominum, sicut sol liquefaciens nives et glaciem, indurans autem lutum pro varia diversaque naturarum qualitate, sicut ignis perficit aurum atque argentum, lignum vero consumit et destruit. **non in seipso, sed pro varietate hominum.**

IV. *Positus est... in signum cui contradicetur,* in signum contradictionis, multam magnamque patietur a peccatoribus contradictionem. Sed mirabile dictu est! Christus in miraculo ponitur, Salvator omnium, *salutare* positum *ante faciem omnium populorum,*[36] quia ad hoc missus est a Deo, qui *vult omnes homines salvos fieri.*[37] In paradoxo dicitur *multorum: Positus est in resurrectionem multorum,* in signo autem contradictionis tantum fit mentio, quae status est perditionis; hoc autem ideo, quoniam paucissimi sunt qui salvantur; non quod Deus vel non possit vel nolit multos salvare, sed quia ipsi salvari nolunt, volentes in vitiis et peccatis vivere et contradicere Christo, cui infideles omnes contradicunt, omnes haeretici et schismatici, omnes mali catholici peccatoresque christiani, qui cum bene credant, male tamen vivunt. Qui autem revera fide et operibus vitaque christiani sunt, paucissimi sunt. **Pauci sunt qui salvantur, quia pauci sunt veri christiani,**

Veri autem christiani apud Deum sunt qui vita et moribus Christo similes sunt, qui Christum ex animo sequuntur et imitantur tamquam perfectum divinumque virtutum omnium exemplar, in puritate vitae, in spirituali profectu, in cognitione Dei, in gratia; tandem veraque Dei caritate, nam propterea hic dicitur de Christo: *Puer autem crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus sapientia et gratia Dei erat in illo.* Vitae puritas summopere necessaria est: *Nisi* **qui vita et moribus Christo similes esse student.**

33) Hebr 5, 9. 34) Cf. Ps 103, 15. 35) Os 13, 9. 36) Lc 2, 31. 37) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult salvos,* etc.

enim *conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum;*[38] *Malitia parvuli estote,*[39] non sensibus. Necessarius spiritus Christi ad repugnandum carni, nam: *Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius;*[40] *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis;*[41] *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis.*[42]

38) Mt 18, 3. 39) 1 Cor 14, 20. 40) Rom 8, 9. Vulg.: *Si quis spiritum Christi,* etc. 41) Ibid. vr. 13. 42) Gal 5, 16. Tribus paginis albis relictis, transit ad festum Circumcisionis.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI

Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est, etc. [1]

Duo mysteria proponuntur hodie:

I. Duo mysteria proponuntur in hodierno Evangelio, sicut in Christo duplex est natura, quae sunt veluti duo magna in caelo luminaria, [2] duae columnae in templo, [3] duo cherubim in sancto sanctorum, [4] duae tabulae in arca, [5] duae cardines mundi in caelo: alterum est mysterium circumcisionis, alterum impositionis augustissimi Nominis Iesu, quae duo Paulus complexus fuit dicens quod Christus exinanivit semetipsum *formam servi accipiens... humiliavit semetipsum... usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* [6]

circumcisionis et impositionis nominis Iesu,

Circumcisio magnum erat antiquae legis sacramentum, nam, ut Cyprianus sermone *de Ratione Circumcisionis* ait: «Inter omnia Testamenti Veteris sacramenta nihil circumcisione solemnius antiqua celebravit religio»; [7] hinc Paulus *signaculum iustitiae fidei* appellavit, [8] Deus autem *signum foederis.* [9] Circumciditur hodie Christus, ut ostendatur filius Abrahae; vocatur Iesus, ut declaretur Filius Dei. [10] Circumcisione humiliatur, impositione ter sancti Nominis exaltatur; circumcisione ostenditur humilis homo, impositione nominis demonstratur sublimis Deus.

In nativitate Christus dictus fuit ab Angelo Salvator: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus;* [11] hodie ostenditur quomodo

1) Pericope huius diei Lc 2, 21. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 1, 16. 3) Cf. 3 Rg 7, 15; 2 Par 4, 12. 4) Cf. 3 Rg 6, 24; 2 Par 3, 10. 5) Cf. Ex 25, 16-21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 6) Phil 2, 7-9. 7) Opusculum olim S. Cypriano adscriptum. Edit. Venetiis ad signum Spei, 1547, pag. 652. 8) Rom 4, 11. 9) Gn 17, 11. 10) Cf. S. Bernardus *De Circumcisione,* serm. 1, (P. L. 183, 1133). 11) Lc 2, 11.

quae significant officium Salvatoris.

futurus erat Salvator, utique effusione sanguinis sui innocentissimi, sicut prius circumciditur et postea vocatur Iesus, nam *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* [12] Hinc Paulus ait: *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Iacob, post victoriam, dictus fuit Israel, [13] et Gedeon, everso altari Baal, appellatus fuit Ierobaal, *Iudicum* 6; [14] Abraham, debellatis regibus, benedictus fuit a Melchisedech, rege et sacerdote Dei; [15] David etiam, interfecto Goliath, cum triumpho venit in Ierusalem. [16]

Vocatum est nomen eius, sicut postquam natus fuit Noe impositum ei fuit nomen a patre simulque expositum: *Iste consolabitur nos ab operibus... manuum nostrarum de terra cui maledixit Dominus,* [17] propterea appellavit nomen eius Noe idest quies, nam consolatio quies est cordis et animi; ita, nato Domino, impositum ei nomen est atque expositum: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim,* etc. [18]

In Christo duo praecipue elucent: humilitas et maiestas,

II. In omnibus fere mysteriis Christi duo praecipue elucent: humilitas et maiestas; illa indicium humanitatis, haec autem Deitatis. In Incarnatione: *Ecce concipies in utero et paries Filium,* sed: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur;* [19] in nativitate: *Invenietis infantem pannis involutum,* [20] sed: *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus;* in Epiphania: *Invenerunt puerum,* sed: *Procidentes adoraverunt eum;* [21] in Baptismo a Ioanne baptizatur ut homo humilis, sed de caelo declaratur Deus sublimis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.* [22] Ita semper in Novo Testamento, imo etiam in Veteri. Isaias ait: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium,* sed *vocabitur nomen eius Emmanuel;* [23] *Parvulus natus est nobis,* sed *filius datus est nobis... et vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.* [24] Ita plane hodie elucet Christi humilitas in circumcisione, sed maiestas in nominis impositione.

sicut figuratur apud Danielem.

Accidit hodie sicut apud Danielem legimus, quod parvus lapis crevit in magnum montem, [25] sicut in baptismo Christi: humiliavit se Christus baptizari volens a Ioanne, sed divinitus exaltatus

12) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. 13) Cf. Gn 32, 28. 14) Cf. vr. 32. 15) Cf. Gn 14, 17-20. 16) Cf. 1 Rg 18, 6. 17) Gn 5, 29. 18) Mt 1, 21. 19) Lc 1, 31-32. 20) Ibid. 2, 12. 21) Mt 2, 11. 22) Ibid. 3, 17. 23) 7, 14. 24) Ibid. 9, 6. 25) Cf. 2, 35.

fuit; imo sicut in cruce, nam in maxima humilitate humanitatis quam maxime eluxit maiestas et gloria Deitatis, tunc enim agnitus fuit verus Filius Dei.[26] Ita plane hodie.

Duplici hoc mysterio Christus amorem suum erga nos ostendit.

III. Consuevere Romani calendis Ianuarii invicem sibi fausta precari et munera dare, quae xenia aut strenas dicebant. Plinius ait libro 28, capite 2: « Primo incipientis anni die laetis precationibus invicem faustum ominamur »;[27] et Ovidius *1 Fastorum*:

« Damus alternas accipimusque preces »;[28]

Suetonius Tranquillus in *Acta Augusti* meminit strenarum.[29] Ita Christus hodie nominis sui impositione salutem veluti precatur et munera dat carnis et sanguinis in signum amoris et caritatis; circumciditur amoris ergo, sicut in *Sacra Genesi* legimus circumcisum fuisse Sichem propter Dinam.[30]

Mensis iste, qui Romanis caput extitit anni, cum sol incipiat ad nos reverti, dicatus fuit Iano bifronti, qui forte Noe fuit propter duo saecula ante et post diluvium;[31] Christus autem bifrons propter duas naturas, et hodiernum mysterium veluti duas facies habet, sicut columna nubis in qua erat Angelus Domini.[32]

Circumcidi voluit ut agnosceretur verus filius Abrahae,

Verum etiam circumcisionis sacramentum duas facies habere videtur. Nam circumcidi voluit Christus tum propter legem, tum etiam propter Evangelium. Propter legem quidem, ut ostenderet se verum Abrahae filium, verum divinae legis observatorem, hinc non solum circumcidi voluit, verum iuxta legis praescriptum octavo nativitatis die, sicut Isaac,[33] circumcisus fuit. Propter Evangelium vero, ad designandum mysterium spiritualis circumcisionis, qua caro cum vitiis et concupiscentiis crucifigitur, ac etiam ut imago esset futurae passionis pro salute generis humani. Sicut enim agni sanguine Hebraei salvati fuere ab Angelo mortis,[34] ita per Christi sanguinem, qui Agnus immaculatus est, salutem consecuti sumus. Sic Christus hodie tanquam agnus immaculatus sanguinem fudit et guttis san-

et humani generis Redemptor,

26) Cf. Mt 27, 54; Mc 15, 39. 27) *Hist. Nat.*, pag. 499. 28) Vr. 176. 29) Cf. *Historiae*, pag. 19. 30) Cf. 34, 1-19. 31) Beyerlynck: « Veteres Ianum intelligebant Noe, atque ita eum olim gentiles nuncupabant, teste Berasio Anniano... Fingebant autem Noe bifrontem, quod saeculum vidisset ante et post diluvium». *Theatrum Vitae Humanae*, sub voce: *Ianus*; I. Perin *Onomasticon*, sub voce: *Ianus*. 32) Cf. Ex 13, 21. 33) Cf. Gn 21, 3-4. 34) Cf. Ex 12, 13.

guinis sui nos aspersit atque lavit, sicut Regius Vates ait: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,*[35] ubi designat duplicem effusionem sanguinis Christi; nam ad aspergendum sufficit modicum aquae, ad lavandum autem hominem multum aquae requiritur; sed tamen idem effectus tum aspersionis tum ablutionis: *Asperges me et mundabor, lavabis et dealbabor.* Aspersi sumus sanguine circumcisionis, lavati sanguine passionis: *Laverunt stolas suas... in sanguine Agni.*[36] Idem autem extitit meritum utriusque effusionis, nec minus meritum circumcisionis quam passionis, sicut in iugi sacrificio idem erat meritum agni quod mane et quod vespere offerebatur. Circumcisio et passio duplex immolatio.

circumcisio enim et passio duplex est immolatio.

Non indigebat Christus circumcisione, sicut nec baptismo, cum Agnus esset immaculatus, plenus omni gratia, sicut Abraham cum circumcisus fuit iustus et sanctus erat.[37] Sed sicut Moyses circumcisione filii salvatus fuit a morte,[38] ita circumcisione Christi salvatus est mundus, hinc Salvator appellatus est.

Circumcidi voluit non quia indigebat,

Circumcisio signum dicitur, signum utique electorum Dei, qui in Sacris Litteris signati dicuntur;[39] speciale autem signum electionis est vera carnis mortificatio: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt,* etc.[40] Signum indicativum culpae et peccati originalis; signum demonstrativum curationis ipsius, quoniam innocenti sanguine curandum erat; signum praefigurativum passionis Christi et Sacramenti regenerationis, nam propterea in membro generationis fiebat, quoniam credidit Abraham ex suo semine Christum nasciturum; signum etiam distinctivum Hebraeorum ab aliis gentibus, nam signis distinguuntur greges atque exercitus, imo et familiae; signum mysticum spiritualis circumcisionis, quae mortificatio, crucifixio et abnegatio dicitur; signum etiam repraesentativum fidei et pietatis Abrahae erga Deum, necnon etiam rememorativum divinarum promissionum, quae Abrahae factae fuerunt de venturo Salvatore et futura felicitate ac possessione terrae promissionis.[41] Singulariter autem signum erat atque protestatio fidei ac professio legis mosaicae, nam, ut Paulus ait, qui circumcideba-

sed in signum spiritualis circumcisionis,

quae plura significat.

35) Ps 50, 9. 36) Apc 7, 14. 37) Cf. Gn 17, 23-25. 38) Cf. Ex 4, 24-25.
39) Cf. Apc 7, 4-8 40) Gal 5, 24. 41) Cf. Gn 17, 1-21.

tur *debitor* erat *universae legis faciendae.*[42] Sic Christus circumcisus est.

IV. *Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo.*[43] Divinum plane Nomen, quod de caelo venit et per Angelum, imo Angelorum principem, Gabrielem, hominibus innotuit, a quo etiam interpretatum et expositum fuit; quare nomen est a Deo impositum et ab Angelo expositum. Nomen hoc videtur esse sicut aureum candelabrum cum septem luminibus,[44] nam virtutem continet contra satanam, contra peccatum, contra mortem, contra infernum; virtutem ad perficiendam naturam, ad conferendam gratiam, ad donandam gloriam vitamque aeternam.

Iesus nomen divinum est

Vocatum est nomen eius Iesus, Nomen ineffabile; totum Evangelium nihil aliud est nisi divini huius Nominis explicatio. Doctrina Christi scientia est salutaris: *Ad dandam scientiam salutis, visitavit nos oriens ex alto;*[45] Sacramenta et miracula omnia opera sunt salutis. Propria autem Nominis huius interpretatio est salus. Christus dicitur *resurrectio et vita,*[46] sicut *lux mundi*[47] et *veritas;*[48] ita quoque salus.

et ineffabile;

Saepissime divinum hoc Nomen in Sacris Litteris reperitur ubicumque legimus salutem aut salutare: *Salutare tuum expectabo, Domine, Iesum tuum;*[49] *Converte nos, Deus salutaris noster, Iesus noster.*[50]

Nomen hoc a Paulo dicitur nomen *super omne nomen,* quia virtute continet omnia nomina Christi, sicut caelum supremum omnes alios caelos, sicut homo compendium mundi, sicut rationalis anima vegetativam et sensitivam, sicut sensus communis omnes sensus. Multa reperiuntur in Divinis Litteris Christi nomina tum propria tum translata.

virtute continet omnia nomina Christi.

V. Hodiernum Evangelium paucis quidem, sed mirabili tamen arte Divini Spiritus complectitur humilitatem et gloriam Christi; mirabile complexum, sicut mundus ex caelo et terra, sicut homo ex anima et corpore, sicut Christus ipse ex divinitate et humanitate.

Hodiernum Evangelium complectitur humilitatem et gloriam Christi;

42) Gal 5, 3. 43) Lc 2, 21. 44) Cf. Ex 40, 4. 45) Lc 1, 77-78. 46) Io 11, 25. 47) Ibid. 8, 12. 48) Ibid. 14, 6. 49) Gn 49, 18. Ex hebraico. 50) Ps 84, 3. Ex hebraico.

Haec duo complexus fuit Angelus nuncians Christi nativitatem pastoribus: *Natus est vobis hodie Salvator*, etc.; *Invenietis infantem*, etc.; haec duo Isaias: *Parvulus natus est nobis... et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius*, etc.; *propter quod et Deus exaltavit illum*, etc.;[51] ita apud Ezechielem legimus: *Humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile. Ego Dominus faciens haec;*[52] hoc est quod Ioannes ait: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, sed *vidimus gloriam eius gloriam quasi Unigeniti a Patre.*[53] Sic videmus Christum in circumcisione humiliatum et in impositione Nominis exaltatum, sicut etiam humiliatum in praesepio et exaltatum ab Angelis in caelo; humiliatum in Iordane, cum baptizari voluit a Ioanne, exaltatum a Patre: *Hic est Filius meus*, etc.; humiliatum in passione, exaltatum in resurrectione et ascensione. Sic semper humilitatem Christi divina consecuta est gloria.

ostendit etiam virtutum eius meritum et praemium,

VI. In duobus his hodierni Evangelii mysteriis habemus meritum virtutum Christi et praemium; meritum humilitatis, obedientiae, patientiae et caritatis; praemium exaltationis et gloriae in divinissimi Nominis huius impositione. Humiliavit se hodie Christus usque ad formam hominis peccatoris, nam circumcisio in remedium peccati instituta fuit, sicut et Baptismus, etc.

quod praefiguratum fuit in Abraham.

Sicut in Sacris Litteris simul reperiuntur meritum virtutis Abrahae erga Deum et praemium eiusdem: *Quia fecisti hanc rem*, etc.,[54] ita plane hodie. Sicut etiam simul Deus dedit Abrahae circumcisionis praeceptum et nomen multo illustrius, quasi in praemium virtutis, ita hodie factum est. In circumcisione appellatus fuit *Abraham, pater* excelsus *gentium*,[55] quia ex eo nasciturus erat populus Dei electus, divino cultui dedicatus, ideo nanque in genitali membro instituta fuit circumcisio; similiter Christus in circumcisione accepit hoc augustissimum Nomen Salvatoris, nam: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;*[56] hinc in *Apocalypsi* visus fuit Ioanni indutus veste aspersa sanguine et habens in veste *et in femore suo scriptum*: *Rex Regum*, etc.;[57] femur autem locum generationis designat, sicut legimus septuaginta

51) Phil 2, 9. 52) 17, 24. Vulg.: *Ego Dominus... feci.* 53) 1, 14. 54) Gn 22, 16. 55) Ibid. 17, 5. 56) Tit 3, 5. 57) 19, 16.

animas egressas de femore Iacob.[58] Hodie autem videmus vestem sanguine aspersam et Nomen, *quod est super omne nomen*, nomen salutis per regenerationem: *Nisi quis renatus*, etc.[59]

VII. Divini autem huius Nominis in hodierno Evangelio habemus impositionem, praedictionem et dignitatem. Impositionem, non casualem, non inanem, sed sapienter factam, ita ut sit veluti definitio rei, veluti cum sol in Scriptura dicitur luminare,[60] cum Abraham appellatur pater multarum gentium, cum Iacob dictus est Israel,[61] cum Gedeon dictus est Ierobaal;[62] sic Christus dictus est Iesus: *Ipse enim*, inquit Angelus, *salvum faciet populum*, etc. Sicut primus homo Adam appellatus fuit, idest terrenus, quia revera de terra formatus fuit, et prima mulier Eva, hebraice *chavah*, idest vita,[63] quia revera mater futura erat humani generis, ita Christus Salvator. Olim imponebantur nomina vel ab aliquo eventu, sicut Iacob appellatus ita fuit, quia plantam fratris tenebat manu,[64] Phares a ruptione,[65] Phaleg a divisione linguarum;[65a] vel ad commemoranda praeterita, sicut Ioseph imposuit nomina Manasse et Ephraim,[66] Moyses Gherson et Eliezer filiis;[67] aliquando ad portendenda futura, sicut Noe appellatus fuit ita, quoniam pater dixit: *Ipse consolabitur nos*, etc.;[68] ita Isaias datos sibi dicit filios in portentum,[69] ita Oseas natis sibi filiis imposuit nomina ad portendenda futura;[70] ita nomen hoc impositum Christo fuit: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Habemus hodie divini huius nominis impositionem,

Praeter autem divinam Nominis huius impositionem, habemus etiam praedictionem: *Quod vocatum est ab Angelo priusquam*, etc. Sicut in Veteri Testamento praedictum fuit nomen Ismaelis,[71] Isaac,[72] Samsonis et Iosiae regis Iuda,[73] quamquam etiam apud Isaiam praedictum legimus nomen Cyri regis Persarum,[74] in Novo autem Testamento nomen Ioannis Baptistae,[75] ita praedictum ac praenunciatum legimus divinitus nomen Salvatoris. Nec semel tantum, sed semel et iterum; prius ad Mariam ante conceptionem,[76]

praedictionem

58) Cf. Gn 46, 26. 59) Io 3, 3. 60) Cf. Gn 1, 16. 61) Cf. ibid. 32, 28; 35, 10. 62) Cf. Idc 6, 32. 63) Cf. Gn 3, 20. 64) Cf. ibid. 25, 25. 65) Cf. ibid. 38, 29. 65a) Cf. ibid. 10, 25. 66) Cf. ibid. 41, 51-52. 67) Cf. Ex 2, 22. 68) Gn 5, 29. 69) Cf. 8, 18. 70) Cf. 1, 4 sqq. 71) Cf. Gn 16, 11. 72) Cf. ibid. 17, 19. 73) Cf. 3 Rg 13, 2. 74) Cf. 44, 28. 75) Cf. Lc 1, 13. 76) Cf. ibid. vr 31.

postea ad Ioseph, cum inventa esset *habens de Spiritu Sancto;*[77] utrobique autem ab Angelo, sicut ab Angelo praenunciatum fuit nomen Samsonis.[78]

et dignitatem.

Dignitas autem huius Nominis indicatur in hodierno Evangelio, quoniam nonnisi ab Angelo Gabriele, qui summus existimatur Angelorum princeps, manifestatum ac praenunciatum est hoc divinissimum Nomen: *Quod praedictum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur;*[79] *Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum;* nam *hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.*[80] Reddere videtur rationem Angelus cur tali tantoque nomine vocandus esset: quoniam talis ac tantus futurus erat princeps, non humana sed angelica [lingua], et quidem summi Angeli, pronunciatum est manifestatumque Nomen hoc augustissimum et divinissimum, sicut lapis pretiosissimus in auro optimo manu sapientissimi artificis collocatus. Sicut Deus ab antiquis Optimus Maximus est appellatus,[81] ad insinuandam divini nominis summam tum potentiam tum bonitatem, ita divinissimum hoc Nomen duo haec designat: divinam, inquam, ad salvandum potestatem et voluntatem, quod possit velitque nos ab omni malo salvare perpetuaque ac perfecta bonorum omnium cumulatione felicitate donare; optimam autem voluntatem ipsa sanguinis effusio cumulatissime testatam reddit, cum salutis nostrae causa seipsum in vitae discrimen ponit.

Hoc nomen significat divinam potestatem et voluntatem ad salvandum.

O utinam nostris votis nos illi responderemus, ut nos etiam propriae salutis vero desiderio ex animo teneremur! Nam salvari non poterimus nisi volentes, sicut languido in piscina Dominus dixit: *Vis sanus fieri?*[82] Sic ad salutem Dominus neminem cogit, non salvat nisi volentes.[83]

77) Mt 1, 21. 78) De hoc in Scriptura constare non videtur. 79) Lc 2, 21. Vulg.: *Quod vocatum*, etc. 80) Ibid. 1, 31-32. 81) Cicero *De Natura Deorum*, lib. 2, n. 25: «Iupiter a maioribus nostris dictus est Optimus Maximus, quia malus est certeque gratius prodesse omnibus quam opes magnas habere». 82) Io 5, 6. 83) Quattuor foliis albis relictis, transit ad festum Epiphaniae.

IN EPIPHANIA DOMINI

Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: ubi est qui natus est rex Iudaeorum? [1]

Hodie splendidissime manifestatur Christi nativitas.

I. Festivissimum diem celebramus Epiphaniae, illustrationis et religionis plenissimum, quo unigenitus Filius Dei, recens mundo natus, illustrissima demonstratione hominibus est manifestatus. Duo sunt mysteria christianae religionis omnium maxima et quae principem locum sibi vindicant: nativitas Christi ad vitam mortalem et resurrectio ad immortalem. Hi sunt duo cardines totius Evangelii. Sicut autem ad comprobandam fidem resurrectionis, ut fidelium cordibus firmissime insideret, multis argumentis opus fuit, quibus per quadraginta dies usque ad ascensionem [2] firmissime fundata et stabilita fuit, omni adempto scrupulo dubitationis, ita etiam per dies quadraginta, usque ad Purificationem Virginis, multis modis manifestata et comprobata est Christi nativitas, ne mundus ignorantiam praetexere et veluti scuto se contegere posset. Hodie autem beatis Magis clarissime revelata et manifestissime demonstrata est Christi nativitas, multo splendidius quam pastoribus per Angelum in praesepio et Simeoni iusto Annaeque pientissimae feminae in templo.

II. In hodierno Evangelio veluti in scena nobilissima atque ditissimo apparatu repraesentatur mysterium illustrissimae manife-

1) Pericope huius diei Mt 2, 1-13. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Act 1, 2-3.

Repraesentatur hodie veluti quaedam tragicomoedia quinque actibus distincta

stationis Christi. Est autem veluti tragicomoedia quinque actibus distincta. In primo actu introducitur nova et mirabilis stella, quae veluti prologum agit; introducuntur Magi, viri sapientissimi, astrologi peritissimi, nobilissimi principes novam stellam magna cum admiratione et ingenti stupore contemplantes, et tandem intelligentes et capientes cuius rei indicium simul et auspicium esset.

In secundo actu introducitur Magorum sacra piaque peregrinatio cum thesauris atque homagiis,[2a] ad munerandum natum regem; fit autem peregrinatio haec stella duce, sicut peregrinatio Hebraeorum in deserto duce columna nubis:[3] *Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam,* ubi reliquit eos stella,[4] quare ibi natum esse Christum sunt arbitrati.

In tertio actu introducitur commotio Herodis regis et universae civitatis, introducitur generale concilium: *Congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi;*[5] itemque secretum colloquium Herodis cum Magis: *Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae;* tandem dimissio Magorum a regia: *Ite et interrogate diligenter de puero,* etc.[6]

In quarto actu introducitur discessus Magorum ab Ierusalem, iter in Bethlehem, nova apparitio stellae, gaudium Magorum, inventio, adoratio et muneratio Christi summa cum religione et pietate.[7]

Tandem in quinto actu introducitur divinum oraculum: *Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem;* Angelus veluti peroratorem agit et spectatores a scena dimittit. Sic Magi remeant ad patrias sedes orientisque regionem, sed *per aliam viam.*[8]

et multis mysteriis referta.

Scena haec multis divinorum mysteriorum luminibus ornata est; demittantur cortinae ut videantur. Quoad primum actum, fuit stella illa supramodum mirabilis magnitudine, decore et lumine; sed ignoratur an fuerit caelestis vel elementalis naturae, de caelo demissa an de novo creata. Hoc certum est, quod ab aliis stellis situ et motu differebat, nam *antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi puer erat.*[9] Ergo per aera movebatur, sicut columna nubis

2a) Vox inferioris Latinitatis Cf. De-Vit, *Glossarium.* 3) Cf. Ex 13, 20 sqq. 4) Cf. Mt 2, 9. 5) Ibid. vr. 4. 6) Ibid. vrr. 7-8. 7) Cf. ibid. vrr. 9-11. 8) Ibid. vr. 12. 9) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Erat puer.*

in deserto. Quod si erat in aere, vero quam simile est eam natura similem fuisse crinitis stellis, quae in superna aeris regione ex densis vaporibus ex exhalationibus generantur. Erat ergo elementalis naturae, sicut columna nubis divinitus composita per Angelum mota, sicut illa ad ducendum Magos ad Christum, sicut illa ad perducendos Hebraeos in terram promissionis ac tandem sicut et illa, expleto hoc ministerio, defecit.[9a]

Stella haec Magis signum fuit Christi nati

III. *Vidimus stellam eius in oriente.*[10] Videri potuit stella ista Christi imagine insignita, nam et Christus stella est appellatus: *Ego stella splendida et matutina,*[11] sicut dictus est *Sol iustitiae;*[11a] vel divino lumine illustrati et Spiritu Sancto instructi, cognoverunt stellam illam signum esse nati Christi, iuxta illud oraculum: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga ex Israel.*[12] Non enim, nisi Deo auctore, certum et exploratum habere scireque potuerunt stellam illam evidens signum extitisse nati Iudaeorum regis, idest expectati Messiae.

et Christum eis nunciavit.

Ecce Magi: sapientes philosophi, naturali magia praediti, astrologi peritissimi, qui spectandorum siderum arte pollebant, caelestium rerum contemplatores, caelesti lumine ducuntur ad Christum; sicut R e g i u s V a t e s ait quod *caeli enarrant gloriam Dei,*[13] ita stella haec Magis natum Christum praedicavit. *Vidimus stellam eius,* idest nunciam nativitatis ipsius, ideo *venimus adorare eum.* Nova stella indicat mundo novum hominem natum, siquidem: *Novum creavit Dominus super terram,* etc.[14]

Sicut aqua Baptismi corpus lavat exterius et animam mundat sanctificatque interius, ita stella ista exterius et interius beatos Magos visa est illustrasse, operante Deo, nam, ut L e o P a p a ait, « dedit aspicientibus intellectum qui praestitit signum ».[15] Nam sicut solem absque radio lucis suae videre non possumus, ita nec Deum sine ipsius gratia pie nosse.

9a) Hoc deducitur ex iis quae dicuntur Ios 3, 4; tunc enim arca ducatum praebuit.
10) Ibid. vr. 2. 11) Apc 22, 16. 11a) Mal 4, 2. 12) Nm 24, 17.
13) Ps 18, 1. 14) Ier 31, 22, Vulg.: *Creavit Dominus novum super terram.* 15) Serm. 1 *De Epiphania,* (P. L. 54, 935).

In primo actu ostenditur gratia Magis oblata.

IV. In primo hoc actu ostenditur gratia caelestis oblata hominibus in oriente, ubi primo peccatum natum est in terra, hominibus gentilibus, infidelibus Magis, astrologis, qui nonnisi mundana et naturalia sapiebant: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes*, etc. [16]

In secundo eorum conversio ad fidem.

In secundo autem actu ostenditur conversio Magorum ad Christi fidem magno cum ardore fidei, pietatis et religionis simulque caelestis gratia, quae eos praevenerat, quomodo comitabatur atque ducebat; stella enim, in qua caelestis dux Angelus eos anteibat, ita sese iter facientibus Magis aptabat, ut cum euntibus iret, cum stantibus immota staret, sicut columna cum Hebraeis faciebat, [17] atque in hunc modum eos ducebat, comitabatur, illustrabat, securos de via reddebat. Ardor autem fidei ostenditur: *Venerunt Ierosolymam* quaerentes et *dicentes*: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* idest verus Messias? *Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum.* [18] Stella eos ducebat quasi per mortuum mundi huius mare navigantes.

In tertio exhibetur viva mundi imago,

In tertio autem actu ostenditur imago quaedam mundi huius ad vivum, ad naturale: *Audiens autem Herodes rex, turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo; et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi*, etc. [19] Herodes nomine rex erat, factis autem tyrannus. Sunt in mundo bona nomina, sed mala facta. Regnat tyrannis in mundo. Hoc differt rex a tyranno, quod rex est veluti pius pastor et pater populi, tyrannus autem venator est, imo lupus devorans oves, sed sub habitu pastoris. Mundus hic Ierosolyma videtur, locus pacis et quietis, et tamen locus est turbationis: *Turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo; Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest;* [20] *Non est pax impiis, dicit Dominus.* [21]

Praeterea in Herode mixtura quaedam reperitur fidei et perfidiae; partim credit, partim non credit. Si enim non credidisset Magis, non congregasset concilium, non sciscitatus fuisset ubi Christus nasceretur, non didicisset diligenter tempus stellae, non misisset eos in Bethlehem. Si autem credidisset Christum vere Filium Dei esse,

16) Tit 2, 11-12. 17) Cf. Nm 9, 16 sqq. 18) Mt 2, 2. 19) Ibid. vrr. 3-4. 20) Is 57, 20. 21) Ibid. 48, 22.

non machinatus fuisset ipsius mortem; si credidisset Christum mundi Salvatorem esse, non fuisset turbatus.

Ita in mundo mixtura reperitur virtutum et vitiorum. Mundus ipse partim credit, partim non credit; quae suis cupiditatibus non repugnant, facile credit, ubi autem fides cupiditati repugnat, collabitur.

ubi mixtura reperitur virtutum et vitiorum.

Sicut autem in Herode ficta erat religio et vera iniquitas, ficte dixit: *Ut et ego veniens adorem eum,*[22] vere autem perdere eum volebat, sicut Sanctorum Innocentum sanguis palam ostendit. Ita in mundo vera sunt vitia et falsae virtutes.

Reperitur etiam in Herode magna diligentia, itemque magna negligentia: *Diligenter didicit... tempus stellae; Ite et interrogate diligenter de puero.* Non pergit autem ipse cum eis nec quemquam mittit ex suis, cum civitas Bethlehem ab Ierusalem vix quinquaginta stadiis distaret. Ita mundus quae sua sunt diligentissime quaerit, in iis autem quae Dei sunt, minime videt.

Herodes vocem habet Iacob: *Ut et ego veniens adorem eum,* sed manus Esau,[23] quia perdere volebat, lupus sub ovina pelle. In Ierusalem non videtur stella, quia in mundo non splendet divina gratia. Erant ibi bonae leges, sed mali mores, hinc omnis civitas cum Herode turbatur. Lex Domini erat in codicibus, non in cordibus; ibi principes sacerdotum et scribae, qui recte docebant, sed male vivebant, qui Herodem magis quam Deum colebant; hinc audientes Christum natum turbantur cum Herode, non laetantur cum Angelis. Habebant bonum intellectum, sed malam voluntatem, quod daemonum proprium est; fideles autem Dei, sicut Angeli Domini, una cum bono intellectu bonam habent voluntatem. Fidem habebant, sed sine operibus, legem in ore non in corde, fidem sine caritate mortuam, fictam, nam: *Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.*[24] Talis plane mundus hic est. Regnabat in Ierusalem Herodes, non Deus, hinc audita nativitate Filii Dei, turbantur, non laetantur, ut par erat.

sicut patet in turbatione Herodis et omnis Ierosolymae.

In quarto actu iterum stella splendore divino refulgens comparet in scena: *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat*

22) Mt 2, 8. 23) Cf. Gn 27, 22. 24) 1 Tim 1, 5.

In quarto actu proponitur stella symbolum gratiae.

eos. Mutantur prospectivae: Ierusalem in Bethlehem, palatium regis Herodis in diversorium, thronus regius in praesepium; stella Magos replet incredibili gaudio: *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde;* eos ad Christum perduxit: *Usque dum veniens staret supra ubi erat puer,*[25] sicut columna nubis Hebraeos usque ad terram promissionis perduxit.[25a]

cuius quattuor sunt effectus;

Quattuor de stella hac dicuntur: quod apparuit Magis in oriente: *Didicit tempus stellae quae apparuit eis;* quod movit eos ad quaerendum Christum: *Vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum;* quod in Ierusalem lucis suae radios retraxit et ab oculis Magorum se abscondit; et tandem quod incredibili cum gaudio Magos ad Christum perduxit. Tales sunt effectus gratiae: illustrat primo oculos mentis, illuminat intellectum; postea movet potenti virtute affectum; tertio nos perpetuo in via Dei comitatur, licet aliquando nos deseruisse videatur, sed ad maiorem postea consolationem nostram, sicut in nuptiis Christi bonum vinum in fine datum fuit.[26]

proponitur etiam perfecta imago religionis.

In hoc etiam actu proponitur perfecta imago verae religionis, nam: *Intrantes domum invenerunt puerum... et procidentes adoraverunt eum,* etc.[27] Sicut de caeco nato divinitus illuminato a Christo legimus: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum,*[28] ita plane Magi crediderunt inventum puerum, indice stella, esse regem Iudaeorum quem quaerebant, credentes autem adoraverunt et muneraverunt: *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.*[29] Quae non vacant mysterio quod tria munera obtulerunt. Nam Apostolus, causam indicans cuius gratia Christus in mundum venerit, ait: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria,* quod est orientem relinquere et ab Ierusalem abire, *sobrie et iuste et pie vivamus,* etc. Sunt beati Magi perfectae imagines ad vivum et naturale verorum Christi fidelium.

In quinto tandem et postremo actu comparet in scena Angelus Domini, qui veluti peroratorem facit et spectatores dimittit; sed una cum eo [ostenditur] paterna Dei providentia erga Magos: *Re-*

25) Mt 2, 9. 25a) Cf. Ex 13, 21 sq. 26) Cf. Io 2, 1-10. 27) Mt 2, 11.
28) Io 9, 38. 29) Mt 2, 11.

sponso accepto in somnis ne redirent ad Herodem. [30] Dei nanque tum bonitas tum providentia ab oriente Magos duxit ad Christum, eadem nunc reducit salvos et incolumes ad patrias sedes.

In quinto actu paterna Dei providentia erga Magos ostenditur.

Tandem Magi iterum in habitu peregrinorum comparent in scena: *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam*, sancta piaque peregrinatione perfecta. Sic Iacob Dei ductu salvus et incolumis multis bonis ditatus reversus fuit in domum patris. [31]

V. *Ecce Magi ab oriente venerunt.* Forte a Mesopotamia, nam Balaam, qui de stella hac vaticinatus fuit, mesopotamenus fuit, sicut *Deuteronomii* 23 legimus; [32] *in Numeris* autem 23, a montibus orientis vocatus dicitur. [33] Iacob etiam, cum in Mesopotamiam iter instituisset, in terram orientalem abiisse dicitur, *Genesis* 29; [34] Abraham, ut legimus *Genesis* 25, filiis suis, quos ex Cetura suscepit, inter quos Madian et Epha numerantur, possessionem dedit ad orientalem plagam. [35] Venerunt ergo Magi a regione, quae Palaestinis orientalis erat, ad solis ortum sita, sicut nunc qui a Constantinopoli Venetias navigant, ab oriente venire dicuntur.

Ab oriente, ut creditur, a Mesopotamia.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Aliam peregrinationem ab oriente factam legimus, sed huic valde dissimilem. Nam homines post diluvium venerunt ab oriente in campum Sennaar, ubi turrim et civitatem Babel aedificaverunt; [36] Magi autem novam Ierusalem condiderunt. Philo, in libro *De Confusione Linguarum*, duplicem facit orientem: meliorem et deteriorem, [37] virtutum et vitiorum; ad meliorem plantavit Deus paradisum, a deteriori vocatus fuit Balaam ad maledicendum populum. Nos autem dicamus quod est oriens Dei et oriens satanae, ubi peccatum natum est; oriens spirituale, cognitio divinorum, corporale, cognitio temporalium bonorum, quae trahit affectum animi ad ardentem cupiditatem. Hinc varia videmus desideria Magorum a desideriis hominum, qui Babel aedificarunt; illi propriam gloriam quaerebant: Faciamus nobis nomen, [38] hi autem gloriam Christi.

Duplex oriens: Dei et satanae.

Hodiernum Evangelium totum plenum est gloria Christi. Humiliaverat se Filius, exaltat illum Pater: *Qui se humiliat exaltabitur;* [39]

30) Ibid. vr. 12. 31) Cf. Gn 31, 1-18. Aliquae lineae albae relinquuntur. 32) Cf. vr. 4. 33) Cf. vr. 7. 34) Cf. vr. 1. 35) Cf. vrr. 1-6. 36) Cf. ibid. 11, 1-9. 37) Cf. pag. 214. 38) Cf. Gn 11, 4. 39) Lc 14, 11; 18, 4.

Hodiernum Evangelium plenum est gloria Christi.

Exinanivit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum.[40] Nam praedicat gloriam Christi stella Magis in partibus orientis; praedicant eamdem gloriam Magi in Ierusalem; praedicant vaticinia Prophetarum in concilio sapientum; praedicant munera Magorum cum ipsa adoratione; praedicant Angeli Magos in somnis admonentes.

ALIA HOMILIA

Duo consideranda sunt.

I. In hodierno Evangelio duo sunt consideranda: historia, gestarum rerum narratio, et mysterium. Quoad historiam, quinam fuerint hi Magi, quid stella, quae vaticinii intelligentia; quoad mysterium, quid Magi, quid stella, quid munera oblata significent.

Quoad historiam variae sunt sententiae de Magis

Magos dicit viros ex gentilitate, sapientes, naturalium rerum scientia imbutos, non nefariae diabolicae magiae deditos, sed naturali, qui apud Persas Chaldaeosque magi dicebantur, sicut apud Graecos philosophi, apud Indos gymnosophistae, apud Aegyptios hierophantae, apud Latinos aruspices.[1] Hinc honoris causa videtur eos Evangelista Magos appellasse et ex eo quod postea subiungit: *Vidimus stellam eius in oriente,*[2] ostendit fuisse astrologos, non futiles, contemplatione vera siderum motuumque caelestium scientia et cognitione praestantes.

ac de stellae natura.

Stellam autem Gregorius Nyssenus *De Incarnatione* dicit unam fuisse ex caelestibus divinitus missam,[3] quod quidem possibile Deo esse scimus; an autem ita factum sit ignoramus. Aliquando quidem novam [stellam] in caelo apparuisse legimus apud Plinium, libro 2, capite 26, agens de Hipparco philosopho.[4] Nostra etiam aetate superioribus annis nova stella apparuit in genu Cassiopeae, omnium astrologorum iudicio in octava sphaera, de qua multa extant doctissimorum virorum iudicia.[5] Potuit procul dubio

40) Phil 2, 7-9.

1) Cf. Picus Mirandulanus *Apologia Quaestionum*, q. 5; Bartolomaeus Chassanaeus *Catalogus Gloriae Mundi*, part. 12, fol. 249b. 2) Mt 2, 2. 3) Cf. P. G. 46, 1134. 4) Cf. *Hist. Nat.*, pag. 11. 5) Apparuit a. 1572, evanuit a. 1574. Cf. Christophorus Clavius *In Sphaeram*, pag. 194; Franc. Valesius *Sacra Philosophia*, pag. 45-46.

Deus novam stellam creare, sed existimo fuisse aereae aut igneae naturae motamque ab Angelo, sicut columna nubis;[6] propterea non omnibus visam fuisse, sicut Angelus, cum in aereo corpore apparet hominibus, non videtur nisi a quibus vult. Fuit igitur supernaturaliter facta, divinum opus.

Conferuntur verba Evangelii cum vaticinio Prophetae.

Vaticinium hodiernum in Evangelio non bene relatum esse videtur. Nam in fonte est: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus Iuda;*[7] in Evangelio autem: *Nequaquam minima es in principibus Iuda.*[8] Pugnantia verba et contradictoria videntur. Non tamen sunt. Primo quidem quia Evangelista refert vaticinium prout a Scribis relatum fuit in concilio, qui veluti paraphrastice retulerunt, exponentes illud *Ephrata* per terram Iuda, ad distinctionem alterius Bethlehem, quae erat in tribu Zabulon, ut in libro *Iosue*[9] et *Iudicum*[10] legimus. Illud etiam *in millibus* per principes, nam vox hebraea utrumque significat; dictus autem princeps a mille, quasi qui mille viris esset praefectus, unde chiliades et chiliarchae. Illud autem *minima es* intellexerunt et exposuerunt vel per interrogationem dictum, ut: num minima es inter principes civitates, cum ex te? etc., sicut apud Paulum *Romanis* 8: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus qui pro nobis mortuus est;*[11] vel dictum intellexerunt per ironiam, sicut: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est;*[12] et quod legimus *3 Regum* dictum a Michaea regi Achab: *Vade et praevalebis,*[13] ironice dictum; ironia autem cum affirmat, negat. Magna igitur consonantia est inter Evangelium et Prophetam. Quare nimium audax et arrogans invenitur Andreas Osiander haereticus, qui hinc damnare vult editionem Vulgatam Hieronymi tamquam Evangelio de directo contrariam et irreconciliabilem aitque vel Evangelium damnandum vel Hieronymi Editionem.[14] Sed Osiander, ut puto, cum vatiniano odio catholicam Ecclesiam prosequeretur, scrutabatur Scripturas cum Herode ad perdendum Christum, qui nonnisi in veris catholicis per fidem habitat vivitque. Nam scrutati sunt hodie divina Scripturarum oracula Magi ex pietate, scribae ex

6) Cf. Ex 13, 21 sqq. 7) Mich 5, 2. Vulg.: *Parvulus es*, etc. 8) Mt 2, 6. 9) Cf. 19, 15. 10) Cf. 12, 8-12. 11) Vrr. 33-34. 12) Gn 3, 22. 13) 22, 22. Vulg.: *Decipies et praevalebis.* 14) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Verbo Dei*, lib. 2, cp. 12, col. 102.

scientia et doctrina absque ulla pietate, Herodes ex impietate sub specie pietatis: *Ut et ego veniens adorem eum.* [15] Ita haereticus.

Duplici via Magi devenerunt in Christi cognitionem: stella caelesti et prophetico oraculo.

II. Duplici via devenerunt Magi in Christi cognitionem: per stellam et per prophetiae oraculum, sicut Regius Vates hac duplici via in *Psalmo: Caeli enarrant,* [16] ducit hominem ad cognitionem Dei. Sicut autem multo maiorem cognitionem divinarum rerum habet theologus ex Scriptura quam philosophus ex natura, nam *invisibilia* Dei *per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur,* [17] ita Magi hodie multo maiorem cognitionem Christi accepere ex prophetico oraculo quam ex caelesti stella. Siquidem ex stella Christum regem cognoverunt: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* [18] at vero ex prophetico oraculo verum Filium Dei verumque Deum principemque Sanctorum et totius Ecclesiae caput summumque monarcham: *Ex te mihi exiet* dux *qui sit dominator in Israel, et egressus eius a principio, a diebus aeternitatis,* [19] hebraice: *egressiones eius,* idest nativitates, plurali numero, quia nativitas cum sit aeterna, sicut ortus radii a sole, coexistit omni tempore; vel plurali numero hebraica phrasi, quia complectitur omnem perfectionem aliarum nativitatum, sicut Deus omnem perfectionem creaturarum, ita ut qui nascitur sit Patri coaeternus, sicut lux radio consubstantialis, sicut rivus fonti coaequalis et similis omnino, sicut [20] imago in speculo quod perfecte reddit rerum imagines. Sic declaratur verus Deus ut Pater, quemadmodum ipsa etiam vera aeternitas, quae ei tribuitur, manifeste demonstrat: *Egressio eius ab initio, a diebus aeternitatis,* ante dies aeternitatis. Hinc Isaiae 9 dictus est *abihad, pater aeternitatis.* [21]

Quare veluti quaedam scala multis gradibus constans habetur in hodierno Evangelio, instar scalae Iacob, [22] altius semper ascendens. Nam primo dicitur natus infans in Bethlehem; deinde rex natus; postea Dominator in Israel, summus Hierarcha Ecclesiae; tandem verus Deus. Quae quidem quattuor de Christo, ordine tamen

15) Mt 2, 8. 16) 18, 1. 17) Rom 1, 20. 18) Mt 2, 2. 19) Mich 5, 2. Vulg.: *Ex te mihi egredietur,* etc. 20) Ms.: *Sicut* bis ponitur. 21) Vr. 6, hebr. vr. 5. 22) Cf. Gn 28, 12.

retrogrado, docuit Regius Vates *Psalmo 109*: *Dixit Dominus Domino meo*: *sede a dextris meis,* [23] haec est vera Christi divinitas; *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* [24] qui fuit simul rex et sacerdos; [25] ac tandem: *Ex utero ante luciferum genui te,* hebraice: *de matrice ex aurora tibi ros nativitatis tuae,* [26] exprimitur virginalis partus; quae sunt etiam quattuor illa mirabilia Salomonis ordine similiter retrogrado; [27] nam in ascensione Christus ostensus est Deus, in resurrectione rex, in passione sacerdos et in nativitate homo.

III. Quod autem ad mysterium spectat, stella symbolum est gratiae caelestis praevenientis et consequentis, nam: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est... a Patre luminum.* [28] Magi sunt veluti naturales imagines verorum christianorum. Nam in eis elucet fides fideique publica confessio: *Ubi est qui natus est?* non dubitant natum, locum tantum requirunt; in eis pietas et religio: *Venimus adorare eum;* ardens studium inveniendi Christum, hinc: *Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno,* [29] indicium verae ardentisque in Christum caritatis; tandem opera hominis vere christiani per munera designantur: aurum eleemosynam designat, thus orationem, myrrha ieiunium mortificationemque carnis, quae etiam designantur in turbis fidelibus quae clamabant: *Hosanna, benedictus,* etc., [30] portantes ramos olivarum in manibus et sternentes vestimenta in terra. [31]

Quoad mysterium, stella symbolum est gratiae.

Ostenditur etiam praemium pietatis, nam divinitus admoniti sunt ne ad Herodem redirent, ne forte periculum aliquod subirent, et securi atque incolumes, Deo duce, in patriam rediere. Hoc virtutis praemium est: salus a periculis, vita incolumis laetaque patriae assecutio, reversi in orientem, ubi paradisus plantatus a Domino fuit. [32] Designant etiam munera haec integram fidem divinitatis, regiae maiestatis et humanae in Christo mortalitatis; mysteria passionis, resurrectionis et ascensionis. Designant adhuc ardentem in Christum

Ostenditur etiam praemium pietatis.

23) Vr. 1. 24) Ibid. vr. 2. 25) Cf. Gn 14, 18. 26) Ps 109 (hebr. 110), 3. 27) Cf. Prv 30, 18. 28) Iac 1, 17. 29) Mt 2, 10. 30) Io 12, 13. 31) Cf. Mt 21, 8; Io 12, 13. 32) Cf. Gn 2, 8.

caritatem, veram devotionem et sui ipsius veram abnegationem: *Qui vult venire post me, abneget*, etc. [33]

Ecce stella, quam viderant. Fuit stella haec Magis instar magnetis cordium et animorum, trahebat enim eos ad se ut ad Christum perduceret. Sed divinitus factum est, nam: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit.* [34]

33) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult*, etc.

34) Io 6, 44. Tribus foliis albis relictis, transit ad festum Purificationis B. Mariae Virginis.

IN PURIFICATIONE VIRGINIS DEIPARAE

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi, etc. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio Virginis Deiparae purificationem et Christi praesentationem. Hodie Virgo Sanctissima suum puerperium explevit, Christum in templum portavit Deoque aeterno Patri praesentavit, munus sacerdoti obtulit, par turturum aut duos pullos columbarum, primogenitum filium, secundum legem, quinque siclis redemit, a Simeone Christi laudes audit benedictionemque et praemonitionem accipit.

Celebratur hodie purificatio Virginis et Christi praesentatio.

Ut autem de Virgine Matre in praesenti solemnitate aliquid pro nostra tenuitate dicamus, in ipso Evangelio tria mihi consideranda occurrunt: unum est dignitas Virginis, alterum est ipsius meritum, tertium est praemium et merces virtutis, sicut etiam de Anna matre Samuelis, quam solam in Veteri Testamento legimus filium praesentasse, [2] tria haec similiter legimus: dignitatem, meritum virtutis et praemium.

Tria consideranda sunt in hodierna solemnitate.

II. Ostensa est dignitas Virginis a nobilitate generis, quia orta de regia stirpe David; a legatione divinitus ad eam missa, quod facta sit vera sponsa Dei, vera et naturalis Mater Christi; a laudibus Angeli: *Ave gratia plena;* [3] ab encomio Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?... Beata quae credidisti;* [4] ostensa a

Primo, dignitas Virginis

1) Pericope huius diei Lc 2, 22. 2) Cf. 1 Rg 1, 20 sqq. 3) Lc 1, 28. 4) Ibid. vv. 42-45.

vaticinio Isaiae: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.*[5] Sed hodie singulariter ostenditur ab honore divinitus ei exhibito.

tantopere a Deo ipso honoratae.

Legimus in Divinis Litteris quod magno cum honore rex Salomon excepit in Ierusalem reginam Saba,[6] ut par erat talem tantamque reginam excipere, cum et nobilissima et ditissima et, quod rarum est, sapientissima esset regina. At vero hodie Maria honoratur, non ab homine rege, sed a Deo, qui *Rex* est *regum et Dominus dominantium;*[7] a rege caeli, Domino Angelorum, imperatore mundi, monarcha universi. Excepit in domum suam magno cum honore: misit ad excipiendam eam sanctissimum Simeonem, in quo erat Spiritus Sanctus, qui Spiritus Sancti ductu venit in templum; quare ipsemet Spiritus Sanctus venit ad excipiendam Virginem in domum Dei. Nec contentus misisse Simeonem, in quo Spiritus Sanctus erat, misit etiam Annam prophetissam, idest Divino Spiritu plenam, sanctissimam mulierem.[8] Non solent autem magni principes regesque magno cum honore in domum suam excipere nisi personas summae dignitatis, reges, reginas aliosque serenissimos et potentissimos principes. Qualis igitur dignitas Mariae, quae tali tantoque cum honore a Deo in domum suam excepta est! Sic ostenditur hodie magna dignitas Mariae ab honore divino.

Nulla creatura adeo honorata fuit ut Beata Virgo.

Legimus Salomonem honorasse reginam Bethsabee, matrem suam,[9] regem Assuerum honorasse reginam Esther, quando ivit ad eum intercessura pro salute populi sui.[10] Sed omnis honor huic cedit honori, sicut omnis creatura Deo ut cedat necesse est. Magna fuit dignitas Sarae, quia uxor Abrahami et mater Isaac; magna item dignitas Rebeccae, quia uxor Isaac et mater Iacob; magna dignitas Mariae prophetissae, quia soror Moysi et Aaronis; magna dignitas prophetissae Deborae, quia princeps erat totius populi Dei. Sed nulla dignitas cum hac conferenda. Honorare voluit Deus Mariam, ut ab omnibus honoraretur; quem enim rex honorat, omnes fideles populares ipsius honorare debent, sicut in libro *Esther* legimus, quando rex honorare voluit Mardochaeum.[11] Noluit Deus ut Moyses accederet ad locum, quem ipse divina sua praesentia sanctificaverat,

5) 7, 14. 6) Cf. 2 Par 9, 1-12. 7) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 8) Cf. Lc 2, 27-38.
9) Cf. 3 Rg 2, 19-20. 10) Cf. Est 7, 1-4. 11) Cf. 6, 10-11.

nisi summa cum reverentia; [12] voluit ut arca testamenti omnibus Israelitis summo esset honori, quia scabellum erat pedum ipsius, specialis locus habitationis, sedes ipsius; sic templum, quoniam domus Dei erat, ab omnibus honorari volebat. Quid igitur de Maria, vivo Dei templo, viva arca, vivo et sacratissimo loco totius divinitatis? Cum descendit ad dandam legem super montem Sinai, sub mortis interminatione cavit ne quis propius montem accederet aut tangeret, sed omnes a longe starent et tanquam locum sacratissimum summopere venerarentur propter divinam in eo praesentiam. [13] Quidnam non ipsemet verus Deus, [qui] mansit et habitavit in Maria? Quid templum illud nisi imago et exemplar Mariae, Ipsa animatum Dei templum? Et profecto in tribus his personis, Ioseph, Maria et Christo, mysteria sunt trium partium templi, etc.

III. Meritum autem Mariae est diligentissima divinae legis observatio. Ter nanque in hodierno Evangelio replicatur observatio legis: *Postquam impleti sunt dies purgationis... secundum legem Moysi, tulerunt eum in Ierusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini... et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini.* [14] Quam diligens erat Virgo in observatione legis! quam obediens divinis mandatis! Non erat subiecta his legibus, quoniam cessat lex ubi cessat ratio legis. In hoc autem partu non reperitur ratio legis. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum,* [15] hebraice legitur: *si seminificaverit,* nam proles Hebraeis semen appellatur, sed passive legendum est: si seminificata vel seminata, quod est ac suscepto semine; similiter cum lex praecepit *Exodi* 13: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur,* [16] idest dedicabitur Deo tanquam res sacra ac divino cultui destinata, non videtur Virginem includere, quoniam non aperto ventre peperit, sed clauso utero; Christus egressus est de utero matris sicut clausis foribus ingressus fuit ad discipulos. [17] Cum tamen illa periphrasis sit nativitatis primogeniti, servare voluit Virgo Sanctissima mandatum hoc legis et primogenitum suum Deo offerre ac

Secundo, consideratur meritum ipsius Virginis,

ex caritate qua legibus se subiecit,

quibus non tenebutur,

12) Cf. Ex 3, 5. 13) Cf. ibid. 19, 11. 20-22. 14) Lc 2, 22-24. 15) Lv 12, 2.
16) Vr. 2. Affert ex Lc 2, 22. 17) Cf. Io 20, 19. 26.

dedicare legemque universam ad amussim servare. Hinc quarto loco additur hodie: *Ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* [18] Sicut Christus voluit infans circumcidi [19] et factus iam vir tributum solvere cum non teneretur, sed ne scandalizaret pusillos, [20] sic Maria voluit has omnes servare leges, non ex necessitate, sed ex caritate, quae radix est bonae arboris bonos fructus facientis. [21]

sed maxime ex oblatione filii ad passionem

Sed singulare meritum est in oblatione Christi. In Divinis Litteris laudatissimum est ac decantatissimum facinus Abrahae, divinis etiam laudibus supra modum celebratum, quia, ut Deo morem gereret, unicum et dilectissimum filium in sacrificium obtulit; [22] ita hodie Virgo Christum offert, cuius ille typus et figura, imago et umbra fuit. Obtulit autem in templo, in loco sacrificiorum, quae nonnisi Christi passionem et mortem figurabant. Imo dum inducerent puerum ad praesentandum eum et *facerent secundum consuetudinem legis pro eo,* priusquam praesentaretur sacerdoti, Simeon vaticinatus est de Christi passione et morte: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius;* [23] et tamen Virgo filium divinae obtulit voluntati et ad mortem ipsam. Magna fuit oblatio Abrahae et magna cum pietate et caritate erga Deum, sed infinitis partibus maior hodierna oblatio Virginis. Laudat divinum hoc munus Spiritus Sanctus per Simeonem loquens: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem,* etc., [24] Salvatorem mundi totius, auctorem gratiae et largitorem gloriae, nam: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* [25] Sic dicitur lumen gentium et gloria Iudaeorum: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [26]

et ad mortem ipsam;

Magnum fuit quod obtulit Abraham et magna cum pietate erga Deum; magnum quod obtulit hodie Maria et supra modum magnum, infinitum thesaurum, dignissimum Dei munus, quo nec omnes principes et reges terrae, nec omnes Angeli caeli maius quid offerre potuissent. Et maxima obtulit cum pietate, quia, cum maxime diligeret filium suum, tamen etiam ad mortem divinae obtulit voluntati. Sic caritas erga Deum longe excedebat in corde ipsius omnem na-

18) Lc 2, 27. 19) Cf. ibid. vr. 21. 20) Cf. Mt 17, 24 sqq. 21) Cf. ibid. 7, 17. 22) Cf. Gn 22, 1-10. 23) Lc 2, 34-35. 24) Ibid. vrr. 30-31. 25) Ps 83, 12. 26) Io 1, 17.

turalem erga talem tantumque filium caritatem, quem bene noverat, nam: *Conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.* [27]

Noluit autem offerre, nisi purgata secundum legem Moysi, sciens Deum maximum esse puritatis amatorem. Illo nanque humilitatis actu ingentem Virgo apud Deum [acquisivit] meritum internae puritatis et gratiae thesaurum. Puritas nanque, idest sanctitas Virginis, in hoc a Christi sanctitate differebat, quod sanctitas Christi fuit sicut lux solis, quae a primo creationis suae instanti nunquam vel aucta vel imminuta est; non potuit Christi sanctitas augeri, plenus fuit omni gratia et veritate: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* [28] At vero sanctitas Virginis fuit sicut lumen lunae, quod augeri et crescere potest. Sic gratia et sanctitas in Virgine semper in dies singulos magis magisque crevit, nam iustorum semita sicut lux splendet *et crescit usque ad perfectam diem.* [29] Sic semper purificabatur, idest sanctificabatur, singulis enim virtutum actibus divinae gratiae donis cumulabatur.

et ex virtutibus quae talem oblationem comitabantur.

IV. In hodierno autem Evangelio multarum virtutum videmus actus: humilitatis, obedientiae, pietatis, gratitudinis, et super omnia divinae in ea caritatis, qua Deum super omnia revera diligere se ostendit.

Praemium autem merito respondet, sicut merces labori. Oblationem Abrahae Deus copiosissime remuneravit: *Quia fecisti hanc rem, benedicens benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli,* etc., pro uno filio a Deo innumerabiles accepit, et illos quidem potentissimos et fortunatissimos: *Possidebit semen tuum,* etc. *et in semine tuo benedicentur,* etc. [30] Sic plusquam centuplum, quam millecuplum a Deo accepit. Est enim Deus sicut optima terra, quae cultori suo centuplum reddit. Quod ergo praemium Maria accepit hodie pro tanto munere? *Benedixit illis Simeon.* [31] Sed quaenam haec benedictio? Expressit Divina Scriptura benedictionem Abrahae, non autem benedictionem Mariae, sed alto silentio ponit. Saepe benedictam Virginem legimus: *Benedicta tu inter mulieres,* dixit ei Angelus; [32] idipsum Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres et*

Tandem considerandum est praemium huius oblationis.

27) Lc 2, 19. 28) Io 1, 16. 29) Prv 4, 18. 30) Gn 22, 16-18. Ex hebr.
31) Lc 2, 34. 32) Ibid. 1, 28. Vulg.: *In mulieribus.*

benedictus fructus ventris tui; sic hodie Simeon. Sed quaenam haec sit benedictio non exprimitur, sicut cum Deus ait: *Ego sum qui sum;*[33] sicut cum Isaias: *Dicite iusto quoniam bonum;*[34] sicut cum Christus: *Sic Deus dilexit mundum,*[35] et: *Si scires donum Dei;*[36] non expressit, quoniam ineffabilis est, incomprehensibilis est benedictio Mariae; ideo solum dicitur quod *benedixit illis.* Ingens, infinitus thesaurus est.

Appendix

Praesentavit hodie Virgo Deipara Christum in templo. Videndum nobis est quis praesentat, quid praesentat, cui praesentat, quando et ubi praesentat, et quae retributio praesentationis huius. Praesentat Maria purificata: *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi.*[37]

33) Ex 3, 14. 34) 3, 10. Ex hebraico. 35) Io 3, 16. 36) Ibid. 4, 10. 37) Quattuor foliis albis relictis, transit ad Dominicam primam post Epiphaniam.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM

Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum, etc. [1]

Agitur hodie de mirabili pueritia Salvatoris.

I. In historia hodierni Evangelii describitur mirabilis pueritia Salvatoris ac instar divini miraculi ostenditur. Subiunxit autem Lucas hodierni Evangelii historiam verbis illis post praesentationem in templo: *Puer autem crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* [2] In fine autem huius Evangelii: *Proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.* [3]

Trium praecipue puerorum in Divinis Litteris descripta est pueritia. Primus fuit Samson, de quo *Iudicum* 13 legimus: *Crevit puer et benedixit ei Dominus coepitque Spiritus Domini esse cum eo;* [4] alter fuit Samuel, de quo *1 Regum* 2 legimus: *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat et placebat tam Deo quam hominibus;* [5] tertius Ioannes Baptista, de quo legimus: *Puer autem crescebat et confortabatur spiritu et erat in desertis.* [6] Horum autem omnium mirabilis fuit divinitusque facta conceptio. Sic etiam Christi descripta est pueritia.

De puero Iesu quattuor praecipue adnotat Evangelium:

II. In puero quattuor praecipue considerari solent: gratia, ingenium, morum elegantia et ad pietatem ac religionem propensio. De Christo autem puero omnia haec habemus in hodierno Evangelio: Proficiebat gratia: *Gratia Dei erat in illo,* hoc est gratiosissimus erat. Nam divina appellare solet Sacra Scriptura quae supra modum magna et mirabilia esse videntur, sicut mons Dei, [7] civitas Dei, ignis Dei, [8] exercitus Dei, *1 Paralipomenon* 12; [9] sic Ninive dicta est *civitas magna Deo,* Ionae 3 capite. [10] Gratia igitur Dei idem est ac gratia plane maxima; sicut latine etiam divinum dicimus quod su-

1) Pericope huius diei Lc 2, 42, sqq. Cf. Missale Rom. 2) 2, 40. 3) Ibid. vr. 52. 4) Vr. 24 sq. 5) Vr. 26. 6) Lc 1, 80. 7) Cf. Ps 35, 7; 67, 16; Ez 28, 14. 16. 8) Cf. 3 Rg 18, 38; Iob 1, 16. 9) Cf. vr. 22. Ms.: 2 *Par* 2. 10) Vr. 3. Ex hebraico.

gratiam et ingenium,

pra modum magnum videtur; sic Elias dictus est homo Dei, [11] idest homo divinus, Moyses similiter. [12] Dictum itaque est de hoc puero nostro, quod *gratia Dei erat in illo*, idest quod gratiosissimus erat, non tantum apud homines, verum etiam apud Deum, ita ut gratiosissimus esset Deo et hominibus.

De ingenio autem dicitur quod *confortabatur* spiritu, *plenus sapientia;* mirabantur in *prudentia et responsis eius.* [13] Proficiebat sapientia, non quidem secundum habitum, sed secundum actus, idest semper maiorem ostendebat sapientiam, iudicium, ingenium, spiritum, mentis acumen et solertiam.

morum elegantiam

De morum elegantia, modestia atque disciplina dicitur quod *erat subditus illis,* [14] quod *invenerunt eum... in medio doctorum,* idest inter doctores, *audientem et interrogantem eos.* [15] Agebat discipulum qui Dominus est scientiarum, [16] *qui docet hominem scientiam,* [17] qui Salomonem puerum divina sapientia replevit. [18] Invenerunt audientem et interrogantem doctores, hae quidem discipuli sunt partes cupientis discere, non hominis docere volentis.

et pietatem.

Tandem quoad propensionem animi ad pietatem et religionem ait, quod inventus est in templo in medio doctorum, utique sacrorum, qui forte pueros sacra doctrina imbuebant, sicut nunc in multis christiani orbis partibus mos est laudatissimus, ut pueri christiana doctrina doceantur, audiunt doctores, interrogant et vicissim ad interrogata respondent. O utinam mos hic in christiano orbe ubique servaretur! Sic inventus fuit hodie puer noster audiens, interrogans et respondens.

In his omnibus perfectum exemplar fuit.

Sic puer Iesus divinum quoddam exemplar est virtutum omnium quae in pueris desiderantur; voluit enim Christus omnibus aetatibus perfectum divinumque virtutum omnium exemplar seipsum praebere. Non fuit inventus in publicis viis aut plateis, sed in templo, non ludens cum pueris, sed disputans cum sacris doctoribus. Et tandem dixit: *In his quae Patris mei sunt oportet me esse;* [19] idest divinis rebus et negotiis operam dare; sicut alibi postea dixit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei,* etc. [20] et sicut postea dixit: *Qui amat patrem* suum *aut matrem* suam *plusquam me, non est me*

11) Cf. 4 Rg 1, 9-13. 12) Cf. 1 Esr 3, 2. 13) Lc 2, 47. 14) Ibid. vr. 51. 15) Ibid. vr. 46. 16) Cf. 1 Rg 2, 3. 17) Ps 93, 10. 18) Cf. 3 Rg 3, 11. 19) Lc 2, 49. 20) Io 4, 34.

dignus, [21] ita hodie ostendere voluit se multo magis caelestem Patrem suum diligere quam parentes, quos in terra habebat. Sic Patris personam parentibus longissime praefert.

Pueritia Christi ornata ostenditur omnibus virtutibus.

Describitur in hodierno Evangelio pueritia Christi primo quidem quoad aetatem, deinde quoad educationem ac tertio quoad qualitates divinasque virtutes illius aetatis in Christo. Quoad aetatem: *Cum factus esset* Iesus *annorum duodecim.* In hac aetate incipit in homine perfectus rationis usus et discretionis tempus; in ea incipit perfecta capacitas ad disciplinas omnes capessendas; tunc florere incipit vigor ingenii et memoria; in ea aetate existimant Salomonem divinum sapientiae donum accepisse. *Cum factus esset annorum duodecim.* Aetas haec Christi ostenditur sicut mare aeneum positum super duodecim bases aeneas, [22] nam aqua symbolum sapientiae est; sicut thronus Salomonis super duodecim leunculos, [23] sicut *Rationale, loghion,* summi sacerdotis, in quo erant duodecim lapides pretiosi. [24]

Christus omnia mundana contempsit.

III. *Cum factus esset.* A quo factus? Mundus hic est veluti penum regiae suppellectilis, in quo asservari solent regia indumenta et vestes: *Domini est terra et plenitudo eius.* [25] Sacra humanitas est veluti vestis Verbi, sicut caro nostra est tamquam vestis animae. Potuisset Christus ex hoc regio Dei penu seipsum qua magis libuisset veste induere, nam ipse seipsum hominem fecit. Sed qualem se fecit? Spiritu ditissimum, carne pauperrimum, humillimum, passibilem, mortalem de plebe hominem. Potuisset accipere annos Mathusalem, vires Samsonis, regnum Davidis, divitias Salomonis, pulcritudinem Absalonis, imperium Alexandri; sed haec omnia contempsit, nihili fecit.

Hodie specialiter Dominus commendatur testimonio suae sapientiae et pietatis.

Cum factus esset. Usque modo commendatus est nobis Dominus testimoniis Angelorum, [26] pastorum, [27] Magorum, [28] Simeonis et Annae prophetissae. [29] Nunc commendare seipsum incipit testimonio propriarum virtutum. Magna revera sunt illa testimonia, haec autem nihilo minora. Specialiter vero testimonio sapientiae et pietatis hodie commendatur, nam: *Stupebant super prudentia et responsis*

21) Mt 10, 37. 22) Cf. 3 Rg 7, 23-27. 23) Cf. ibid. 10, 18-20. 24) Cf. Ex 39, 1-14.
25) Ps 23, 1. 26) Cf. Lc 2, 9-14. 27) Cf. ibid. vrr. 15-18. 28) Cf. Mt 2, 1-12.
29) Cf. Lc 2, 23-39.

eius.[30] Sic enim dictus est Christus plenus gratiae et veritatis,[31] idest divinae sapientiae, quae veritas dicitur, quoniam divinae cognitioni non potest subesse falsum. Sic Isaias duo haec specialiter commemorat: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis et replebit eum Spiritus timoris Domini,*[32] idest divinae pietatis et religionis; Spiritus enim Sanctus tum intellectum tum voluntatem animumque hominis perficit. Sic Christus hodie laude sapientiae et pietatis ornatur: *Stupebant super prudentia et responsis; Et videntes admirati sunt,*[33] utique pietatem et religionem pueri: *Quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse. Proficiebat sapientia et gratia,* secundum actus utique, non secundum habitum. Sunt autem sapientia et gratia in anima veluti duo oculi in facie, quorum si alter desit, mirum in modum facies deformatur.

quas omnibus mundi bonis praetulit.

Sicut Salomon, cum optionem accepisset a Deo ut peteret quidquid vellet - obtulit ei Deus bona omnia mundi huius - sapientiam tantum postulavit atque obtinuit,[33a] ita Christus, cum potuisset in hunc mundum veniens quidquid magis libuisset accipere, tantummodo sapientiam et gratiam accepit, spiritus, mentis et animi perfectiones.

Pueritia Christi praecipue figurata fuit in pueritia Salomonis.

Samsonis, Samuelis et Ioannis Baptistae pueriles aetates, quae in Sacris Litteris descriptae sunt, fuerunt veluti imagines et umbrae pueritiae Christi, sicut homo imago et umbra Dei est. His etiam addi potest pueritia Salomonis, qui cum datus fuisset a Davide doctrina, eruditione optimisque moribus imbuendus prophetae Nathan, appellatus est *Iedidiah, dilectus Domini,*[34] eo quod Dominus diligeret eum. Sic puer Iesus in sua pueritia plenus dicitur gratia Dei et profecisse gratia apud Deum et homines. Sic ostenditur in sua pueritia Dominus supra modum amabilis et admirabilis; amabilis propter gratiam, admirabilis propter sapientiam. Sic de eo Regius Vates ait: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis,* etc.[35]

IV. Verum etiam in hodierno Evangelio praeter historiam requirendum est mysterium inquirendumque quidnam sit quod Maria

30) Ibid. vr. 47. 31) Cf. Io 1, 14. 32) 11, 2-3. 33) Lc 2, 48. 33a) Cf. 3 Rg 3, 5-12. 34) 2 Rg 12, 25. Ex hebraico. 35) Ps 44, 3.

Iesum amittat videndumque quomodo amissus Iesus quaerendus sit, ut inveniatur inventusque quomodo servandus sit ne iterum amittatur.

Requirendum est etiam mysterium.

Virgo Deipara Christum absque ulla sua culpa amisit, sed tantum quia non secum semper habere studuit. Nam aliquando puer, grandiusculus factus, cum Ioseph veluti cum patre ibat. Sic potuit Christus seipsum ab utroque parente subtrahere, dum existimaret pater eum esse in comitatu cum matre, mater vero eum cum patre esse aut cum cognatis, ut forte alias consueverat facere. Quare, cum nihil tale cogitaret, Christum amisit.

Ad tentandam electam Matrem suam, Iesus se illi subtraxit.

Ad tentandam probandamque electam animam Dominus, etiam absque ulla illius culpa, subtrahit seipsum eamque absque ulla sensibili gratia, devotione et spiritus consolatione relinquit aliquando, vel ob minimam negligentiam, incogitantiam, inadvertentiam animi. Tristatur vero anima in dilecti absentia: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te;*[36] *Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus.*[37]

Amissus est autem Christus in Ierusalem, expletis diebus paschalis solemnitatis, dum de reditu in domum ageretur. Cura temporalium saepe in causa est ut Christum secundum spiritum amittamus, nam spinae suffocant sementem patrisfamilias,[38] sollicitudo carnis excludit devotionem spiritus.

Amissus Christus, cum Maria sollicite quaerendus est

Amissus autem Christus sollicite quaerendus est cum Maria, sed non reperitur inter cognatos et notos; quaerendus in Ierusalem, in templo, ubi divina tractantur, ibi nanque inventus est. Sed quaerendus ex animo, ex corde, magno cum desiderio, cum dolore: *Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te!* Quaerendus cum humilitate, qua humilis Deipara Virgo maritum sibi praefert: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*

et inventus, cum magna cautela servandus.

Inventus autem magna cum cautela servandus est, sed in Nazareth, in magna vitae puritate et sanctitate, satagendumque ut semper Christus crescat in nobis sapientia et gratia apud Deum et homines, ut semper in nobis spiritus Christi crescat Dei cognitione et amore caritateque erga Deum et proximum; ut satagamus semper virtutibus sanctisque operibus Deo placere et hominibus, sicuti de

36) Lc 2, 48. 37) Ps 29, 8. 38) Cf. Lc 8, 7-14.

Samuele legimus. Sic proficit Christus *sapientia, aetate et gratia apud Deum et homines.* O beatum hominem qui semper in dies proficit in spiritu, in vera Dei cognitione veraque erga Deum et homines caritate! Haec fuit Christi vita usque ad tricesimum annum: *Proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines,* idest in dies maiora faciebat opera sapientiae et gratiae.

Dum in hominibus crescit aetas, decrescit spiritus.

V. Duo sunt quae in hodierno Evangelio demonstrantur: alterum quam esset [Iesus] in puerili aetate admirabilis, alterum vero quam esset amabilis; admirabilis propter superhumanam sapientiam, amabilis propter divinam gratiam quodque semper mirabilior et amabilior evadebat, nam *proficiebat aetate, sapientia et gratia apud Deum et homines.* Non dicit quod proficiebat tantum aetate, nam hoc quidem commune est omnibus pueris, sed quod etiam proficiebat spiritu, sapientia et gratia. Hoc enim singulare est. Nam in ceteris dum crescit aetas solet decrescere spiritus, recedit enim animus a puritate et candore infantiae ad vitia, ad malitiam, petulantiam, lasciviam, impudicitiam, intemperantiam aliaque. Sic in dies veluti suapte natura crescit cum aetate malitia, ita ut maior sit in iuventute quam in adolescentia, maior in virili aetate quam in iuventute, maior tandem in senectute quam in virilitate. Nam in iuventute furit libido et ira, in aetate virili ambitio honorisque ardens cupiditas, in senectute avaritia aurique sacra fames. [39]

In Christo e contra.

At in Christo non ita accidit. Semper proficiebat sapientia et gratia una cum aetate, semper maioris sapientiae et gratiae opera praestabat, sicut crescit lux matutina usque ad perfectum diem.

Appendix

Videndum autem qualis fuerit sapientia Christi, ob quam erat adeo admirabilis, et qualis gratia, ob quam tam erat amabilis. Sicut Salomon in puerili aetate appellatus fuit *amabilis Domino, Iedidiah,* et plenus caelitus mirabili sapientia, ita Christus, cuius ille typus et figura fuit. [40]

39) Ex Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57.

40) Tribus paginis albis relictis, transit ad Dominicam secundam post Epiphaniam.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM

Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem, etc. [1]

I. Describitur in hodierno Evangelio historia primi miraculi, quo Dominus gloriam divinitatis suae manifestavit. Describuntur autem tria: occasio miraculi, magnitudo miraculi et effectus miraculi. Occasio fuit defectus vini in nuptiis; magnitudo, quia magnam aquae copiam solo voluntatis nutu convertit in vinum optimum; effectus miraculi, quia *manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius.* [2]

Describitur historia primi miraculi Christi

In occasione tria sunt: celebritas nuptiarum, defectus vini ex aliquo accidente, non tamen sine divina providentia, et Virginis Deiparae Matris Christi intercessio: *Vinum non habent.* [3] In magnitudine miraculi duo sunt, nam non solum fuit magnum miraculum, verum etiam magnum beneficium, opus divinae potentiae ut miraculum, et bonitatis ut beneficium. In effectu, qui etiam scopus et finis miraculi est, duo similiter sunt: manifestatio gloriae, idest divinitatis Christi, et fides, nam: *Crediderunt in eum discipuli eius.*

et tria considerantur.

II. Quoad primum, misit Deus Moysen in Aegyptum cum potestate faciendi miracula, [4] at vero non ad vanam ostentationem, sed

1) Pericope huius diei Io 2, 1-11. Cf. Missale Rom. 2) Io 2, 11. 3) Ibid. vr. 3. 4) Cf. Ex 4, 14 sqq.

Christus nonnisi caritate vel necessitate urgente operabatur miracula.

cum necessitas cogeret opusque esset ad Dei gloriam et populi utilitatem. Ita Christus a Deo missus in mundum venit divina praeditus potestate, sed nonnisi necessitate aut caritate urgente coactus operari miracula voluit, data, oblata, non arte quaesita occasione, ad Dei gloriam et hominum utilitatem atque salutem. Hinc Isaias de eo ait: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.*[5] *Admirabilis*, utique miraculorum operator, sed *consiliarius*, quia nonnisi magno cum consilio miracula faciebat. Hinc item ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini*, sicut spiritus Eliae super Eliseum,[6] *spiritus consilii et fortitudinis*,[7] spiritus, inquam, divinae potestatis ad miracula patranda, sed cum consilio. Hinc Moyses prius convertit virgam, quae symbolum erat divinae potestatis, in serpentem,[8] prudentiae hieroglyphicum, ut esset veluti Mercurii caduceus, ex virga et serpentibus constans;[9] unita fuit potestati prudentia, ne potestas atque sapientia esset veluti ensis in manu furiosi hominis. Deinde aquam convertit in sanguinem;[10] ita Christus divina praeditus cum potestate tum etiam sapientia, unde a Paulo Dei virtus et sapientia [dicitur],[11] hodie aquam in optima vina convertit.

Sua praesentia honorare voluit et sanctificare nuptias.

In occasione autem huius miraculi tria sunt: nuptiarum celebritas, vini defectus et Virginis Matris intercessio. Non renuit Dominus nuptias invitatus, tamquam malas, sed sua Matrisque et discipulorum praesentia probare voluit illustrique miraculo honorare, quoniam bonae sunt, quoniam a Deo sunt in paradiso institutae, quas etiam incarnatione sua voluit honorare, dum Virginem quidem intactam et illibatam, sed tamen viro desponsatam legitimoque matrimonio coniunctam elegit in Matrem, ut virginitatem simul et nuptias honoraret. Uterque enim status Deo gratus est, uterque in paradiso fuit. Elegit quidem pro se Dominus caelibatum, sed non damnavit coniugalem statum; non hunc malum, sed illum meliorem dixit. In nuptiis divino miraculo aquam in vinum convertit, quia ipse divinitus in rite coniugatis divinam infundit caritatem,

5) 9, 6. 6) Cf. 4 Rg 2, 10-15. 7) Is 11, 2. 8) Cf. Ex 7, 10. 9) Alludit ad fabulam, iuxta quam Mercurius virgam ab Apolline dono accepit duobus serpentibus illigatam, cuius virtute animas sub Tartara mittebat, alias ab Orco evocabat. Cf. Virgilius *Aeneid.*, lib. 4, vrr. 242-247; Ludovicus Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 21, cp. 16, col. 1668-1669; Forcellini - De Vit *Lexicon Totius Latin.*, sub voce: *Caduceus*. 10) Cf. Ex 7, 19-20. 11) Cf. 1 Cor 1, 24.

quemdamque supernaturalem amorem, quo coniugatorum corda animosque devincit, ut sint unum corpus et unus spiritus.

Occasio item fuit vini defectus. Saepe autem accidit ut temporalium defectus causa sit spiritualium bonorum. Dum Saul quaereret asinas amissas, invenit regnum, unctus fuit rex a Samuele; [12] sic saepe infirmitas corporis in causa est sanitatis animi.

Occasio tandem Virginis intercessio magna cum fide, caritate et pietate facta, cuius brevissima quidem fuit oratio, sed tamen efficacissima. Ipsa nanque primum miraculum a Christo obtinuit et impetravit. Hinc discimus quantum eius intercessio apud Filium valeat. Multum valet intercessio Virginis apud Filium.

III. Magnum miraculum hoc historia et mysterio. Magnum historia triplici titulo. Dicitur enim ab Evangelista signum primum, gloriosum et efficax ad fidem: *Hoc initium signorum fecit Iesus et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius.* [13] Non dicitur initium miraculorum, quasi illustrissimum omnium, caput et corona miraculorum Christi, sicut timor Domini, idest vera pietas erga Deum, dicitur *initium sapientiae,* [13a] et mel initium dulcedinis; sed primum, quia ante alia omnia patratum; nec primum quasi in excusationem, sicut prima artis opera solent esse imperfecta, similiter et naturae, aliquando etiam Dei, qui ad naturae modum ab imperfectis aliquando ad perfecta procedit, sicut patet in ipsa mundi creatione; nam fuit perfectum miraculum, *Dei* nanque *perfecta sunt opera;* [14] sed forte primum dicitur cum ratione temporis, sicut in creatione habemus opera primae diei, etc., tum etiam quia videtur prima forma et exemplar miraculorum Christi. Hic enim habemus quid sit miraculum et causas omnes miraculi, dum miraculum signum appellatur, idest opus supra naturae vires. Indicatur auctor, Christus, sed non quatenus homo, hinc ait Matri: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* [15] Indicatur enim finis gloria Dei: *Manifestavit gloriam suam,* sicut: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur,* etc. [16]

Magnum fuit hoc miraculum historia, quia primum a Christo operatum; magnum fine, ad gloriam Dei;

12) Cf. 1 Rg 9, 1 sqq. 13) Io 2, 11. 13a) Ps 110, 10; Pvr 1, 7; Eccli 1, 16.
14) Dt 32, 4. 15) Io 2, 4. 16) Ibid. 11, 4.

Indicatur scopus: *Crediderunt in eum discipuli*, sicut alibi: *Ut credant quia tu me misisti.*[17] Indicatur natura, aqua ipsa in qua operatum est miraculum; forma, modus ipse operationis, simplici voluntatis nutu facta est mirabilis transmutatio. Indicatur etiam effectus et operatio, nam utile fuit corporibus, sed multo utilius animabus ad cognitionem gloriae Christi et ad salutarem fidem.

solo nutu voluntatis factum.

IV. Deinde miraculum hoc gloriosum dicitur a magnitudine, quia magnam aquae copiam in vinum, et quidem optimum, convertit. Cum enim sex hydrias aqua usque ad summum implessent, omnem illam aquam in vinum convertit; capiebant autem hydriae metretas binas vel ternas.[18] Metreta autem mensura est continens duodecim congios, ex Dioscoride, libro 5;[19] congius autem continet sex sextarios, sextarius duos heminas, hemina sex cyatos, cyatus duas uncias; quare hemina libra vini est. Metreta igitur continebat centumquadragintaquattuor heminas, idest libras vini. Quare hydriae capientes metretas binas vel ternas vasa erant magnae capacitatis, magna nanque opus erat aquarum copia pro Iudaeorum purificationibus in convivio. Magnum igitur fuit miraculum. Sed et magnum beneficium, opus divinae cum potentiae tum etiam bonitatis et caritatis. Quare, ut magnum esset beneficium, ait ministris: *Implete hydrias aqua.*[20]

Magnus etiam quia gloriosissimum;

Gloriosum etiam dicitur hoc miraculum, quia manifestat duo epiteta divinitatis in Christo. Deus nanque ab omnibus dictus est Optimus Maximus, propter infinitam potentiam et bonitatem, sic in Sacris Litteris *El sadai* et *El rachum chanun*. Cum enim petiisset Moyses videre gloriam Dei, *Exodi* 33, respondit ei: *Ostendam tibi omne bonum, posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.*[21] Deinde 34 legimus quod transivit gloria Domini et clamavit: *Dominatur Dominus Deus,*[22] *rachum chanun;* quod dixerat gloriam Dei, dicit postea omne bonum Dei, nam gloria in Sacris Litteris divitiarum copia appellatur: *Fecit sibi Iacob tantam glo-*

manifestavit enim Christi divinitatem,

17) Ibid. vr. 42. 18) Cf. ibid. 2. 6. 19) Cf. *De Medica Materia*, cp. 82. pag. 348.
20) Io 2, 7. 21) Vrr. 19-20. Affert ordine inverso. 22) Vr. 6.

riam;[23] *Salomon in omni gloria sua.*[24] Sic Deus hodie manifestavit hoc miraculo gloriam suam, quae nonnisi a posteriori, idest ab effectibus videri potest, sicut vel maxime in ipsa creatione ostenditur, potentia, inquam, et bonitas Dei. Cum autem ait, quod *manifestavit gloriam suam,* ad illud *Exodi* visus est allusisse vel etiam ad primum caput Ezechielis, ubi de gloria Domini agitur,[25] aut ad sextum Isaiae caput,[26] ubi testimonio ipsiusmet Evangelistae, 12 capite,[27] Isaias Christi gloriam vidisse dicitur. In his autem locis Christi divinitas singulariter demonstratur, quae hic gloria dicitur. potentiam

Praeterea gloriosum miraculum dicitur, quia elucet in eo quaedam imago gloriae caelestis, quae retributio, et quidem copiosissima, est bonorum operum. Invitasse Christum ad nuptias fuit procul dubio honoris et amicitiae causa, opus fuit qualiscumque erga eum caritatis. Hanc Dominus praesenti miraculo copiosissime remunerare et recompensare voluit: *Centuplum accipietis.*[28] O vere beatos qui ex animo, ex toto corde obsequium Christo praestant qualecumque possunt! et bonitatem remunerantem.

Fuit etiam hoc miraculum quaedam veluti imago extraordinariae providentiae Dei, qua electis dilectisque suis in Ecclesia providet quae necessaria sunt, ut in deserto patet, ubi ipsum aerem convertit in suavissimum panem et durissimum lapidem in flumen aquarum;[29] sic providit etiam Eliae in torrente Carith et in domo viduae Sareptanae.[30] Sed suo tempore providit: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Sic postquam defecit farina Aegypti, providit populo suo panem de caelo. Erat Christus sicut horologium iustissimum, quod nonnisi suo tempore pulsat horas, sicut sol, qui suo tempore oritur et occidit. Fuit etiam figura providentiae Dei erga electos.

Primum et novissimum miraculorum Christi Ioannes titulo gloriae insignivit, hic dicens quod *manifestavit gloriam suam,* ibi *pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei,* quoniam omnia miracula

23) Gn 31, 1. Ex hebraico. Cf. Pagnini *Lexicon Hebraicum,* sub voce: כָּבַר, col. 1124.
24) Mt 6, 29. 25) Cf. vrr. 26 sqq. 26) Cf. vrr. 1-4. 27) Cf. Io 12, 41.
28) Mt 19, 29. Vulg.: *Accipiet.* 29) Cf. Ex 16, 4-16; Nm 11, 31-32; 20, 11. 30) Cf. 3 Rg 17, 3-16.

sunt opera divinitatis; sed duo haec singulariter, ut effectus demonstravit.

Manifestavit, inquit, *gloriam suam*, quoniam occulta erat: *Solem nube tegam;*[31] *Vere tu es Deus absconditus,*[32] verumtamen in te est Deus salvator Israel; divinum propitiatorium sub velo semper absconditum in sancto sanctorum, Deus absconditus in mundo: *Posuit tenebras latibulum suum;*[33] *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras.*[34]

Magnum fuit hoc miraculum ab effectu,

V. Effectus huius miraculi fides: *Crediderunt in eum*, cognita gloria divinitatis. Ad fidem autem fundandam describit Evangelista omnes circumstantias, quae ad historiae veritatem requiruntur: tempus, locum, personas praesentes, modum quo factum est, etc.: *Haec autem scripta sunt ut credatis, quoniam Iesus est Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis.*[35] Sic fides veluti filia miraculorum est, licet etiam aliquando sit mater, nam: *Qui credit in me... quae ego facio... faciet et maiora horum faciet;*[36] *Signa eos qui crediderint haec sequentur;*[37] *Si habueritis fidem quantum granum* est *sinapis, monti huic dicetis... et nihil impossibile erit vobis.*[38] Alias filia est: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*[39] Sic regulus, viso signo, credidit cum tota domo;[40] sic, viso miraculo Lazari, *multi crediderunt in eum.*[41] In Apostolis autem fides prius quidem filia miraculorum fuit, postea vero, cum ad perfectam venit aetatem doctrina Christi enutrita, facta est mater, multis patratis miraculis.

nam firmavit in discipulis fidem divinitatis Christi.

Fuit autem fides miraculorum omnium Christi scopus et finis: *Haec scripta sunt ut credatis, quoniam Christus est Filius Dei.* Sic hodie crediderunt in eum, esse Filium Dei, esse verum Messiam, sicut de Israelitis legimus, quod, visis miraculis, *crediderunt Moysi et Domino.*[42] Praetendebat autem Christus fidem, quoniam haec fundamentum salutis est basisque religionis et pietatis: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam*, etc.[43]

quae est basis salutis,

31) Ez 32, 7. 32) Is 45, 15. 33) Ps 17, 12. 34) Ct 2, 9. 35) Io 20, 31. 36) Ibid. 14, 12. 37) Mc 16, 17. 38) Mt 17, 19. Vulg.: *Sicut granum sinapis, dicetis monti huic*, etc. 39) Io 4, 48. 40) Cf. Ibid. vr. 52. 41) Ibid. 11. 43-45. 42) Ex 14, 31. 43) Io 3, 15.

si coniuncta sit caritati.

Non tamen sola fides in causa salutis est. Sicut obscura nocte ambulantibus in tenebris lumen lucernae aut lanternae in causa salutis est, ne homo in pericula incidat et in praecipitia; ut vero non sufficit solum lumen, necessarius est etiam bonus visus et lux oculorum, necessarii pedes, necessarium iudicium viresque animi et corporis, sic ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*[44] Si ad consequendum aliquid a rege necessarium sit principi filio obsequium aliquod praestare, sit autem princeps ignotus, pergat mutato habitu, qui principem indicaverit dicetur in causa consecutionis. At vero non sufficit tantum indicare, necessarium est etiam obsequium praestare. Fides Christum indicat.

Multa etiam mysteria innuit hodie Evangelium.

VI. De mysterio autem hodierni Evangelii multa dicenda sunt: quid nuptiae istae significant; quid tempus, nam tertio die, inquit, *nuptiae factae sunt,* sicut tertio anno factum fuit convivium Assueri;[45] quid locus in Cana Galilaeae; quid lapideae hydriae sex; quid tandem aqua in vinum mutata, ut vero non in principio, sed in fine nuptiarum, qua de re miratur architriclinus quod insolens factum visum est ei.

Nuptiae a Deo institutae fuerunt.

Fecit Deus ab initio nuptias in paradiso cum Adam et Evam copulavit. Paulus autem ait: *Sacramentum hoc magnum est... in Christo et in Ecclesia.*[46] Dies tertius tempus gratiae significat, post tempus legis naturae et tempus legis mosaicae. Locus Cana Galilaeae dicitur; non est autem haec Chana illa, unde fuit mulier chananitis, nam illa prope Sidonem erat, sicut Matthaei 15 legimus.[47] At de ea loquitur Divina Scriptura, *Iosue* 19, quae cum ה in fine scribitur[48] et significat acquisitionem sive possessionem; erat autem illa in tribu Aser. Altera erat in tribu Zabulon, in Galilaea Gentium, prope Nazareth, ex qua fuit Simon Apostolus, qui Cananaeus dicitur, Matthaei 10[49] et Marci 3,[50] Lucae autem 6 dicitur *zelotes,*[51] quo verbo interpretari et declarare voluit quidnam cananaeus significaret. Nam Kana cum א *aleph* littera in fine,

44) Ps 118, 105. 45) Cf. Est 1, 1-4. 46) Eph 5, 32. 47) Cf. vrr. 21-22.
48) Cf. vr. 28. 49) Cf. vr. 4. 50) Cf. vr. 18 51) Vr. 15.

zelum significat, uti: *Ego sum Deus zelotes,*[52] hebraice *El chana;* sic apud Isaiam 9: *Zelus Domini exercituum fecit hoc.*[53] Galilaea autem revolutionem significat motumque circularem ac veluti conversionem; hinc ita appellantur rotae[54] sphaerae etiam caelestes, a rotunditate et motu circulari. Quare Kana Galilaeae zelus conversionis ac reditus in suum utique principium interpretari potest.[55]

52) Ex 20, 5. 53) Vr. 7. Vulg.: *Faciet hoc.* 54) Ms.: *Appellatur rota.* 55) Tribus paginis albis relictis, transit ad Dominicam sequentem.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio duo Christi miracula simulque magna beneficia; habemus duos supplicantes: alterum iudaeum, alterum gentilem; duas supplicationes sive supplices libellos maiestati Christi oblatos: alterum pro salute sui ipsius propria, alterum pro salute proximi, nam leprosus supplex pro se intercedit, centurio autem pro servo; habemus tandem supplices libellos gratiose subsignatos, gratias benigne concessas. Christus enim, ut princeps benignissimus, statim supplicum votis annuit et quidem promptissime utrumque praestito optato beneficio gratificavit. Verum alterum supplicum nobili etiam encomio honestavit, sicut princeps cum supplicem alicuius libellum ut optime compositum scriptumque laudat. Sic Deus fidem laudat centurionis etiam cum admiratione.

Duo miracula habemus hodie simulque magna beneficia.

II. Quod spectat ad primum, consideranda est cum historia tum etiam mysterium. Nam ratione mysterii curatum a lepra mittit ad sacerdotem ut munus offerat; quoad historiam curatur hic lepra a Christo non legali curatione, ut fiebat a legali sacerdote, sed supernaturali, divina, solo imperio: *Volo, mundare;* graece *mundus esto.* [2]

Circa curationem leprosi videnda est historia et mysterium.

Agitur in Sacris Litteris, *Levitici* 14, de legali curatione leprae, [3] sed prius praecedenti capite de certa cognitione et iudicio leprae. [4] Prius autem iussit Deus ut sacerdos diligentissime inquirat ad cognoscendam veritatem leprae, ut, orta suspicione leprae in aliquo, sacerdos ipse semel atque iterum propriis oculis videat contempleturque plagam. Quare dedit etiam certa signa ad lepram dignoscendam de eaque iudicandum, licet non esset sacerdos medicus, ad

Lex vetus de cognitione et curatione leprae.

1) Pericope huius diei Mt 8, 1-13. Cf. Missale Rom. 2) Mt 8, 3. 3) Cf. vrr. 1 sqq. 4) Cf. vrr. 1 sqq.

quem spectat de morbis iudicare. Cognita autem veritate leprae certo et maturo iudicio, segregabat leprosum a communi hominum consortio, eiiciebat eum a civitate, ut extra civitatem habitaret iubebatque ut scissas dissutasque vestes deferret, caput apertum gestaret, operto ore incederet et ala pallii illud operiendo, ut fit cum frigus urget flante borea. Tandem clamare tenebatur per viam se lepra infectum immundumque esse, ut caverent sibi ab eo tanquam a pestilente et homine infecto morbo contagioso. Sic leprosus hic ad Christum accessit ut curaretur ab eo, sicut et curatus fuit, non fuit fraudatus a desiderio suo. Habetur itaque hic et morbus et curatio, sicut in *Levitico* agitur cum de morbo tum etiam de curatione eius.

Multae sunt species leprae.

Erat tunc temporis apud Iudaeos leprae morbus sicut lues, pestis. Hinc agitur in *Levitico* etiam de vestium pannorumque sive laneorum aut lineorum sive etiam pelliceorum, itemque de domorum lepra. Sicut autem nunc cura pestilentiae cavendae, examinandae curandaeque penes magistratum civitatis residet, tunc huius contagionis iudicium residebat penes sacerdotem, quoniam leprosus etiam apud Deum immundus habebatur nec poterat sacra loca templumque adire.

Lepra saepe peccati poena erat.

Notandum, quod spectat ad historiam, quod lepra saepe divinitus inflicta est in poenam peccati. Sic enim leprosa evasit Maria soror Moysi,[5] sic Giezi servus Elisei,[6] sic Ozias rex Iudaeorum.[7] Quare lepra, sicut mors, et poena et imago peccati est in Sacris Litteris. Curavit Dominus lepram hodie, non sicut legalis sacerdos lepram curabat sacrificio, licet revera sacerdos non curaret lepram, sed vel Dei munere vel naturae et artis medicae beneficio curatam iudicabat pronunciabatque mundum hominem, ac tunc sacrificium Deo in gratiarum actionem offerebat multis aliis caeremoniis usus; nec curavit eum sicut Eliseus Naaman syrum in aquis Iordanis,[8] sed divino miraculo, sicut Deus leprosam manum Moysi[9] et lepram Mariae sororis eius.[10]

III. Quoad corporalem lepram, de qua in *Levitico* agitur, quattuor sunt quae mihi admiratione digna videntur. Primum est quod

5) Cf. Nm 12, 10. 6) Cf. 4 Rg 5, 27. 7) Cf. 2 Par 26, 19-21. 8) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 9) Cf. Ex 4, 6-7. 10) Cf. Nm 12, 15.

ad discernendum et iudicandum de lepra, verane sit an non, iudex statuitur non medicus, sed sacerdos. Secundum est magna diligentia qua a civitatibus leprosi arcebantur ac si peste essent affecti morboque contagiosissimo et perniciosissimo, quare cautum erat ut sua signa deferrent, quibus ab aliis dignosci possent ad evitandum. Tertium quod si homo toto corpore lepra infectus erat, poterat cum omnibus libere conversari ac si nullo esset morbo affectus; si autem aliqua tantum vel minima corporis pars hoc morbo laborabat, excludendus erat a civitate et hominum communione, et ita excludebatur; ut etiam morbo liberatus, nonnisi iudicio sacerdotis post diligentissimum examen sanus declaratus multisque modis purificatus admittebatur ad commune hominum consortium, neque enim nisi sacerdos cum illis agere poterat. Quartum est quod loquitur Divina Scriptura non solum de lepra corporum verum etiam suppellectilium et domorum, cum lepra morbus sit animalium, non rerum sensu vitaque carentium, et huius etiam leprae penes sacerdotem residebat iudicium. **De corporali lepra quattuor considerantur.**

Haec autem omnia ad mysterium alludunt. Lepra nanque symbolum et imago peccati est. Hinc *Levitici* 14 iubetur sacerdos emundans a lepra expiare a peccato, quasi lepra peccatum esset, quoniam revera veluti sacer morbus erat et sacra immunditia. **Lepra imago est peccati,**

Designabat autem lepra aliquando originale peccatum, ut illa a qua in Iordane mundatus fuit Naaman syrus; aliquando vero actuale, ut lepra Mariae prophetissae et lepra Iudaeorum; sic etiam aliquando vitium infidelitatis et nonnunquam etiam haeresis peccatum significat.

Sicut autem lepra imago peccati est, ita etiam emundatio a lepra divinitus facta imago est iustificationis a peccato. Legalis autem purificatio a lepra quaedam veluti umbra fuit iustificationis nostrae per gratiam Christi, nam: *Omnia in figura contingebant illis.* [11] Lepra exprimit naturam peccati, emundatio a lepra naturam iustificationis a peccato. **eius emundatio iustificationis.**

IV. Erat lepra homini secundum legem perniciosissimus morbus. Nam praeterquam privabat hominem sanitate bonaque cor-

11) 1 Cor 10, 11.

Lepra perniciosissimus morbus est.

poris valetudine et viribus, cum oriatur ex putredine sanguinis et humore peccante, privabat eum etiam divinis suffragiis, ingressu templi et participatione divinorum. Erat morbus Deo odibilis et abominabilis. Privabat autem etiam hominum communione tamquam excommunicatum, imo etiam propria civitate et domo, imo nedum commoditatibus, verum etiam dignitatibus, ut patet in [12] Ozia rege.

ita peccatum in anima.

Hos autem effectus operatur spiritualis lepra, idest peccatum in anima. Sicut enim lepra corpus deformat et infirmat, debile, deforme et abominabile reddit, ita peccatum animam. Deformat enim imaginem Dei, aufert vires spiritus Deoque odibilem et abominabilem reddit bonisque omnibus spiritualibus privat, cuius causa etiam caelesti civitate iureque divinae hereditatis privatur, ita ut hominem in statu miserandae infelicitatis et infelicissimae miseriae constituat. Sicut etiam lepra morbus est incurabilis, ita ut vix absque divina ope curari possit, ita peccatum sine Deo curari non potest, nam mors est animae. Ad quod insinuandum leprosus, secundum legem, gestabat habitum luctus, scissis vestibus et aperto capite. Hinc enim *Levitici* 10 iussit Deus Moysi ne pro morte duorum filiorum [Aaron] scinderet vestes nec caput discoopertum gestaret. [13]

Solus sacerdos agere poterat cum leprosis,

Quia igitur lepra peccati veluti umbra et imago erat, propterea sacerdos de ea iudicaturus erat, maxime cum, secundum legem, hominem Deo abominabilem redderet, arcendum a templo locisque sacris, alligatusque erat adeo tali interdicto, ut nec curatus quidem posset sacra loca adire ante sacerdotis iudicium, nisi sacerdos prius sua auctoritate impedimentum illud tolleret, eo prius multis sacris caeremoniis purificato. Nemo cum leprosis agere poterat, nisi sacerdos divina auctoritate fultus. Sic cavendus omnibus est peccator perniciosus, maxime haereticus, sicut Paulus *ad Titum* [14] et Ioannes in *Secunda Canonica* [15] caverunt. Nemo agat cum haereticis, nisi Episcopus, nisi sacerdos divina scientia imbutus. Sic haereticus est leprosus in parte, quia vera falsis permixta docet. Infidelis, turca, iudaeus totus leprosus est; minus periculi est cum infideli quam cum haeretico agere. In eo autem quod leprosus extra civitatem in sequestrem locum arcebatur, Episcopo indicitur ut

sic cum haereticis nemo agat, nisi sacerdos.

12) Ms.: *Ut*, loco: *In*. 13) Cf. vrr. 6-7. 14) Cf. 3, 10-11. 15) Cf. vrr. 10-11.

publicum peccatorem excommunicet privetque communione fidelium, sicut Paulus egit cum incestuoso corinthio, [16] servato tamen iuris ordine.

Quod autem loquitur Divina Scriptura de lepra nedum corporum, verum etiam suppellectilium, maxime vestium et domorum, morale documentum est. Peccatum enim, licet in anima propriam sedem habeat eamque inficiat, inficit tamen etiam passiones animi, maxime vires concupiscibilem et irascibilem. Affectus autem et passiones cordis sunt veluti vestes animae ac tandem in ipsum etiam corpus transit, sicut in Amnon filio David. [17]

Lex purificationis leprae figura Poenitentiae, in qua iustificatur homo.

V. Sciendum praeterea quod lepra, secundum legem, sacra erat immunditia, non tamen de earum genere, quae sola vestimentorum aut corporis ablutione vel lustralis aquae aspersione sine sacrificio expiabantur; sed a lepra homo absque sacrificio expiari non poterat. Post sacrificium autem purificationis, prius quam communione hominum et ingressu templi donaretur, opus erat ut vestimenta lavaret, corporis totius pilos, etiam supercilia, raderet totumque corpus aqua purificaret; illud a sacerdote, hoc ab ipso leproso mundato fiebat. Nec nisi hisce duobus simul concurrentibus explebatur purificatio, ad indicandum Poenitentiae sacramentum, ubi necessaria est aqua lacrimarum et abrasio peccatorum omnium, facta linguae novacula. Sic in hoc Sacramento iustificatur homo.

Sacerdos revera remittit peccata ex divina auctoritate.

Sacerdos legalis non purificabat hominem a lepra, sed purificatum declarabat et praeterea auctoritate, qua fultus divinitus erat, removebat tollebatquę impedimentum, quo ille a communione hominum et templi ingressu arcebatur; ex lepra nanque tale impedimentum, iuxta legis praescriptum, contrahebatur. Ita in sacramento Poenitentiae. Licet Deus sit qui peccata dimittit, sacerdos tamen divina auctoritate fultus, dum a peccatis absolvit, non tantum declarat divinitus absolutum, sed revera ut Dei minister absolvit et remittit peccata: *Quaecumque ligaveritis super terram,* etc.; [18] *Quorum remiseritis peccata,* etc. [19]

Prius Dominus mundavit hunc leprosum et mundatum ad sacerdotem misit, [20] ad insinuandum mysterium iustificationis per con-

16) Cf. 1 Cor 5, 1-5. 17) Cf. 2 Rg 13, 1-2. 18) Mt 18, 18. Vulg.: *Alligaveritis.*
19) Io 20, 23. 20) Cf. Mt 8, 4.

Etsi mundatus per contritionem coram Deo,

tritionem et caritatem, Deo interius operante. Licet enim homo per fidem vivam magnamque contritionem cordis mundatus sit coram Deo a peccato et iustificatus, tenetur tamen sacerdotem adire, peccatum confiteri, Sacramentum absolutionis ab eo accipere, Ecclesiae reconciliari et usui Sacramentorum restitui, sicut baptizatus vero baptismo fluminis, divinumque adimplere praeceptum, nam si contemneret vel negligeret, peccaret et gratiam amitteret, illud enim ex privilegio est, hoc autem ex iure.

tenetur homo sacerdotem adire,

Sicut igitur leprosus secundum legem, licet revera accepisset divinitus beneficium emundationis, non tamen debebat conscientiae suae iudicio aut testimonio stare aut temere se Sacramentorum communioni iungere, sed sacerdotem adire, ei seipsum manifestare, eius iudicium et absolutionem expectare, ita plane peccator per internam conversionem iustificatus sacerdotem adire tenetur et Sacramentum absolutionis accipere, non autem iudicio aut testimonio conscientiae suae stare; nam revera non potest, nisi per divinam revelationem, certo scire se veram contritionem habuisse ac per eam iustificatum esse. Deinde quia contritio nonnisi cum Sacramenti voto ac veluti pacto cum Deo inito culpam delet, quare debet servare pactum et praestare promissum et implere Sacramentalis Confessionis praeceptum, ut statuto divinae legis satisfaciat et cum Regio Vate dicat: *Amplius lava me ab iniquitate mea,*[21] ut maiorem puritatem et securitatem conscientiae acquirat minuatque reatum.

nemo enim certo scire potest se veram habuisse contritionem.

ALIA HOMILIA

Tria consideranda sunt in hodierno Evangelio.

I. In hodierno Evangelio quoad historiam tria sunt consideranda: primum est apparatus miraculi, secundum operatio miraculi, tertium successus post miraculum. Similiter quoad mysterium consideranda sunt tria: primum quid lepra significet, secundum quid mundatio a lepra et tertium quid missio ad sacerdotem ad offerendum munus pro emundatione.

21) Ps 50, 3.

Ad promerenda divina beneficia fide opus est,

In apparatu miraculi ostenditur quibus modis quibusque mediis promerenda nobis sint divina beneficia, maxime cum sumus in necessitate aliqua constituti divinaeque irae experimus flagella, sicut leprosus hic. Nam lepra flagellum Dei erat ad punienda peccata, ut patet in Maria sorore Moysi,[1] in Giezi servo Elisei,[2] et in Ozia rege.[3] Homo autem hic, ut L u c a s ait, plenus erat lepra,[4] et forte propterea poterat in civitate manere, nam *in una civitatum*[5] ait L u c a s factum hoc miraculum; secundum legem enim qui totus erat lepra infectus, poterat tamquam mundus manere in civitate, *Levitici* 13.[6] Cum igitur infelix leprosus divinae irae experiretur flagellum, venit ad Christum *et genu flexo,* ut M a r c u s habet,[7] *procidens in faciem* suam, ut L u c a s ait,[8] adorabat eum. M a r c u s habet: *Deprecans eum;*[9] L u c a s : *Rogavit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.*[10] Fide igitur, religione, humilitate et ardenti oratione divinam misericordiam est consecutus. Fide, inquam, et confessione fidei, nam *corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem.*[11]

pietate et humilitate.

At non solum nudae fidei actum hic cernimus, verum etiam religionis, humilitatis, ardentis orationis aliarumque virtutum. Sed ante haec omnia praemittitur descensus Christi de monte,[12] per quem designatur benigna divinae pietatis ad nos inclinatio, sicut in libro 2 *Regum* legimus quod, animadvertens Ioab placatam iram Davidis contra Absalom, intercessit pro eo et obtinuit.[13] Ex quibusdam enim indiciis signisque coniecit placatam iam iram in corde regis versamque in clementiam gratumque regis fore si quis pro Absalom intercederet; ea occasione prudenter usus, obtinuit pro reo gratiam. Ita saepe cum Deo fit; ita hodie factum est. *Apparuit gratia Dei,*[14] *benignitas, humanitas* Dei, etc.[15] Beatus homo qui non negligit oblatam occasionem divinae misericordiae consequendae!

II. De operatione miraculi ita scribit M a t t h a e u s : *Extendens manum Iesus tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius;*[16] M a r c u s vero habet: *Misertus autem*

1) Cf. Nm 12, 1-10. 2) Cf. 4 Rg 5, 20 sqq. 3) Cf. 2 Par 26, 16-19. 4) Cf. 5, 12. 5) Ibid. 6) Cf. vr. 11. 7) 1, 40. 8) 5, 12. 9) 1, 40. 10) 5, 12. 11) Rom 10, 10. 12) Cf. Mt 8, 1. 13) Cf. 14, 1-22. 14) Tit 2, 11. 15) Ibid. 3, 4. 16) 8, 3.

Hoc miraculum opus fuit divinae potentiae et misericordiae.

eius extendit manum suam et tangens eum dixit: *Volo mundare. Et... statim discessit lepra ab eo et mundatus est;*[17] similiter Lucas: *Confestim discessit lepra ab eo.*[18] Fuit opus non solum divinae potentiae: *Domine, si vis, potes,* verum etiam misericordiae: *Misertus eius.* Hic revera *misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt.*[19] Extendit manum in signum clementiae; sicut Assuerus virgam regiam tangit,[20] quoniam manus erat instrumentum coniunctum divinae potentiae; imperat ut verus Deus: *mundus esto;* discessit statim lepra, in cuius signum in lege cautum fuit ut passer in purificatione leprosi dimitteretur liber,[21] quasi volasset lepra. Tam facile Dominus lepram ab hoc homine abstulit, quam facile homo dat libertatem passeri quem manu tenet. Nam si vel minimum quid digitos aperiat, statim avolat; sic *statim discessit lepra ab eo,* sicut alibi: *Imperavit febri et dimisit eam.*[22] O divinum medicum! Nam et principem agit hodie Christus, dum sequuntur eum turbae, et medicum: curat leprosum, sed solo nutu voluntatis et imperio, ut auctor naturae.

quo etiam Christus ostenditur dignitati sacerdotali obsequentissimus.

Agit etiam hodie Dominus principem religiosum, nedum pium. Nam defert sacerdotali dignitati et honori; non enim, ut poterat, leprosum a legis debito absolvit, sicut a morbo curaverat, sed ad sacerdotem mittit, ne vel minimum ecclesiasticam iurisdictionem et sacerdotale officium violare aut iniuria sibi vindicare videretur; vult divinas leges Deique scita servari hominesque Deo, ut par est, obedire et gratos esse.

In hac etiam operatione miraculi est quaedam mirabilis echo. Leprosus dixerat: *Domine, si vis, potes me mundare;* Christus statim respondit: *Volo, mundare.* Non tam cito nec tam perfecte prompteque echo respondet unquam, ut Christus hodie; sicut etiam legimus in oratione Eliezer servi Abraham, vix enim finita oratione, exauditus fuit.[23]

Unde quattuor elucent:

III. In successu autem qui operationem miraculi subsecutus fuit, quattuor sunt. Praeceptum silentii: *Vide, nemini dixeris,*[24] ne videretur Christus propriam gloriam quaerere, sicut falsi prophetae

17) 1, 41-42. Vulg.: *Ab eo lepra.* 18) 5, 13. Vulg.: *Lepra discessit ab eo.* 19) Ps 84, 11. 20) Cf. Est 5, 2; 8, 4. 21) Cf. Lv 14, 7. 22) Lc 4, 39. 23) Cf. Gn 23, 10. 19. 24) Mt 8, 4; Mc 1, 44.

ad propriam gloriam, non ad gloriam Dei, mira quaedam faciebant, satanae opera usi, sicut magi Pharaonis;[25] vel iubet ne diffamaret sanitatis beneficium priusquam sacerdotum iudicio sanitas comprobata esset. **Dei gloria,**

Alterum est honor sacerdotalis dignitatis, unde: *Ostende te sacerdoti;*[26] adeo detulit Christus sacerdotio propter divinam reverentiam, cum a Deo esset institutum essentque sacerdotes Dei familiares et domestici ministri, ac veluti intimi aulici, ut divinum sanitatis beneficium iudicio sacerdotum supposuerit, ut ipsi iudicarent an vera esset sanitas necne. Tanti fecit sacerdotalem auctoritatem dignitatemque. **honor sacerdotalis dignitatis,**

Tertium est gratitudo erga Deum: *Offer pro emundatione tua*[27] munus. Requirit eucharisticum sacrificium, ut Deo gratias ageret pro tali tantoque beneficio accepto. **gratitudo erga Deum,**

Quartum est divinarum legum observatio: *Munus quod praecepit Moyses.*[28] Quare hodie Dominus suo exemplo nos docet humilitatem et modestiam, ut in benefactis non quaeramus propriam gloriam; erga superiores, maxime vero spiritualem magistratum, honorem, reverentiam, humilem subiectionem; erga Deum animi gratitudinem et obedientiam legumque divinarum integram observantiam. Haec enim hominem a lepra peccati per fidem et Baptisma mundatum vere christianum efficiunt. **et divinarum legum observantia.**

IV. Quoad mysterium lepra peccatum significat, emundatio a lepra iustificationem a peccato. Fuit haec vera, non ficta mundatio. Hinc Christus eum supposuit sacerdotum iudicio, etiam si male affecti erant contra eum et inimico animo. Sicut autem vere a lepra hominem hunc mundavit, ita hominem per suam gratiam vere a peccato iustificat, non autem, ut Lutherus et Calvinus docent, putative, per imputationem iustitiae Christi,[29] quam boni viri somniarunt, ut Christum facerent non verum, sed fictum Salvatorem. Missio autem ad sacerdotes, post acceptum divinitus beneficium sanitatis, mysterium est sacramenti Poenitentiae sive confessionis. **Quoad mysterium lepra peccatum significat, eiusque emundatio iustificationem,**

25) Cf. Ex 7, 11. 26) Mt 8, 4; Lc 5, 14. 27) Mc 1, 44. 28) Mt 8, 4.
29) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 821; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 4, *De Iustificatione*, lib. 2, cp. 1, col. 775-779; S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 382. 387; part. 3, pag. 238.

missio ad sacerdotes Confessionem.

Etiam si homo per interiorem conversionem iustificatus sit, ad implendam legem servandumque praeceptum Sacramentalis Confessionis [tenetur], sicut etiam Lazarum solvi iussit, etc. [30]

In operatione huius miraculi Dominus usus est corde, quia *misertus eius;* usus lingua, quia dicit: *Volo, mundare;* usus manu, quia *extendens manum tetigit eum.* Cor sedes amoris et caritatis est, lingua sapientiae mentisque instrumentum, manus autem potentiae et artis. Adhibuit Christus vires tum divinae naturae dum imperat, tum humanae dum extensa manu tangit eum dicens: *Volo, mundare.* « *Volo,* inquit Ambrosius, propter Photinum », qui divinam in Christo negabat voluntatem; *mundare,* mundus esto, « imperat propter Arium », qui divinam negabat naturam in eo; « tangit manu propter Manichaeum », [31] qui veritatem carnis et humanae naturae inficiabatur in Christo.

Appendix

Praecepit [32] Dominus huic leproso ut sacrificium legis offerret pro emundatione sua in testimonium veritatis. Sacrificium autem illud superstitionis potius quam religionis speciem referre videri potest, nisi mysteriis plenum censeatur. Iubet enim lex, *Levitici* 14, ut duo passeres offerantur, quorum alter in vase fictili erat immolandus eiusque sanguine leprosus iam mundatus aspergendus, sed super aquas vivas, et hyssopo, quae ligno cedrino et cocco bis tincto esset ligata; alter vero passer liber dimitteretur. [33] Haec autem ad religionem nihil spectare videntur et revera nihil suapte natura spectant; sed mysteriis divinis non vacant, Christi enim sanguine mundatur homo a lepra peccati. [34]

30) Cf. Io 11, 44. 31) *In Lucam,* (P. L. 15, 1636-1637). 32) Quae sequuntur, stylo latiori exarata sunt. 33) Cf. vrr. 4-7. 34) Pagina alba relicta, transit ad Dominicam Quartam post Epiphaniam.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM

Ecce motus magnus factus est in mari ita ut navicula operiretur, etc. [1]

Ostenduntur hodie tribulationes et consolationes S. Ecclesiae.

I. Ostenduntur nobis in hodierno Evangelio Sanctae Ecclesiae tribulationes et consolationes, sive, ut Petrus ait, *passiones et posteriores glorias,* [2] et illud quod Christus dixit: *In mundo quidem pressuram habebitis,* [3] in me autem pacem. Mare nanque mundi huius symbolum est et figura, siquidem aquae multae, populi multi. [4] Navis autem, in qua Christus cum Apostolis est, Sancta Ecclesia est, [5] quae *facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* [6] *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur,* unde Apostoli: *Domine, salva nos, perimus,* [7] hoc est: *In mundo pressuram habebitis,* in me autem pacem.

Mare agitatum mundum significat a malis spiritibus exagitatum.

Bene per mare mundus hic designatur, nam, ut Isaias ait: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest;* [8] *Non est pax impiis, dicit Dominus.* [9] Agitatur autem et conturbatur mare a ventis, qui in mare quam maxime dominantur; ita mundus hic a malignis spiritibus patitur persecutionem. Hinc *imperavit ventis et mari,* [10] graece autem est *increpavit,* ut ad divinum mysterium allude-

1) Pericope huius diei Mt 8, 23-27. Cf. Missale Rom. 2) 1 Petr 1, 11. 3) Io 16, 33. 4) Proverbium deductum ex Apc 17, 15. *Aquas* SS. Patres communiter interpretantur *populos.* Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 698; S. Augustinus *In Apocalypsim,* hom. 13, (P. L. 35, 244); *In Psalmos,* ps. 17, ibid. 36, 150; S. Gregorius M. *Moralium,* lib. 17, cp. 21, ibid. 76, 23. 5) Ms.: *Est* repetitur. 6) Prv 31, 14. 7) Mt 8, 25. 8) 57, 20. 9) Ibid. 48, 22. 10) Mt 8, 26.

ret. Nam non increpantur nisi rationalia, ad insinuandum quod forte a malis spiritibus tempestas illa immissa et excitata erat.

Magna fuit haec tempestas.

II. *Et ecce motus magnus.* Veluti cum admiratione loquitur Evangelista de orta in mari tempestate, quasi de re nova et insolita. Sed quid novi ut in mari tempestas oriatur? Mirum tamen est, sicut mirum ut coram regia maiestate servi tumultuentur. Christus autem Dominus est omnium creaturarum, unde *surgens* hodie *imperavit ventis et mari; Venti et mare obediunt ei.* [11] Vel mirabilis est tempestas haec a magnitudine, qualis fuit tempestas, quam passa fuit in mari navis Ionae, cum tamen ipse dormisset, postea vero tranquillitas magna facta fuit divinitus, [12] sicut etiam hodie accidit. Mirabiliter enim congruit historia hodierni Evangelii cum historia illa Ionae.

Christus permittit electos suos mala in mundo pati.

Sed mirabilis visa fuit Evangelistae tempestas ista propter mysterium persecutionis magnaeque tribulationis Ecclesiae. Finxere poetae Neptunum esse dominum et moderatorem maris, Eolum vero ventorum. [13] Haec autem insanis est fabula. Christus revera Dominus est maris atque ventorum: *Imperavit ventis et mari; Venti et mare obediunt ei; Aquilonem et mare tu creasti;* [14] *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius,* [15] hebraice: *qui compescis fremitum maris;* et alibi: *Dixit et stetit spiritus procellae et exaltati sunt fluctus eius.* [16] Nunc vero, si Christus verus est Deus, rerum omnium moderator et conditor, absque cuius nutu nulla penitus creatura movetur, quomodo ipse patitur Ecclesiam suam, fideles electos, sanctos filios suos talia et tanta mala in mundo pati? Quomodo contra navim suam hanc tempestatem immisit? quomodo permisit? quomodo dormiebat, cum ipse sit de quo scriptum est: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel?* [17]

quia utiliora eis sunt quam prospera;

Haec cogitatio animos etiam piorum maxime vexare et exagitare solet, quomodo divina providentia permittat in mundo bonis mala malis bona, quasi fortuna et casu mundus hic regeretur. Sed tamen permittit Deus electis suis adversa in hoc mundo, quoniam

11) Ibid. vr. 27. 12) Cf. Ion 1, 4-41. 13) Cf. Hyginus *Fabulae*, fab. 125. 157.
14) Ps 88, 13. 15) Ps 64, 8. 16) Ps 106, 25. 17) Ps 120, 4.

valde utilia sunt; prospera autem saepe saepius noxia, sicut dulces cibi stomacho saepe officiunt, amari autem salubriores sunt: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet;*[18] *Virtus in infirmitate perficitur.*[19] Hodierna haec tempestas valde utilis fuit Apostolis ad excitandam in eis fidem, ad cognitionem propriam, ad maiorem cognitionem Christi. Ad excitandam, inquam, fidem, nam tempestate compulsi recurrunt ad Christum: *Domine, salva nos, perimus;* Domine, *non ad te pertinet quia perimus?*[20] *Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge et ne repellas in finem.*[21] Sic in nobis Christus dormiens excitatur. Sic Regius Vates ait: *Ad Dominum cum tribularer clamavi;*[22] *Accelera ut eruas me.*[23]

in tribulatione enim excitatur fides,

In tribulatione cognoscit homo seipsum quantum in virtute profecerit. *Quid timidi estis modicae fidei?*[24] *Ubi est fides vestra?*[25] Sicut aurum in igne probatur, sic virtus in tentatione: *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur;*[26] virtus in infirmitate probatur, proficit animus secundum cognitionem.

in virtute proficitur,

Cognoscitur etiam Deus multo magis: *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? Ventis et mari imperat et obediunt ei?*[27] Cognitus fuit Deus Hebraeis vel maxime in mari Rubro, sic Christus hodie Apostolis in hoc mari qualis et quantus esset.

melius etiam Deus cognoscitur;

Sed post tempestatem secuta est tranquillitas: *Ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia;*[28] *Rursus post tenebras, spero lucem.*[29] Post tenebras Deus lucem creavit, et post noctem diem. Synagoga prius multa passa fuit in deserto, deinde in terram lacte et melle fluentem introducta [fuit]; Christus etiam post passionem glorificatus fuit.

sed post tribulationem sequitur gaudium

Magnus motus factus fuit *in mari* et magna postea facta tranquillitas, nam: *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam;*[30] *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum consolatio nostra,*[31]

18) Iac 1, 3-4. 19) 2 Cor 12, 9. 20) Mc 4, 38. 21) Ps 43, 23. 22) Ps 119, 1. 23) Ps 30, 3. 24) Mt 8, 26. 25) Lc 8, 25. 26) 1 Petr 1, 7. 27) Lc 8, 25. 28) Ps 29, 6. 29) Iob 17, 12. 30) Ps 93, 19. Vulg.: *Secundum multitudinem*, etc. 31) 2 Cor 1, 5.

et gloria in caelis.

ita tamen ut non sint *condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam;*[32] nam *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supramodum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur*[33] in caelis; *Transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium;*[34] *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos; Qui seminant in lacrimis,* etc.,[35] sumpta metaphora ab agricolis, qui tempore caritatis et penuriae coguntur seminare, sed magna cum animi moestitia, qui tamen tempore messis copiosae laeti sunt et exultabundi. Semen autem virtutis facit fructum centuplum: *Facta est tranquillitas magna.*[36]

Tempore tribulationis opus est ardenti oratione,

III. Notandum quod dormiente Domino orta est magna tempestas,[37] ad insinuandum quod, cum vel modicum divinae providentiae vigilantia destituimur, subito multis malis circumstipamur ac veluti obruimur, nam adversa nobis a malignis spiritibus procurantur. Hi autem quam primum permittuntur nec divinitus coercentur, statim innumeris malorum turbinibus nos perdere conantur, sicut in historia Iob liquido patet.[38] Hinc apud Ieremiam 34 legimus: *Praedicabo libertatem ad gladium, ad famem, ad pestem,* etc.,[39] sufficit ut permittat Deus. Ita etiam, mox ut in nobis Christus obdormierit, extincto spiritus fervore, statim excitantur motus magnarum tentationum in nobis, ita ut salus nostra mirum in modum periclitetur; quare tunc opus est ardenti et efficaci oratione: *Excitaverunt eum dicentes*: *Domine, salva nos, perimus;* Domine, *non ad te pertinet quia perimus?* Nam magna tranquillitas a Christo facta fructus fuit orationis, ad preces enim Apostolorum *surgens imperavit,* etc.

ut mali spiritus coerceantur.

32) Rom 8, 18. 33) 2 Cor 4, 17. 34) Ps 65, 12. 35) Ps 125, 5-6. Affert ordine inverso. 36) Mt 8, 26. 37) Cf. ibid. vr. 24. 38) Cf. Iob 2, 6. 39) Vr. 17. Vulg.: *Praedico vobis... ad pestem et ad famem.*

ALIA HOMILIA

Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius. [1]

I. Sicut arca Noe fluctuabat in aquis diluvii [2] et navis Ionae in mari, [3] ita hodie navis Christi, quae symbolum est et imago Sanctae Ecclesiae catholicae. Ostenditur autem hic varia, ut ita dicam, fortuna Ecclesiae Christi in mari mundi huius. Nam *navigantibus illis,* inquit Lucas, *obdormivit,* [4] *in puppi super cervical,* ut habet Marcus, [5] ac tunc *descendit procella venti... et complebantur et periclitabantur;* [6] tunc *suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus,* [7] eoque surgente et imperante, *facta est tranquillitas magna.* [8] Navigabant prius absque ulla procella et tempestate, secundis ventis, tranquillo mari; sed hoc fuit in causa ut obdormiret Dominus maxime data opportunitate cum quietis tum etiam cervicalis in puppi. Temporalis prosperitas cum commoditate corporali saepe in causa est ut ardor spiritus tepescat in nobis, sicque Christus in nobis dormit, extincto spiritus fervore.

Ostenditur varia fortuna Ecclesiae in mari mundi huius.

Varia est autem fidelium in Ecclesia Christi fortuna, quoniam eos Deus nec consolationes nec tribulationes sinit habere perpetuas, sed mira quadam varietate electorum vitam ex prosperis et adversis contexit. Electis autem multo utiliores sunt in hac vita tribulationes quam consolationes ad excitandam et perficiendam virtutem, nam: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet;* [9] *Virtus* enim *in infirmitate perficitur.* [10] Sed *non omnes capiunt verbum istud.* [11]

Electis passiones utiliores sunt quam consolationes.

II. Tria agit hodie Christus: ascendit in navim ibique dormit, excitatus autem increpat discipulos, tertio imperat ventis et mari

1) Mt 8, 23. 2) Cf. Gn 7, 18. 3) Cf. Ion 1, 4. 4) 8, 23. 5) 4, 38. 6) Lc 8, 23. 7) Mt 8, 25. 8) Ibid. vr. 26. 9) Iac 1, 3-4. 10) 2 Cor 12, 9. 11) Mt 19, 11.

Vita fidelium est Christum sequi,

facitque tranquillitatem. Apostoli similiter tria faciunt: sequuntur Christum, excitant orantes in periculo, tandem mirantur: *Qualis est hic?* [12] Vita fidelium est Christum sequi in tribulatione, patientes ad Christum recurrere et Christi opera magnitudinemque ex operibus cognitam mirari.

Navigant cum Christo discipuli, quia omnes veri fideles peregrinos se agnoscunt: *Non habemus civitatem permanentem;* [13] *Peregrinamur a Domino;* [14] *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis,* etc. [15]

etiam inter pericula.

Sequuntur discipuli Christum etiam inter pericula, quoniam eum tamquam amantissimum parentem diligebant. Hoc primum est vere fidelium, Christum ex animo diligere nec metu cuiusvis periculi ab eo separari: *Quis nos separabit a caritate* [16] Dei?

Sapientissimus Salomon miratur inter cetera viam navis in medio maris, tamquam magnum quid et mirabile: *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro: viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adulescentula.* [17] In quarto forte loquitur de nativitate hominis, eius videlicet transitu in hanc lucem ex utero matris. Sed quaenam miracula sunt haec? Forte miratur opera Dei in sublimi, iudicia Dei imperscrutabilia, opera satanae, serpentis antiqui, contra Christum et membra ipsius, cursum Ecclesiae in mari mundi huius inter undas tentationum et procellas persecutionum, ac tandem mysterium nativitatis Christi ex Virgine: *Et viam viri in virgine,* sive per virginem.

In historia huius miraculi tria consideranda sunt:

III. In hodierno Evangelio duo nobis consideranda sunt: historia patrati a Christo miraculi et mysterium. Quoad historiam tria consideranda sunt: occasio miraculi, operatio miraculi et effectus miraculi. Occasio triplex: navigatio Christi, motus tempestatis in mari et oratio discipulorum: *Domine, salva nos, perimus.* [18] Prima occasio fuit navigatio Christi: *Ascendente eo in naviculam, secuti*

12) Ibid. 8, 27. 13) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem.* 14) 2 Cor 5, 6. 15) 1 Petr 2, 11. 16) Rom 8, 35. 17) Prv 30, 18-19. Ex hebraico. 18) Mt 8, 25.

sunt eum discipuli eius. [19] Navigatio haec magnam habet sympathiam cum navigatione Ionae prophetae; verum etiam magnam antipathiam. Similis est et dissimilis; similis, quoniam uterque navim conscendit, solvit a litore, per mare navigat; in utraque historia oritur tempestas, periclitatur navis, uterque dormit, nautae fundunt preces, utrobique divino miraculo fit tranquillitas navisque a periculo liberatur. Verum in multis etiam dissimilis fuit, maxime vero quod Ionas ibi fugiebat a facie Domini ne, ut iussus erat, iret praedicandum in Ninivem ipseque in causa tempestatis fuit et periclitationis, nec nisi eo in mare proiecto, cessavit tempestas, Deo placato; nam in vindictam peccati Ionae orta fuerat, a Deo utique immissa. [20] Fuit navigatio Ionae tota profana, at vero haec Christi navigatio tota sancta, nam non erant cum Christo in navi nisi discipuli. Ubi reperitur fides in Christum et caritas: *Secuti sunt eum discipuli,* superato naturali metu periculorum, maxime cum, ut Marcus ait, iam vespera esset, [21] nocte navigandum erat. Navis erat plena obedientia prompta, nam cum dixisset Dominus, ut Lucas habet, *transfretemus,* [22] statim, nemine recalcitrante, solverunt a litore, ut Christo parerent et morem gererent, nil penitus causati. Sic Ecclesia Christi. Ubi Christus est, plena est fide, plena caritate, plena obedientia mandatorumque Christi observatione, plena non otio sed honesto sanctoque labore, non causantur discipuli impotentiam.

primo, occasio miraculi, idest navigatio Christi cum discipulis,

Motus magnus factus est in mari. [23] Permittit Deus affligi suos ad probationem et perfectionem virtutis. Saepe agit cum suis id quod cum iuvencis sive vaccis portantibus arcam Domini in terram Israel factum fuit; occisae nanque et combustae fuerunt in sacrificium; [24] sic de Paulo: *Vas electionis mihi est, ut portet,* etc. *Ostendam illi quanta,* etc. [25]

motus tempestatis,

Tertia occasio fuit oratio discipulorum: *Domine, salva nos, perimus.* Dici solet quod preces principum sunt armatae, sic etiam preces filiorum apud parentes cum necessaria petunt, ita preces amicorum amantium, preces sponsae ad amantem sponsum, ita

oratio discipulorum;

19) Ibid. vr. 23. 20) Cf. Io 1, 3 sqq. 21) Cf. 4, 35. 22) 8, 22. Ms.: *Marcus* loco: *Lucas.* 23) Mt 8, 24. 24) Cf. 1 Rg 6, 7-14. 25) Act 9, 15-16.

preces Ecclesiae, preces fidelium apud Christum. Hinc cum audisset: *Domine, salva nos, perimus*, continuo *surgens imperavit*, etc. Sic cum filii Israel in Aegypto valde tribulati clamassent ad Dominum, exaudivit eos. [26] Dormientem Dominum excitant.

Sicut autem habitat Christus in fidelibus: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris;* [27] vivit etiam: *Vivo* ego *iam non ego, vivit vero*, etc.; [28] ita dormit ubi fides imperfecta est, tepida est, non operatur per caritatem. In tribulatione autem excitatur; sic excitatus est Christus: *Suscitaverunt eum;* veluti instructa acie armatis precibus eum aggrediuntur. Magna vis est publicarum precum, ut patuit etiam in oratione decem leprosorum, [29] in publicis Ecclesiae orationibus pro Petro: [30] *Si duo ex vobis consenserint super terram*, etc.; nam *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, etc. [31]

secundo, operatio miraculi, idest modus quo Christus illud operatus est;

Operatio miraculi est: Continuo *surgens imperavit ventis et mari*, [32] ut ostenderet se illum esse cui dicitur: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas*, [33] et item: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus;* [34] ostendit se dominum maris atque ventorum; hinc imperat tamquam absolutus Dominus. Fuit Adam figura Christi; factus autem fuit ut dominaretur piscibus maris, etc.; [35] sic Christus, verus dominus factorque maris: *Aquilonem et mare tu creasti.* [36] Magnum miraculum operatus fuit Moyses in mari Rubro, [37] sed tamquam servus Dei; Christus autem tamquam verus Deus. Magnum miraculum arca Dei in Iordane, nam retinuit cursum aquarum; [38] Christus autem hodie motum aquarum. Siccavit etiam Iordanem Elias, siccavit Eliseus, [39] sicut arca; at solus Christus *imperavit ventis et mari.*

tertio, effectus miraculi, idest salus navigantium et cognitio Christi.

Effectus huius miraculi fuit salus, prout petierant: *Domine, salva nos, perimus.* Quare miraculum fuit et beneficium, opus potentiae et bonitatis Dei. Sed praeterea operatum fuit in cordibus hominum mirabilem Christi cognitionem: *Homines mirati sunt;* [40] confessionem fidei et laudem: *Qualis est hic, quia venti et mare*

26) Cf. Ex 3, 9-10. 27. 27) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare*, etc. 28) Gal 2, 20. 29) Cf. Lc 17, 12-14. 30) Cf. Act 12, 5-11. 31) Mt 18, 19-20. 32) Ibid. 8, 26. 33) Ps 88, 10. 34) Ps 92, 4. 35) Cf. Gn 1, 26. 36) Ps 88, 13. 37) Cf. Ex 14, 26-28. 38) Cf. Ios 3, 14-16. 39) Cf. 4 Rg 3, 8-14. 40) Mt 8, 27.

obediunt ei? Lucas etiam habet quod timuerunt eum.[41] Loquitur autem de timore reverentiae, quo boni populares timent regem suum, licet optimum, et filii patrem; quare, viso hoc miraculo, multo magis timebant, idest venerabantur, reverebantur, cum cognovissent eum plusquam hominem esse.

Quoad mysterium, mare mundum significat, navis Ecclesiam,

IV. Mysterium autem est. Nam mare mundus est, navis Ecclesia, ubi Christus cum discipulis, ubi vera fides in Christum, sed cum caritate, ubi obedientia et labor in remigando, ubi patientia in tribulatione, ubi ardens oratio, ubi Christus dormit in tepidis et imperfectis in fide, ubi humanus timor: *Quid timidi estis, modicae fidei?*[42] Motus in mari tribulatio, tranquillitas pax Ecclesiae; in tribulatione recurrit ad Christum, ardenter orat, sed in tranquillitate Christum magis agnoscit, miratur, laudat timetque reverentiae timore. Semper autem fide, spe, caritate et divinorum mandatorum observatione plena est Ecclesia. Unam navim Christus ascendit, quoniam una Ecclesia est, visibilis est, sancta est, catholica et apostolica est vera Ecclesia.

tempestas tribulationes;

Habemus hic symbolum tentationis Ecclesiae fideliumque in hoc mundo, nam: *Navicula operiretur fluctibus;*[43] *periclitabantur et complebantur, ipse vero dormiebat,*[44] ac si eos nihil curaret. Hinc aiunt: Domine, *non ad te pertinet quia perimus?*[45] *Exurge, quare obdormis, Domine?*[46] Sic saepe supra virtutem tentari videntur fideles, ut Paulus ait: *Quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut,* etc.;[47] sed tamen sicut motus magnus factus fuit, ita etiam tranquillitas magna. Non permittit Christus mergi navim. Permittit impugnari Ecclesiam, non expugnari: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.*[48] In maximis periculis, ubi res humanitus desperata est, divinitus adest Ecclesiae Christus.

sed Christus navim mergi non sinit.

Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli. Erat Christus veluti magnes discipulorum. Spectat autem ad mysterium

41) Cf. 8, 25. 42) Mt 8, 26. 43) Ibid. vr. 24. 44) Lc 8, 23-24. 45) Mc 4, 38. 46) Ps 43, 23. 47) 2 Cor 1, 8. 48) Mt 16, 18.

quod per navim Ecclesia designatur tum propter fidem, tum etiam propter integram mandatorum Dei observationem. Oportet enim integram navim esse, ne pateat aquis aditus ad eam submergendam. *Si quis totam legem servaverit, offendat autem*, etc.[49]

49) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicumque totam*, etc. Pagina alba relicta, transit ad Dominicam sequentem.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM

Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. [1]

I. Hodierni Evangelii parabola multis referta est divinae philosophiae mysteriis. Agitur enim in ea de Christo, de Ecclesia, de electis, de reprobis, de finali iudicio, de paradiso et de inferno. Nam interpretatur Dominus quod seminator sit Filius hominis, Dominus Angelorum; quod ager sit mundus, [2] idest Ecclesia, nam: *Colligent de regno eius omnia scandala;* [3] quod bonum semen sint filii regni, heredes regni caelestis, filii Dei; zizania filii nequam, *tu poniru* graece, *filii illius mali;* messis consummatio saeculi; ignis comburens zizania infernum: [4] *Mittet... Angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala... et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium;* quod horreum sit paradisus: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* [5] Est igitur parabola haec ingens mysteriorum thesaurus. **Multa mysteria continet haec parabola,**

Non intellexerunt Apostoli hanc parabolam, sed opus fuit ut Christus eam declararet. [6] Ubi sunt igitur haeretici, qui dicunt Divinas Scripturas adeo faciles esse, ut eas etiam parvuli possint intelligere? Et tamen Dominus Apostolis sensum aperuit *ut intelligerent Scripturas.* [7] **unde oportuit ut Christus ipse eam declararet.**

1) Pericope huius diei Mt 13, 24-30. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Mt 13, 37-38. 3) Ibid. vr. 41. 4) Cf. ibid. vrr. 38-39. 5) Ibid. vrr. 42-43. 6) Cf. ibid. vr. 36. 7) Lc 24, 45. De his haereticis cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 320; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Verbo Dei*, lib. 3, cp. 1, col. 127.

Tria vel maxime docet.

II. In hodierni Evangelii parabola Dominus tria vel maxime docet: primum in Ecclesia non solos electos et bonos contineri, verum etiam reprobos et malos, quemadmodum in parabola de sagena congregante bonos et malos pisces manifeste docuit;[8] secundum Deum quidem bonorum non malorum auctorem esse, satanam autem, inimicum Dei, esse malorum auctorem; tertium Dei bonitatem et patientiam in ferendis malis usque in finem, sed tamen bonorum causa: *Ne forte eradicantes zizania, eradicetis,* etc.[9]

Non solis electis ac bonis constat Ecclesia, sed etiam reprobis et praescitis.

Cum autem in parabola hac duo vel maxime digna sint animadversione: difficultas et mysteriorum copia, sicut errant haeretici in difficultate, ita etiam in mysteriis. Errant maxime Lutherani et Calvinistae. Nam quoad primum docent veram Ecclesiam bonis tantum constare, non malis, electis praedestinatisque tantum hominibus, non reprobis et praescitis, ut Ecclesiam invisibilem faciant,[10] cum tamen Dominus Ecclesiam comparaverit areae, in qua est frumentum et paleae,[11] convivio, in quo sunt boni et mali,[12] decem virginibus,[13] gregi in quo sunt oves et haedi,[14] et Paulus ait Ecclesiam esse magnam domum, in qua sunt vasa aurea et argentea, lignea etiam et fictilia, vasa in gloriam et vasa in ignominiam.[15] Petrus etiam docet designatam esse Ecclesiam in arca Noe, in qua erant cum mundis etiam immunda animalia.[16] Sic, inquam, Sancta Ecclesia ager est, in quo una cum tritico sunt zizania, una cum filiis regni filii nequam: *Colligent de regno eius omnia scandala... et mittent eos in caminum ignis.*

Ecclesia societas est hominum qui fidem Christi profitentur.

Docet igitur Dominus in hodierno Evangelio Ecclesiam esse societatem hominum profitentium Christi fidem, idest verorum fidelium, sive boni sint sive mali quoad mores, sub regimine tamen legitimorum pastorum. Hi enim sunt homines agri cultores qui [sese] offerunt patrifamilias ad eradicanda zizania, nec quaerunt ab eo potestatem, sed voluntatem: *Vis imus et colligimus ea?*[17] Non quaerunt an liceat, sed an expediat, nam: *Omnia mihi licent, sed non*

8) Cf. Mt 13, 47-50. 9) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Colligentes zizania,* etc. 10) Cf. S. Bellarminus *Controversiae.* t. 2. *De Ecclesia militante.* lib. 3, cp. 1, col. 97; cp. 9, col. 115-122. 11) Cf. Mt 3, 12; Lc 3, 17. 12) Cf. Mt 22, 2-14. 13) Cf. ibid. 25, 1-12. 14) Cf. ibid. vrr. 33-34. 15) Cf. 2 Tim 2, 20. 16) Cf. 1 Petr 3, 20. 17) Mt 13, 28.

omnia expediunt; [18] poterant colligere, sed non expediebat. Data est enim potestas ad aedificationem, non autem ad destructionem. Omnes mali in Ecclesia subiecti sunt Praelatis Ecclesiae; punire eos possunt pro meritis, non tamen semper expedit, nam:

« Est modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit consistere rectum ». [19]

Origo bonorum a Deo est, malorum a diabolo.

Secundo docet Dominus bonorum originem a Deo, malorum vero a diabolo esse, non quod statuat duo principia rerum duosque creatores, sicut Manichaeus [20] et sicut Simon Magus, [21] sed tantum ut doceat hominum vitia atque peccata non esse a Deo, sed a diabolo. Deus enim auctor bonorum tantum est: *Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona;* [22] *Dei perfecta sunt opera et omnes viae eius iudicia;* [23] *Omnes viae* Domini *misericordia et veritas;* [24] *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus.* [25] Docet igitur Dominus malorum auctorem et causam non esse Deum, quemadmodum etiam postea Divus Iacobus docuit: *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.* [26] Calvinus tamen docet Deum esse causam omnium peccatorum, licet ipse non peccet, quoniam ad ostendendam misericordiam et iustitiam suam ab aeterno decrevit homines peccare et ad peccandum ipse impellit. [27] Non peccat autem ipse, quoniam nulli legi subiectus est. Haec etiam est Libertinorum haeresis; sic Simon Magus, teste Vincentio Lirinensi, libro *Contra Profanas Vocum Novitates,* [28] Deum fecit malorum omnium auctorem; sic etiam Florinus haereticus montanista, contra quem scripsit Irenaeus, ut refert Eusebius Caesariensis, libro 5 *Historiae,* capite 20. [29] At vero contrarium omnino docet hodie Dominus.

contra Calvinum aliosque haereticos.

III. Habemus in hodierno Evangelio duo quaesita proposita a servis ad patremfamilias: *Unde... habet zizania?* et: *Vis imus et col-*

18) 1 Cor 6, 12. 19) Horatius *Satyrae,* sat. 1, vrr. 105-106. 20) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 707. 21) Cf. infra, not. 28. 22) Gn 1, 31. 23) Dt 32, 4. 24) Tob 3, 2. 25) Dt 32, 4. 26) 1, 13. 27) Cf. S. Laurentius a Brundusio Opera Omnia, *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 2, pag. 57-58 et not. 130-134. 141-142; S. Bellarminus *Controversiae,* t. 4, *De gratia et libero arbitrio,* lib. 3, cp. 1, col. 482. 28) Cf. *Commonit.* 1, (P. L. 50, 671). 29) P. G. 20, 483.

Habemus hodie mysterium creationis et providentiae.

ligimus ea? Duas etiam ad quaesita proposita responsiones: *Inimicus homo hoc fecit,* ad primum; *Non, ne forte* eradicantes zizania, etc.,[30] ad secundum. Conveniunt autem haec duo principalia mysteria christianae philosophiae, quae de Deo respectu creaturarum duo docet: alterum est mysterium creationis, alterum providentiae. Quod Deus causa est et principium omnium rerum, quia ipse condidit omnia; et quod Deus providentia sua omnia moderatur et regit, est enim Deus sicut Noe, qui arcam et fabricavit et gubernavit.[31] Cum autem Deus causa sit omnium, sicut arbor fructuum, sicut sol luminum, sicut fons rivulorum, nec possit arbor simul bonos et malos fructus, sol lucem et tenebras, fons dulcem et amaram aquam producere, unde mala in mundo?

Docet Christus mala non a Deo, sed a diabolo esse.

Docet Dominus mala non esse a Deo, sed a diabolo: *Inimicus homo hoc fecit,* qui superseminavit zizania diabolus est. Siquidem diabolus, qui primos parentes incitavit ad malum,[32] superseminavit in mundo zizania vitiorum et peccatorum omnium. Sed cum diabolus sit creatura Dei, unde malum in eo? Nonnisi a seipso; cum enim malum non sit nisi boni privatio, sicut tenebrae lucis, non est quaerenda causa ipsius efficiens, sed deficiens, veluti si quis fame, siti aut decrepita aetate, spiritu deficiente moritur, a nemine occisus dicitur, sed mortuus est, quia natura mortalis erat; ita Angelus, licet creatus fuerit bonus et absque ullo peccato, fuit tamen creatus cum potentia ad peccandum, nam solius Dei, qui infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis est, proprium est non posse peccare. Componit artifex horologium mira arte cum iustissimis ponderibus: ordinatissimo motu, horas iustissime pulsat; sed deordinari potest; si vel modica aerugine inficiatur, quae ex ipsa ferri natura oritur, statim perit in eo motus iustitia illaque ordinatissima proportio, in qua ab artifice fabrefactum fuit. Ita potuit deordinari animus Angeli, ita ut caderet in eum contemptus et odium Dei, propter nimium sui amorem, hinc dicitur *inimicus homo.*

Diabolus a Deo bonus creatus, a seipso malus effectus fuit.

IV. Dicunt haeretici Deum esse causam malorum, quia ipse causa est omnium actionum naturalium, nam: *In ipso vivimus, mo-*

30) Mt 13, 27-29. 31) Cf. Gn 6, 14 sqq. 32) Cf. Ibid. 3, 1-6.

vemur et sumus;[33] *Sine me nihil potestis facere.*[34] Non est autem peccatum nec potest esse sine aliqua naturali operatione cordis, linguae, manus. Verum. Sed peccatum non consistit formaliter in actione, sed in mala, perversa, deordinata intentione, nam *peccatum est iniquitas, i amarthia esti anomia,*[35] praevaricatio legis. Est quidem Deus causa omnium actionum, sed generalis, sicut influxus caeli causa omnium quae natura generantur causa est generalis; ut autem nascatur haec herba, non illa, a causa particulari seminis; itaque si herba mala est, amara est, venenosa est, non ab influxu caeli, sed a semine est. Ita quod haec actio mala sit, a mala hominis intentione est, sicut etiam quod sol et ignis uno et eodem calore hanc quidem materiam liquefaciat, illam vero rarefaciat, causa non a sole aut ab igne est, unde nonnisi bonus calor emanat, sed a particulari dispositione materiae. Quod ex floribus et aromatibus suavem olentiam, ex herbis vero putridis et corruptis cadaveribus putorem radius solis educat, a causis particularibus est. Permittit autem Deus hominem abuti animi sui libertate in malum; permittit etiam satanae seminare zizania ad ostensionem iustitiae et misericordiae suae, sicut Paulus docet *Romanis* 9.[36]

Deus est causa generalis actionum naturalium,

non autem malae intentionis hominis:

Inimicus homo hoc fecit. Licet ergo videantur Divinae Litterae secundum speciem quidem docere Deum esse causam peccati, ut quod induraverit cor Pharaonis,[37] quod excaecaverit Iudaeos,[38] quod tradiderit philosophos in reprobum sensum[39] et alia id genus, ideo dicitur quia permittit satanae. Nam legimus in Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit;*[40] et tamen satanas abstulit, permittente Deo. Sic *2 Regum* legimus quod incitavit Dominus David ut numeraret populum,[41] sed *1 Paralipomenon* legimus quod insurrexit satan.[42] Paulus etiam ait quod *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium.*[43] Quomodo ergo Deus? Quia satanas, nonnisi permittente Deo. Magnum autem malum est haec permissio, veluti si permisisset aquis in mari Rubro ut submergerent Hebraeos,[44] si per-

tantum permittit homini sua libertate abuti.

33) Act 17, 28. 34) Io 15, 5. Sic Lutherus, Zuinglius et Calvinus. Cf. S. Laurentius a Br. op. cit., part. 1, pag. 225. 228; S. Bellarminus op. cit., t. 4, De *Amissione Gratiae,* lib. 3, cp. 3-4. col. 100-105. 35) 1 Io 3, 4. Differt a textu graeco, ab Eber. Nestle curato. Cf. *Novum Test. Graece et Latine,* hoc loco. 36) Cf. vrr. 19-24. 37) Cf. Ex 4, 25; 7, 3; 9, 12; 10, 1. 20, 27 et alibi. 38) Cf. Is 6, 10; Act 28, 26; Rom 11, 8. 39) Cf. Rom 1, 24, 28. 40) 1, 21. 41) Cf. 24, 1. 42) Cf. 21, 1. 43) 2 Cor 4, 4. 44) Cf. Ex 14, 22 sqq.

misisset [flammis] in fornace ut comburerent tres sanctos iuvenes,[45] si permisisset leonibus ut devorarent Danielem.[46] Vae nobis si permitteret Deus daemonibus! etc.

Divina providentia sapientissime omnia moderatur;

V. Quod autem spectat ad alterum quaesitum: *Vis imus et colligimus ea,* et ad responsionem: *Non, ne forte colligentes zizania,* etc., mysterium est divinae providentiae, quae sapientissime omnia moderatur. In quaesito autem apparet zelus servorum Dei, qui cupiunt eradicari omnia mala de mundo. Ionas cupiebat perditionem Ninivitarum,[47] Iacobus et Ioannes Samaritanorum.[48] Hinc illa oratio: *Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt et in regna quae,* etc.[49] At vero Deus: *Non,* inquit, *ne forte,* etc. Mirabile dictu, ac si nollet rex disperdi ac tolli perniciosos homines de suo regno. Ipse tamen, cum ille sit de quo dicitur: *Virga aequitatis virga regni tui; dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem,*[50] ait: non eradicetis zizania. Videtur permittere principibus, licet catholicis et bonis, libertatem, quam dicunt, conscientiae in causa religionis et docere quod non licet haereticos religionis ergo punire. At vero zizania hic Dominus non est interpretatus haereticos, sed filios diaboli: *Scandala et eos qui operantur iniquitatem,*[51] malos in genere. Non ergo prohibet iustam haereticorum punitionem, sicut nec punitionem facinorosorum et sceleratorum, qui pacem et quietem reipublicae perturbant, sunt reipublicae pestis. Docet ergo ne cum pernicie et damno tritici eradicentur zizania. Ergo si zizania triticum laedunt et sementem suffocant, eradicanda sunt.

aliquando videtur malos tolerare,

sed non prohibet iustam iniquorum punitionem,

Ita Divus Augustinus, libro *Contra Epistolam Parmeniani,* docet puniendos esse haereticos compellendosque esse ad intrandum;[52] idemque docet Tractatu 11 *in Ioannem* exemplo Nabuchodonosor, qui legem severam statuit contra omnes blasphemantes Deum Hebraeorum.[53] Cum igitur haeretici tanto pestilentiores sint reipublicae fidelium quibusvis scelerosis, quanto animae praestant corporibus et fortunis, tanto iustius et severius sunt puniendi.

qui saluti animarum insidiantur;

45) Cf. Dn 3, 20-24. 46) Cf. ibid. 6, 16-22; 14, 30-40. 47) Cf. Ion 4, 1 sqq. 48) Cf. Lc 9, 54. 49) Ps 78, 6. 50) Ps 44, 7-8. 51) Mt 13, 41. Vulg.: *Qui faciunt iniquitatem.* 52) Cf. lib. 1, cp. 5, (P. L. 43, 40). 53) Cf. ibid. 35, 1483.

permittit autem malos in mundo ad utilitatem bonorum.

Sed docet hic Dominus se permittere malos in mundo ad utilitatem bonorum, tum etiam quia possunt converti, nam sicut Paulus ait: *In magna domo sunt vasa non solum,* etc.: *Si quis... emundaverit se,* etc.;[54] tandem ut iustius puniantur in die iudicii, quia contempserunt longam Dei patientiam. Hinc Paulus: *An divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis eius contemnis?* etc. *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram,* etc.[55] Sic ait: *In tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania,* etc.[56] Non igitur iniustus est Deus quia non statim punit malos, sed patienter tolerat propter bonos. Sic nec iniustus censendus est princeps qui non statim malos de medio tollit, sed opportunum tempus et locum expectat ad puniendum.

Docet etiam Dominus quod praesentis vitae tempus non est tempus praemii et poenae, sed futurum; tunc iusti recipient praemia virtutum, iniusti vero poenas vitiorum in die iudicii, *cum venerit Filius hominis in maiestate sua,* etc.[57]

Deus non operatur malum efficiendo, sed tantum permittendo.

VI. *Inimicus homo hoc fecit.* Prudens ergo sciensque permisit inimico ut superseminaret zizania, sicut prudens sciensque permisit satanae ut tentaret primos parentes nostros, ut item tentaret Iob. Sic igitur Deus non auctor malorum nec causa est, sed tantum permissor, ut docent omnes Sancti Patres omnesque theologi, imo et philosophi: Trismegistus *in Pimandro,* capite ultimo;[58] Plato in 2 *De Republica,*[59] Maximus Tyrius sermone 25, ubi de causis mali disserit.[60] Non operatur Deus malum efficiendo, veluti si agricola hortum aut vineam evertat, aut princeps suam civitatem destruat vel imperator milites trucidet, sed deserendo, veluti si agricola hortum aut vineam absque ulla cultura relinquat, princeps civitatem ab inimicis obsessam impugnatamque minime defendat, imperator milites aliquos male moerentes in acie relinquat ab inimicis trucidandos. Nauta in causa naufragii est efficiendo, dum data opera eam in scopulos illidit; permittendo, dum, orta tempestate in

54) 2 Tim 2, 20-21. 55) Rom 2, 4-5. 56) Mt 13, 30. 57) Ibid. 25, 31.
58) Cf. pag. 115-116. 59) Iuxta editionem, qua utimur, lib. 31, *Dial.* 2, pag. 554.
60) Cf. pag. 187-195. Titulus sermonis 25: « *Cum Deus bona agat, unde mala?* ».

mari, eam sine gubernatore relinquit, ut volebant facere nautae in navi Pauli.[61] Sic Deus dicitur indurare homines, indurare cor Pharaonis, non immitendo duritiem, sed permittendo satanae, ut per magos Pharaonis faceret ipse signa similia signis a Moyse et Aaron divinitus praestitis; hac enim de causa non credidit Pharao eos a Deo missos, sed magos et praestigiatores esse; nec tribuit ei Deus speciale donum intellectus ut cognosceret divina opera. Hinc *Exodi* 7 dicitur quod Pharao *non apposuit cor* ad signa divinitus facta,[62] idest non intellexit, non cogitavit qualia essent signa. Avocabat satanas mentem ipsius ab hac cogitatione, sicut legimus quod *tollit verbum de corde* hominum, *ne credentes salvi fiant.*[63]

vel negando indignis lumen speciale ad intelligenda divina,

Hac igitur ratione dicitur indurare et excaecare, quia non dat speciale lumen ad intelligenda divina et permittit satanae ut atriores tenebras offundat. Sic dicitur Dominus percussisse primogenita Aegypti,[64] cum Regius Vates dicat percussa fuisse a malis Angelis: *Immissiones per angelos malos.*[65] Hinc enim Deus tamquam iudex carnificibus utitur sufficitque ut permittat poenas infligere.

liberam relinquendo hominis voluntatem,

Nec tamen existimandum est satanam indurasse cor Pharaonis, ipso renuente, nam semel atque iterum et tertio legimus quod induravit Pharao cor suum, quod ingravavit cor suum.[66] Quod si quid egit Deus ad indurandum cor Pharaonis, illud quidem bonum fuit, nam hebraice est: *Ego roborabo cor Pharaonis.* Fortitudo autem cordis et magnitudo animi, qua redditur homo impavidus, bona est; tantum per occasionem mala fuit haec vis et robur animi Pharaoni. Veluti si quis det homini vinum valde praestans, quo hausto, ille inebrietur, illum quidem inebriasse dicitur, non tamen revera inebriavit, quia non coegit ad bibendum; sic filiae Loth patrem inebriasse dicuntur.[67]

Sic igitur Deus induravit cor Pharaonis primo quidem non infundendo gratiam, qua posset veritatem cognoscere, sicut apud Lucam, quod oculi discipulorum *tenebantur ne* Christum *agnoscerent,*[68] quia Christus non manifestabat seipsum eis; secundo per-

61) Cf. Act 27, 30 sqq. 62) Vr. 23. 63) Lc 8, 12. 64) Cf. Ex 12, 29. 65) Ps 77, 49. 66) Cf. Ex 7, 23; 8, 15; 14, 5. 67) Cf. Gn 19, 30 sqq. 68) 24, 16.

mittendo satanae ut faceret opera per quae Pharao facile avocari posset a cognitione et fide; tertio operando in animo ipsius opus suapte natura bonum, sed tantum per occasionem malum, si quis eo bono male utatur, sicut munera dicuntur excaecare oculos sapientum[69] et divitiae dicuntur irritamenta malorum.[70]

VII. Sciendum etiam quod Deus, cum providentia sua moderator sit rerum omnium, ipsas etiam malas perversorum hominum ac etiam daemonum voluntates moderatur, ita ut non liceat eis mala quaecumque volunt et prout volunt operari. Sic Deus animarum moderator fuit in concilio filiorum Iacob contra Ioseph,[71] in concilio Absalom contra David,[72] in concilio Iudaeorum contra Christum.[73] Ea tantum permittit eis mala, ex quibus divina providentia sua nonnulla potest eruere bona, veluti si quis fluminis cursum, factis aggeribus, moderetur, ne pro libito in declivia quaeque defluat et regiones omnes adiacentes invadat, relinquat autem partem aliquam sine aggere, is plane dicetur partem illam inundare voluisse, cum tamen non dederit ipse flumini nec cursum nec copiam aquarum, nam suapte natura eo defluunt aquae; eatenus tamen dici potest partem illam inundare voluisse, quatenus non apposuit ibi aggerem, non efficiendo, sed permittendo, quod non tenebatur aggerem ibi etiam ponere: nihil mali fecit neque peccavit, licet inde magnum damnum sequatur regioni; ipsi sibi provideant, cum possint, quorum interest; neque enim ipse procuravit copiam aquarum.

quam tamen moderatur, ne quaecumque velit mala operetur.

VIII. *Simile est regnum caelorum*, etc. Huic Salvatoris sententiae, quo docet Deum bonorum auctorem esse, non malorum, multa videntur in Sacris Litteris refragari. Nam Isaiae 45 capite, Deus ipse ait: *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec.*[74] Apud Amosum etiam, 3 capite, legimus: *Si est malum*

Hoc sensu intelligenda sunt plurima loca S. Scripturae.

69) Cf. Dt 16, 19. 70) Ex Ovid. *Metam.*, lib. 1, vr. 140. 71) Cf. Gn 37, 18-20. 72) Cf. 2 Rg 15, 1-12. 73) Cf. Io 11, 47-53. 74) Vrr. 6-7. Affert ordine inverso.

in civitate quod non fecerit Dominus,[75] idest Deus verus, *Iehovah.* Verum loquitur Dominus de adversitatibus, peste, fame, bello aliisque infortuniis, quae in Divinis Litteris mala dici solent. At vero in Ezechielis 14 capite: *Propheta si erraverit et locutus fuerit verbum,* idest si deceptus seductusque vaticinatus fuerit, *ego Dominus,* inquit, *decepi prophetam illum;*[76] et Ieremiae 20 capite: *Seduxisti me, Domine, et seductus sum, fortior me fuisti et invaluisti.*[77] Sed decipere prophetam dicitur, quia satanae permittit ut decipiat, sicut *3 Regum,* ultimo, legimus quod spiritus malus obtulit se Deo ad decipiendum Achab impium regem dicens: Ibo *et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum;*[78] permisit autem illum Deus; Ieremias autem seductum se dicit, quia non satis intellexit divina promissa sibi facta, cum munus prophetandi a Deo commissum sibi fuit: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream,* etc.; *bellabunt adversum te,* etc.[79] Multa tamen passus ab eis est.

ALIA HOMILIA

Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen. [1]

Ostenditur hodie origo, medium et finis bonorum et malorum.

I. Ostenditur in hodierno Evangelio origo sive principium, medium et finis bonorum et malorum; quod Deus principium et causa sit bonorum, non autem malorum, sicut in exordio creationis causa ponitur lucis, non tenebrarum: *Et vidit Deus lucem quod esset bona;*[2] *Viditque cuncta quae fecerat et erant valde bona.*[3] Satanas autem ponitur hic malorum auctor, non quidem quoad naturam, nam haec bona est, a Deo est - hinc Cain et Abel eodem patre

75) Vr. 6. Vulg.: *Si erit malum,* etc. 76) Vr. 9. Vulg.: *Cum erraverit,* etc.
77) Vr. 7. 78) Vr. 22. 79) 1, 18 sq.

1) Mt 13, 24. 2) Gn 1, 4. 3) Ibid. vr. 31.

eademque matre sunt nati,[4] sicut etiam Ismael et Isaac eumdem habuere patrem,[5] Iacob et Esau eamdem etiam matrem,[6] similiter Sem et Cham,[7] sed quoad culpam, quae mala est. Sic alia origo lucis alia tenebrarum, alia origo Hebraeorum alia Chananaeorum, alia Israelitarum alia Philisthaeorum. Ita hodie alius est qui seminat bonum semen, alius qui superseminat zizania. Sic de malis Dominus ait: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere. Vos non auditis, quia ex Deo non estis.*[8] Sic docuit Moyses innocentiam, qua primi parentes nostri Deo similes erant, a Deo fuisse; peccatum vero a serpente, a satana.[9]

Deus causa est bonorum, satanas malorum.

Licet autem aliquando in speciem videatur Deus in Scripturis auctor malorum, ut quod induravit cor Pharaonis,[10] quod excaecavit oculos et induravit cor Iudaeorum,[11] quod tradidit philosophos gentiles in reprobum sensum,[12] sciendum quod nunquam ita loquitur Scriptura, nisi ubi agit de tam magna iniquitate, ut supernaturalis videatur; maxima autem quaeque Deo tribuuntur. Sic cum videmus aliquem prudentem virum turpissime errare, dicimus: Deus illi mentem eripuit, quia non valemus intelligere quomodo in tam turpem errorem ille inciderit. Et adhuc, quia mos est Divinae Scripturae ita loqui, ut nonnisi apparentiam rei exprimat saepe saepius secundum vulgi iudicium; ita Deum dicit ira et indignatione commotum, aut misericordia motum, aut poenituisse;[13] ita Angelos appellat viros,[13a] ita satanam serpentem,[14] quia ita homines videntes existimassent. Sic saepe non considerat intentionem agentis, sed apparentiam facti et iudicium vulgi ex facto. Sic Iacob dixit, *Genesis* 43: *In meam hoc fecistis* perniciem, sive *miseriam;*[15] sic vidua sarephtana: *Ingressus es ad me ut... interficeres filium meum;*[15a] sic Christus dictus est *filius Ioseph,*[16] sic in cruce clamat se derelictum a Patre,[17] sic post resurrectionem *finxit se longius*

Nonnisi improprie loquendo Deus dicitur causa malorum,

quia cum possit, interdum mala non impedit.

4) Cf. ibid. 4, 1-2. 5) Cf. ibid. 16, 4-11; 21, 1-3. 6) Cf. ibid. 25, 24-25. 7) Cf. ibid. 5, 31. 8) Io 8, 44. 47. 9) Cf. Gn 3, 1-7. 10) Cf. Ex 4, 21; 7, 3; 9, 12; 10, 1. 20. 11) Cf. Is 6, 10; Act 28, 26; Rom 11, 8. 12) Cf. Rom 1, 24-28. 13) Cf. Gn 6, 6-7; Ex 4, 14; Nm 6, 16. 46; 11, 1-10; Dt 13, 17; 1 Rg 15, 11. 35; Tob 8, 18; Ier 26, 3. 13. 19, et in plurimis aliis locis. 13a) Cf. Gn 18, 2-16; 32, 24. 14) Cf. Gn 3, 1-15. 15) Vr. 6. 15a) 3 Rg 17, 18. 16) Lc 3, 23. 17) Cf. Mt 27, 47.

ire,[18] quia sic vulgus existimasset. Ita plane cum dicitur excaecasse, indurasse, tradidisse in reprobum sensum, quia cum non impediat, cum possit, existimat vulgus eum velle effectum qui sequitur.

Vult Deus ut in hoc mundo bona et mala sint hominibus communia.

II. Quod autem spectat ad media, ait: *Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, apparuerunt et zizania... Sinite utraque crescere.*[19] Novit a quo et quando seminata fuere; permisit nedum seminari, verum etiam nasci et crescere manereque intacta una cum tritico in campo usque ad messem; voluit habere una cum tritico commune solum, commune caelum, pluvias, rorem, solem, lumen. Sic Deus nihil fere in hoc mundo, quod spectat ad externa, inter iustos et iniustos discernere videtur: *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos;*[20] vult bona et mala, prospera et adversa hominibus esse communia; sed tamen iustorum merito, sicut vel propter decem iustos voluisset parcere universae Pentapoli,[21] et propter multos innocentes noluit Ninivem subvertere.[22] Non tamen malis communia facit iustorum bona eo quod eos diligat quatenus mali sunt, sed non punit eos pro meritis ne et iustis damna inferat.

Deus patitur malos, quia nunc est tempus misericordiae,

Patitur autem Deus malos in mundo ad exercendam bonitatem caritatemque et misericordiam suam simulque patientiam et longanimitatem ac tandem iustitiam suam. Hinc Paulus: *An divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis* Dei *contemnis? ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te expectat? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[23] Exercet bonitatem praestando beneficium, caritatem diligendo inimicos: *Qui solem suum*, etc.; misericordiam parcendo immeritis et poenitentibus remittendo peccata; patientiam ferendo multas iniurias; longanimitatem diutissime ad poenitentiam expectando peccatores[24] ut salventur. Sed tan-

18) Lc 24, 28. 19) Mt 13, 26. 30. 20) Ibid. 5, 45. 21) Cf. Gn 18, 32. 22) Cf. Ion 4, 11. 23) Rom 2, 4-5. Vulg.: *Ad poenitentiam te adducit.* 24) *Ad poenitentiam* iterum ponitur.

dem iustitiam exercet in peccatores impoenitentes: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens,* etc.

sed futura vita tempus erit iustitiae.

III. Quoad finem autem ait: *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania.*[25] Tempus praesentis vitae est tempus misericordiae, tempus autem iudicii tempus erit iustitiae; *tunc reddet Deus unicuique secundum opera sua;*[26] *Mittet Angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem et mittent eos in caminum ignis,* etc.; *Tunc iusti fulgebunt,* etc.[27] Tunc videbitur *quid intersit inter iustum et impium,* sicut Deus per Malachiam ait capite 3.[28]

Hoc autem summopere advertendum quod per bonum semen hic Dominus iustos intelligit, hos dicit filios regni: *Separabunt malos de medio iustorum;*[29] *Tunc iusti fulgebunt;* per zizania autem intelligit omnes qui iusti non sunt, nam qui iustus non est, peccator est, malus est. Quisquis igitur iustus non est, triticum non est, zizania est, mittetur igitur in caminum ignis. Bone Deus, quis ergo salvus erit? *Iustus vix salvabitur,* inquit Petrus,[30] quis ergo salvabitur? Tam pauci salvabuntur quam pauci sunt iusti, vere sancti et electi Dei. Faxit Deus, etc.

Multa sunt mysteria in hodierna parabola.

IV. Hodierni Evangelii parabola est veluti magna quaedam mappa mundi, in qua totus mundus descriptus est cum singulis suis partibus, agit enim de omnibus mysteriis fidei nostrae. Habemus in hodierno Evangelio duos seminatores et duo semina, incrementum et finem utriusque. Quoad secundam seminationem, quae superseminatio dicitur,[31] plura ostenduntur: quis sit seminator, quod semen, quis locus et quod tempus seminandi, quis fructus seminis et tandem quis finis. Agrum hodie Christus mundum interpretatur,[32] sed plane ille mundus de quo dicitur: *Mundus eum non cognovit;*[33] semen bonum filios regni, idest doctrinam veram fidemque facien-

25) Mt 13, 30. 26) Mt 16, 27; Rom 2, 6. 27) Mt 13, 41-43. Vulg.: *Iusti fulgebunt.* 28) Vr. 18. Vulg.: *Quid sit,* etc. 29) Mt 13, 49. 30) 1 Petr 4, 18. 31) Cf. Mt 13, 25. 32) Cf. ibid. vr. 38. 33) Io 1, 10.

tem filios regni; semen autem malum filios nequam, idest doctrinam perversam, haeresim, facientem homines filios diaboli. Sed a fructibus doctrina cognoscitur, fides catholica in Ecclesia a tot Sanctis Martyribus, Confessoribus, Virginibus, etc.[34]

34) Reliqua parte paginae alba relicta, transit ad Dominicam sequentem.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM

Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, etc. [1]

I. Ad declarandam vim et efficacitatem vivae fidei habemus in hodierno Evangelio duas parabolas: alteram de grano sinapis, alteram de fermento. Septem nanque apud Matthaeum Dominus parabolas adhibet ad declarandum mysterium verbi Dei, idest evangelicae doctrinae fideique christianae, in quarum prima, quae de seminatore est, [2] declaratur finis ac finalis effectus fidei, nisi impediatur: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum; [3] in secunda, de bono semine, [4] declaratur natura fidei, quod bona sit, sed adulterari potest per satanam consortio malorum; in tertia et quarta hodierni Evangelii declaratur virtus et efficacitas; in quinta et sexta, de thesauro et pretiosa margarita, [5] pretium et valor; in septima, de sagena missa in mare, [6] ipsius amplitudo, quod non tantum bonos continere potest, sicut caritas, verum etiam malos; sed illos quidem ad salutem, hos autem ad perditionem, nam sine caritate et bonitate nemo salvari potest.

His parabolis declaratur vis et efficacia vivae fidei.

Duas igitur hodierni Evangelii parabolas adhibet Dominus ad exprimendam fidei virtutem et efficaciam. Sicut igitur in prima parabola dixit: *Semen est verbum Dei,* [7] ita hic quoque intelligendum est. Granum sinapis est verbum Dei, licet aliqui ex Sanctis Patribus per granum sinapis, prius quidem minimum postea vero maximum, Catholicam Apostolicamque Ecclesiam intelligant, sive regnum et

De grano sinapis variae sunt interpretationes,

1) Pericope huius diei Mt 13, 31-35. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 13, 3-8. 19-23. 3) 1 Petr 1, 9. *Vestrarum* lect. cod. 4) Cf. Mt 13, 24-31. 37-43. 5) Cf. ibid. vrr. 44-46. 6) Cf. ibid. vrr. 47-50. 7) Lc 8, 11.

dominium Christi, sive etiam ipsum Christum,[8] qui apud Danielem parvus est lapis de monte excisus sine manibus quique postea in magnum excrevit montem, ita ut totam terram occuparet.[9] Sensu tamen una est omnium interpretatio.

sed speciatim exponitur de doctrina fidei christianae.

Comparatur doctrina fidei christianae grano sinapis, quia cum parvum valde sit corporis mole, magnum tamen est potentia et virtute, cum ignea constet natura, minimum quidem est, idest inter minima semina computatur, sicut alibi dixit minimum quadrantem,[10] cum tamen quadrans maior sit minuto, sed inter minimas monetas computabatur; ita res parvae grano sinapis veluti communi proverbio comparabantur, unde est illud: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.*[11]

Evangelica doctrina contemptibilis videbatur,

II. *Simile regnum* Dei, idest Evangelium, *grano sinapis... quod minimum est*, dicitur non solum ad differentiam humanarum disciplinarum doctrinarumque, verum etiam ad differentiam mosaicae legis; nam illa quidem a Deo caelitus data fuit multa cum maiestate, per Moysen, virum summae auctoritatis, qui veluti deus quidam terrenus videbatur, divini splendoris gloriae et maiestatis participatione inter eos donatus;[12] evangelica autem doctrina contemptui erat.

Tria sunt quae in quavis scientia considerantur: obiectum sive subiectum de quo tractat, auctor inventorque qui disciplinam invenit et tradit, tandem modus et forma tractationis, quae consistit in ordine et dispositione, in acumine et vi rationum, in splendore eloquentiae, proprietate verborum et gravitate sententiarum. Sic nobilis est scientia a subiecto, ab auctore, a forma procedendi tractandique dogmata. Tria haec tractantur in mathematica, in naturali, in morali philosophia.

8) *De Christo*: cf. Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 4, cp. 20, (P. L. 2, 436); S. Hilarius *Comment. in Matthaeum*, ibid. 9, 994; S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 2, ibid. 26, 90; S. Petrus Chrysologus Sermo 98, ibid. 52, 473-475. - *De regno et dominio Christi*: cf. Iuvencus *Historia Evangelica*, lib. 2, vr. 815, ibid. 19, 213; S. Io. Chrysostomus *Comment. in S. Matthaeum*, hom. 46, (P. G. 58, 478); Theophylactus *Enarrat. in Evang. Lucae*, ibid. 123, 918-919. - *De Evangelio et doctrina Christi*: Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 4, cp. 30, (P. L. 2, 436); S. Hieronymus *Comment. in Evangelium Matthaei*, lib. 2, ibid. 26, 90; S. Beda *In Matthaei Evang. Expositio*, lib. 2, ibid. 92, 67-68; S. Io. Chrysostomus *Comment. in S. Matth.* hom. 46, (P. G. 58, 479-480); Theophylactus *Enarrat. in Evang. Matth.* ibid. 123, 286); *Enarrat. in Evang. Marci*, ibid. col. 535; *Enarrat. in Evang. Lucae*, ibid. col. 918-919.
9) Cf. 2, 34-35. 10) Cf. Mt 5, 26. 11) Ibid. 17, 19. 12) Cf. Ex 19, 16 sqq.; 34, 28 sqq.

At vero quoad tria evangelica doctrina ignobilis et supra modum contemptibilis videbatur. Nam quoad subiectum docebat quae paradoxa et impossibilia videbantur: Deum hominem factum, Deum natum, passum, mortuum; felicitatem consistere in paupertate, humilitate, afflictione et patientia malorum. Auctor huius doctrinae: Christus, qui *fabri filius* [13] habebatur, humili loco natus, humiliori educatus, humillimo ac omnium vilissimo mortuus. Auctores et primi magistri: Apostoli, homines ignobiles, viles de medio vilissimae plebis, simplices, ineruditi, idiotae, barbari. Modus autem et forma tractandi: absque ulla arte, absque ullis demonstrationibus aut rationibus, absque ulla eruditione aut eloquentia, simplici tantum nudaque et barbara tractatione historica.

ob ea quae docebat

et ob eius auctores;

Ita plane similis erat doctrina haec *grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus,* multo inferior videbatur quibusvis humanae philosophiae actis et scientiae disciplinis doctrinisque legis et Prophetarum, sacris dogmatibus, imo fabulis etiam poetarum. Nam haec quidem multa arte erant composita, multa eloquentia et suavitate orationis, multo ingenii acumine, proprietate verborum, gravitate sententiarum, dictionis splendore et maiestate; quare summo cum gustu legebantur et adhuc leguntur.

At vero *cum creverit, maius est omnibus oleribus,* ita ut fiat arbor. Ita fides divina quadam virtute omnes alias doctrinas et disciplinas cum humanas tum etiam divinas auctoritate et pretio longissime superavit mentesque humanas in obsequium Christi captivavit humillimeque subiecit, ut in praesentiarum cernimus. Neque enim lex Moysi in tantam unquam auctoritatem et maiestatem in mundo excrevit, ut Evangelium Christi. Lex enim vix unam tantum Hebraeorum gentem, cui data fuit, uno in Asiae angulo, continere in officio potuit; Evangelium vero universum per orbem longe lateque imperium suum divinitus propagavit. Ita ex minimo factum est maximum.

attamen omnes alias doctrinas superavit

Sicut etiam vidimus in Christo et in Ecclesia. Christus enim in Sacris Litteris nunc minimus, nunc maximus demonstratur: *Parvulus natus est nobis,* inquit Isaias, et *filius datus est nobis;* sed *vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater,*

et in maximum crevit,

13) Mt 13, 55.

sicut Christus,

etc.,[14] ita Angelus in Christi nativitate: *Invenietis infantem pannis involutum*, etc.; sed: *Annuncio vobis gaudium magnum... quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus;*[15] ita Paulus: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens... humiliavit semetipsum... usque ad mortem;* sed *Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*[16]

sicut Ecclesia.

Similiter Ecclesia: *Nolite timere pusillus grex*, sed *complacuit Patri vestro dare vobis regnum;*[17] *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*[18] Sic enim in synagoga forma praecessit, nam ex modico principio parvoque numero in magnam gentem populumque pene innumerabilem crevit, iuxta promissa Dei.

Ita plane in fide Evangelii accidit. *Praedicamus Christum crucifixum*, inquit Paulus, *Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; his autem qui salvi fiunt, Dei virtutem et Dei sapientiam.*[19] Hinc *non erubesco*, inquit, *Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.*[20]

Mirae virtutes sinapis spiritualiter continentur in fide.

III. *Simile est regnum caelorum grano sinapis.* Plinius *Naturalis Historiae* libro 19, capite 8, scribens de sinapi, ait sinapim esse acerrimo sapore, igneo effectu ac saluberrimam corpori;[21] libro etiam 20, capite 22, ostendit mirabiles seminis huius virtutes contra omnes fere corporis morbos.[22] Ita plane fides, cum virtute calorem divini amoris ignemque caritatis contineat, maxime valet contra omnes morbos vitiorum. Comparavit alibi Dominus perfectam fidem grano sinapis dicens: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic*, etc.,[23] - loquitur de perfecta fide de qua Paulus: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam*[24] - si vel modicum vivacis fidei habeatis, nam *omnia possibilia sunt credenti.*[25] Nam ibidem Dominus subiunxit: *Nihil impossibile erit vobis*, Matthaei 17,[26] cum dixisset: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.*

14) 9, 6. 15) Lc 2, 10-11. Affert ordine inverso. Vulg.: *Evangelizo vobis*, etc. 16) Phil 2, 7-9. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc. 17) Lc 12, 32. 18) 1 Petr 2, 9. 19) 1 Cor 1, 18, 23-24. Inserit vr. 18. 20) Rom 1, 16. 21) Cf. pag. 360. 22) Cf. pag. 382-383. 23) Mt 17, 19. 24) 1 Cor 13, 2. 25) Mc 9, 23. 26) Vr. 19.

Continet fides virtute ardorem caritatis, sicut granum sinapis igneum vigorem, quoniam humanus animus cognitione boni, spe et timore maxime commovetur. Fides autem ostendit Deum summe bonum nostrumque summum benefactorem, summeque potentem et volentem coronare benefacta aeternis praemiis in caelo, malefacta vero perpetuis suppliciis punire in inferno. Deus enim omnipotens infinitaeque bonitatis, magna exhibet beneficia ut diligatur, magna promittit praemia ut in eo speretur, magnas minatur poenas ut timeatur. Sic fides magnam habet in se acrimoniam igneamque efficacitatem, si tamen fidei iugi meditatione animo terantur, nam: *In meditatione mea exardescet ignis.*[27] Neque enim sinapis acrimonia, nisi dum teritur, sentitur. ob veritates divinas quas docet.

ALIA HOMILIA

Simile est regnum caelorum grano sinapis.[1]

I. Tribus modis parabola haec exponitur a Sanctis Doctoribus: vel de Christo, qui prius fuit humilis in mundo, postea vero divinitus maxime exaltatus in caelo et in Ecclesia, ut in lapide Danielis praesignificatum fuit[2] et in Ioseph, Moyse et David praefiguratum; vel de Ecclesia, quae prius fuit pusillus grex in Apostolis, postea vero, accepto caelitus Spiritu Sancto, per totum orbem longe lateque diffusa crevit in immensum, sicut in synagoga olim figura praecessit et sicut ex parva costa Adami factum fuit magnum corpus Evae;[3] vel tandem de Evangelio, de doctrina Christi, de fide christiana,[4] quae prius Iudaeis scandalum erat, Gentibus stultitia, nunc vero credentibus Dei virtus et sapientia,[5] cuius forte typus fuit nubecula illa Eliae, quae adeo crevit ut totum caelum occuparet imbresque in terram copiosos et abundantes demitteret.[6] Hinc Isaias ait: Replebitur *terra scientia Domini sicut aquae maris operientes.*[7] Vicit enim fides et superavit omnes doctrinas et disciplinas saeculares, sicut virga Moysi devoravit omnes serpentes magorum Pha- Interpretatur haec parabola de Christo, de Ecclesia, de fide.

27) Ps 38, 4.

1) Mt 13, 31. 2) Cf. 2, 34-35. 3) Cf. Gn 2, 22. 4) Cf. not. 8 hom. praecedentis, pag. 172. 5) Cf. 1 Cor 1, 23-24. 6) Cf. 3 Rg 18, 44-45. 7) 11, 9.

raonis[8] et sicut sapientia Salomonis superabat omnem sapientiam Aegyptiorum et Orientalium.[9]

sed omnes expositiones in idem recidunt.

Omnes expositiones hae bonae sunt et probabiles. Nam quod accidit in grano sinapis naturaliter, accidisse videmus in Christo, in Ecclesia, et in fide christiana supernaturaliter, ita ut manifeste agnoscenda sit hic virtus et potentia Dei et fatendum quod *digitus Dei est hic.*[10] Omnes autem expositiones hae fere in idem recidunt. Nam Christus in mundo crevit fidei cognitione et confessione; Ecclesia per fidei sacramentum et Evangelii praedicationem; fides item per verbum Dei: *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.*[11]

Ecclesia Christi in universum extenditur,

II. Hinc autem arguitur haereticorum error, qui Ecclesiam intra angulos quosdam restringunt, sicut olim Donatistae in uno Africae angulo Ecclesiam concludebant, sicut nunc Calvinistae Genevae aliique novatores in aliis angulis. Divus Augustinus uno hoc argumento Donatistas perstringebat ac refellebat, quod non possit Ecclesia post tot annos tam angustis terminis definiri,[12] cum de Christo dictum sit: *Postula a me et dabo tibi gentes,* etc.;[13] itemque: *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine,* etc.;[14] itemque: *Plantasti radices eius et implevit terram; operuit montes umbra eius et arbusta eius cedros Dei; extendit palmites suos,* etc.;[15] aiebatque Divus Augustinus quod Ecclesia in Divinis Litteris luna appellatur, quae quidem initio tenuis et exigua est, in dies autem crescit usque ad plenilunium, et si quis, inquit, novam lunam primo et secundo die non videt, dignus est venia; qui autem plenam lunam non videt caecus est.[16] Ita Augustinus caecos appellat Donatistas, qui Ecclesiam Dei post quadringentos a Christo annos non videbant.

cuius figura est arbor sinapis.

Quid nunc de novis haereticis diceret, qui post millesexcentos nec videri quidem posse dicunt? Plane caecis videri caelum non potest. At si arbor ex grano sinapis facta esset invisibilis, quomodo volucres caeli venirent et habitarent, idest quiescerent in ramis

8) Cf. Ex 7, 9-12. 9) Cf. 3 Rg 4, 29-31. 10) Ex 8, 19. 11) Mc 16, 15-16. 12) Cf. *Contra Litteras Petiliani,* lib. 1, cp. 12, (P. L. 43; 252); lib. 2, cp. 8, ibid. col. 264; lib. 3, cp. 5, ibid. col. 380; *Contra Gaudentium,* lib. 1, cp. 19, ibid. col. 717. 13) Ps 2, 8. 14) Ps 71, 8. 15) Ps 79, 10-12. 16) Cf. *Enarrat. in Psalmos,* ps. 103, (P. L. 37, 1373).

cius?[16a] Habet enim Ecclesia multas particulares ecclesias, sicut regnum multas civitates, sicut exercitus multas legiones; sic in una Ecclesia universali multae sunt particulares. Episcopi autem, sacerdotes, ministri Ecclesiae, Religiosi, quiescunt hi quidem in hac particulari ecclesia, illi vero in illa, sicut in una civitate hi quidem in hac parte et domo, alii in alia. Est autem Ecclesia civitas supra montem posita, quae abscondi non potest.[17] Quod si propter invisibilem fidem, ut novatores aiunt,[18] invisibilis esset Ecclesia, etiam Baptismus esset invisibilis, etiam Christus ipse, etiam homo quilibet, quia in Baptismo Spiritus Sanctus est invisibilis, in Christo invisibile Verbum, in homine invisibilis anima. Sed satis esto, dimittamus illos: *Caeci sunt et duces caecorum.*[18a]

Sed videtur Dominus loqui potius de efficacia fidei ad ferendum fructum gloriae.

Licet autem omnes hae expositiones bonae sint et probabiles, lubet tamen quartam etiam addere, ut loquatur Dominus de virtute et efficacia vivacis fidei ad ferendum magnum gloriae fructum in caelo, sicut etiam dixit de semine, quod in terram bonam cecidit et ortum fecit fructum centuplum.[19] Nisi ipsa experientia evidens esset, vix adduci possemus ad credendum quod ex tam modico semine tanta oriri potest secreta operatione naturae corporis moles: *fit arbor.*[20] Ita incredibilis est fructus virtutis in caelo, magna item vis et efficacitas vivae fidei est apud Deum, licet in mundo floccipendatur et pessumdetur ac in oculis hominum vix alicuius momenti sit. *Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum*[21] et e contra. Hinc Paulus spiritu Dei plenus mundana omnia ut stercora arbitrabatur.[22]

Designatur his parabolis duplex virtus fidei: apud Deum et apud homines.

III. Duabus autem his parabolis duplex fidei virtus designari mihi videtur, una apud Deum, altera apud ipsum hominem. Apud Deum quidem, quoniam virtus hominem apud ipsum magnum potentemque facit, maxime ad gloriam et gratiam consequendam. Hinc Iacob fortis cum Deo dictus est;[23] Ioannes Baptista *magnus coram Domino.*[24] Magna item est vis et potentia, quoniam mox ut in animum hominis divinitus illapsa fuerit, sensim progreditur cre-

16a) Cf. Mt 13, 32. 17) Cf. ibid. 5, 14. 18) Lutherus et Calvinus. Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae*, t. 2, *De Ecclesia Militante*, cp. 11, col. 130-131. 18a) Mt 15, 14. 19) Cf. ibid. 13, 18; Mc 4, 8; Lc 8, 8. 20) Mt 13, 32. 21) Lc 16, 15. Vulg.: *Quod hominibus altum est... ante Deum.* 22) Cf. Phil 3, 8 23) Cf. Gn 32, 28. 24) Lc 1, 15.

scitque, quousque totum perfecerit hominem et in suam veluti naturam transformaverit, sicut fermentum cum farinae massa agit, donec fermentatum est totum, tota farina trium satorum.[25] Perficit totum intellectum, ut non delectetur nisi cognitione divinarum rerum, memoriam ut earum meditatione [pascatur], voluntatem ut earum amore [accendatur]; perficit rationalem partem hominis spirituali prudentia, irascibilem sancto odio contra vitia, concupiscibilem vivaci desiderio spiritualium aeternorumque bonorum, *quae praeparavit Deus diligentibus se.*[26]

Simile est regnum caelorum grano sinapis, etc. De viva et vivaci fide loquitur, sicut alibi: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis,*[27] idest modicum quid perfectae fidei, veluti: si habueritis vel parvam scintillam ignis, poteritis magnam silvam incendere.

Per fermentum intelligitur doctrina evangelica.

IV. *Simile est regnum caelorum fermento,* etc. In Divinis Litteris fermentum aliquando doctrinam malam significat, unde Dominus iussit Apostolis ut caverent a fermento Pharisaeorum, idest doctrina et hypocrisi eorum;[28] aliquando vitium animi, unde Paulus: *Epulemur non... in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis;*[29] aliquando malum hominem scandalosum, unde Paulus incestuosum corinthum fermentum appellavit dicens: *Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.*[30] Hoc autem loco Dominus per fermentum doctrinam evangelicam fidemque videtur intelligere, sicut Paulus *ad Galatas* per fermentum haeresim intelligit dicens: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*[31] Agebat autem de persuasione, quae non erat a Deo, qui vocaverat eos. Fermentum nanque, [cum] magno praeditum sit calore, magnam vim habet transmutandi et in naturam suam convertendi conspersionem farinae in qua ponitur eamque sapidam reddit. Ita plane doctrina evangelica, ubi semel in animum hominis insederit, totum sanctificat. At etiam haeresis perversaque doctrina hoc ipsum efficit totumque hominem pervertit; ita vera virtus, ita et vitium, ita gratia Dei totum hominem sanctificat et salvat; peccatum vero totum hominem perdit.

quae animum, ubi insederit, totum sanctificat.

25) Cf. Mt 17, 33. 26) 1 Cor 2, 9; Iac 1, 12. 27) Mt 17, 19. 28) Cf. Ibid. 16, 6, 12. 29) 1 Cor 5, 8. 30) Ibid. vrr. 6-7. 31) 5, 9.

V. *Simile est regnum caelorum grano sinapis.* In superiori parabola bonum semen interpretatus fuerat Dominus filios regni, bonos et electos.[32] Potest igitur per granum sinapis et fermentum spiritualis homo verusque christianus intelligi, spiritu idest plenus, nam hominem spiritu et vigore animi plenum appellare solemus granum piperis, ita ut in prima quidem parabola ostendat Dominus quanti apud Deum valeat, licet mundo sit vilis et humilis in seipso, in posteriore vero quid pro hominibus valeat ad eos convertendos. Patet in uno Paulo in Novo quidem Testamento, in Moyse vero in Veteri; hic enim universam Hebraeorum gentem, Divino Spiritu afflatus, ad Deum convertit, Paulus vero universum fere mundum. Ita fermentum fuit divinae sapientiae.

Granum sinapis verum christianum etiam figurat.

Verum etiam satanas suum habet fermentum. An non satanae fermentum olim fuit Arius? non satanae fermentum hoc nostro saeculo, patrum nostrorum aetate, Lutherus? Sed o utinam nunc Deus in farinae massam fermentum absconderet suum!

Satanas quoque suum fermentum habet.

Fit arbor, etc. In Divinis Litteris arbor hieroglyphicum est principatus, ut in arbore Nabuchodonosor apud Danielem manifestum est.[33] De Apostolis, qui tam humiles fuerunt in mundo, scriptum est: *Constitues eos principes super omnem terram;*[34] quibus Christus ait: *Sedebitis super sedes iudicantes,* etc.;[35] sic virtutis ergo Ioseph, Moyses, David facti sunt principes; sic Petrus factus summus princeps Ecclesiae.

Arbor hieroglyphicum est principatus.

VI. Cum duas parabolas habeamus in hodierno Evangelio, videndum est quid granum sinapis, quid etiam fermentum significet. Et quidem in Sacris Litteris fere ubique fermentum a Deo respuitur: agnus paschalis cum panibus azymis absque fermento edendus erat, *Exodi* 12;[36] expresse mandat ne quid fermentatum offeratur in sacrificium;[37] sed tamen *Levitici* 23 iubet in festo pentecostes offerri novos primitiarum panes cum fermento.[38] Designat fermentum, acri calore plenum, cupiditatem et etiam caritatem, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*[39] Sic fermentum, quod respuit Deus, cupiditas est, quod autem requirit,

Fermentum designat tum cupiditatem tum caritatem,

32) Cf. Mt 13, 37. 33) Cf. 5, 17-19. 34) Ps 44, 17. 35) Mt 19, 28.
36) Cf. vrr. 3-20. 37) Cf. ibid. 23, 18; 34. 25. 38) Cf. vrr. 15-18. 39) Rom 5, 5.

caritas est, utraque nanque calor est cordis, sed haec sanctus et spiritualis calor.

granum autem sinapis hominem vere christianum.

VII. *Simile est... grano sinapis.* Hieroglyphicum est hominis vere christiani granum sinapis. Nam duo sunt quae hominem vere christianum faciunt: humilitas in abiectione sui ipsius et caritas erga Deum. Haec autem duo sunt in grano sinapis; caritati autem datur vita aeterna, humilitati gloria. Qui autem seminat hoc granum Christus est, *qui seminavit bonum semen in agro suo,*[40] idest Ecclesia.

Fit arbor, ita ut volucres caeli, etc.[41] Iam diximus per arborem designari principatum.[42] Hinc Dominus ait in *Apocalypsi: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo,*[43] idest principem in Ecclesia, sicut Petrus et Ioannes a Paulo dicti sunt columnae.[44] Ait etiam: *Qui vicerit... dabo ei potestatem super gentes;*[45] et item: Faciam illum *sedere in throno meo,* sicut ego sedi in throno Patris mei.[46] Hinc etiam legimus in libro *Iudicum* de arbore quae electa fuit in regem a ceteris, quod ait: *Si vere me regem constituitis, venite et requiescite sub umbra mea.*[47] Arbor enim ramis fructificat protegitque; ita sancti, auctoritate accepta a Deo, multos beneficiis cumulant, protegunt, defendunt.

Per granum sinapis intelligi potest tum Evangelium,

VIII. *Simile est regnum caelorum grano sinapis.* Si de Evangelio intelligatur, illud est quod Paulus *1 Thessalonicensibus* 1 ait: *Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa;*[48] et quod *1 Corinthiis* 1: *Verbum crucis pereuntibus stultitia est, his autem qui salvi fiunt... virtus Dei est;*[49] et capite 2: *Sermo meus et praedicatio mea non* fuit *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*[50] Sic granum sinapis est parvae molis, sed magnae virtutis.

Simile est regnum caelorum grano sinapis. Sive de Christo sive de Ecclesia intelligatur, nam in idem recidit, cum Ecclesia sit cor-

40) Mt 13, 24. 41) Ibid. vr. 32. 42) Cf. supra pag. 179. 43) 3, 12. 44) Cf. Gal 2, 9. 45) Apc 2, 26. 46) Ibid. 3, 21. 47) 9, 15. Vulg.: *Sub umbra mea requiescite.* 48) Vr. 5. 49) Vr. 18. 50) Vrr. 4-5.

pus Christi, duplex hic designatur status: alter quidem humilitatis, alter vero gloriae, sicut alibi Dominus de seipso ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem,* etc.[51] Duplex autem hic status in persona Christi ab Isaia propheta 53 capite suarum *Revelationum* graphice describitur: Domine, *quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti.*[52] Eadem fere similitudine utitur, qua Dominus in hodierno Evangelio. Deinde multa prosequitur, de Christi humilitate et passione; postea vero de exaltatione et gloria;[53] prius minimum granum, postea magna arbor.

tum Christus, tum Ecclesia

et designet duplicem statum: humilitatis et gloriae.

IX. *Simile est regnum caelorum fermento,* etc. Tria consideranda nobis sunt: quid fermentum significat, quid mulier, quid farinae sata tria. Quoniam hanc parabolam Dominus non declaravit, sed alibi visus mihi est eam declarasse, cum post resurrectionem suam dixit Apostolis: *Data est mihi omnis potestas... Euntes ergo docete omnes gentes;*[54] et alibi: *Euntes in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae;*[55] et alibi: *Oportebat pati Christum et resurgere a mortuis... et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.*[56] Fermentum Evangelium est, mulier primitiva Ecclesia instituta a Christo, tria sata mundus universus, quoniam a tribus tantum filiis Noe propagatus est.[57] Alludere autem videtur Dominus ad tria sata farinae, quae Sarah ad iussum Abrahae miscuit, ut tribus Angelis, quos hospitio receperat, cibum pararet.[58]

Ita fermentum Evangelium designat,

mulier primitivam Ecclesiam,

tria sata mundum universum.

Est autem fermentum massa pastae ex naturali calore corrupta factaque ad cibum inepta, mixta tamen conspersioni farinae, sua vi atque calore panem efficit multo sapidiorem multoque meliorem infermentato.

X. Habemus in hac parabola quasdam veluti notas ad veritatem evangelicam dignoscendam. Nam fermentum doctrinae symbolum

Appendix

51) Io 12, 24. 52) Vrr. 1-2. 53) Cf. ibid. vrr. 3 sqq. 54) Mt 28, 18 sq.
55) Mc 16, 15. 56) Lc 24, 46-47. Vulg.: *Christum pati,* etc. 57) Cf. Gn 9, 18-19.
58) Cf. ibid. 18, 6.

est, ut Dominus Matthaei 16 ait: *Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum,*[59] nam ipsemet interpretatus fuit quod de doctrina loquebatur,[60] quam Lucae 12 hypocrisim dixit,[61] quoniam illi speciem quidem pietatis habebant, virtutem autem eius abnegabant,[62] quales sunt omnes haeretici. Notae autem sunt antiquitas: *Acceptum mulier;* universalitas: *Abscondit in farinae satis tribus;* effectus: *Donec fermentatum est totum.*[63] Effectus fermenti in pane est sapor et bonitas, facit enim panem multo salubriorem, leviorem, digestibiliorem. Hae sunt etiam duae qualitates salis, nam cibos reddit meliores, salubriores et sapidiores.

Videndum autem prius cur per fermentum Dominus doctrinam evangelicam designavit, cum secundum legem fermentum sit Deo abominabile et execratum. Comparavit autem, quia futurum erat Evangelium Iudaeis scandalum, quasi contrarium legi divinae, Gentibus autem stultitia, ut contrarium philosophiae. Sed in pentecoste offerebatur panis fermentatus, *Levitici* 23. Accepto Spiritu Sancto, factum est Evangelium Dei virtus et sapientia.

Illa vera fides est quam Apostoli ad nos transmiserunt.

Sed ut ad notas redeamus, cognoscitur veritas evangelicae doctrinae fideique catholicae ab antiquitate et perpetuitate successionis continuae ab Apostolis usque ad nos; illa enim vera est fides quam Apostoli a Christo oretenus acceptam ad nos usque transmiserunt. Deinde ab universalitate et communione eiusdem fidei, nam *credentium erat cor unum et anima una.*[64] Sic una eademque est confessio fidei per universum orbem; sicut ubique unus Deus, ita una fides. Tandem ab effectu, nam vera fides mundum convertit ab ignoratione Dei summaque morum pravitate ad veram Dei cognitionem et sanctitatem vitae; sic ait: *Donec fermentatum est totum,* ut homo Deum ex toto corde diligeret, nam: *Finis praecepti est caritas ex corde puro,* etc.;[65] *Ignem veni mittere in terram.*[66] Sic multi sancti divinae legis perfectissimi observatores reperti sunt in vera catholica Ecclesia: *Plenitudo* autem *legis est dilectio.*[67]

59) Vr. 11. 60) Cf. ibid. vr. 12. 61) Cf. vr. 1. 62) Cf. 2 Tim 3, 5. 63) Mt 13, 33. 64) Act 4, 31. 65) 1 Tim 1, 5. 66) Lc 12, 49. 67) Rom 13, 10.
Aliquibus lineis albis relictis, transit ad Dominicam sequentem Septuagesimae.

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere, etc. [1]

I. Sacrosancti hodierni Evangelii parabola multis est referta mysteriis, nec minus utilitatis habet quam profunditatis. Nam scopus parabolae est ostendere ac demonstrare quod *multi sunt vocati, pauci vero electi,* quodque *multi erunt novissimi primi et primi novissimi;* [2] quod quidem profundissimum est mysteriorum Dei: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt,* etc. [3] Est veluti universalis mundi totius descriptio, quam mundi mappam dicunt, in qua pulcherrimis imaginibus describitur mundus archetypus imagine hominis patrisfamilias, viri optimi. Nam Deus thesaurus omnium bonorum est, mundi dominus, parens omnium creaturarum, Optimus Maximus: *Non licet mihi quod volo facere?... Quia ego bonus sum;* [4] pater providentissimus: *Exiit,* etc. Describitur mundus somaticus imagine fori, ubi reperiuntur otiosi; omnes enim homines, licet laboriosissimi videantur, coram Deo tamen otiosissimi sunt, nisi ad consequenda aeterna bona operentur: *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri,* etc. [5] Describitur mundus pneumaticus, spiritualis, Sancta Ecclesia, imagine vineae, nam: *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* [6] Ac tandem mundus empiricus, paradisus, imagine domus patrisfamilias, ubi post labores datur pro laboribus merces. Paradisus enim locus quietis est et praemii pro meritis virtutum et operum bonorum.

Multa mysteria continet haec parabola,

In ea enim describitur mundus physicus, spiritualis et caelestis.

Sed si paradisus locus est beatitudinis perfectaeque consolationis, ubi quisque est sua sorte summe contentus, quomodo operato-

1) Pericope huius diei Mt 20, 1-16. Cf. Missale Rom. 2) Mt 20, 16. Affert ordine inverso. 3) Rom 11, 33. 4) Mt 20, 15. 5) Ps 75, 6. 6) Is 5, 7.

Murmur operariorum ostendit magnam Dei erga peccatores pietatem.

res primi murmurant adversus patremfamilias? *Arbitrati* enim *sunt quod plus essent accepturi.*[7] Non ergo erant sua sorte contenti. Sed sic ostendit Dominus talem tantamque esse erga nonnullos peccatores pietatis suae abundantiam, quod si in Beatis cadere posset humano more murmuratio, murmurarent de Deo, sicut Ionas murmurabat quod Deus tam misericorditer pepercisset Ninivitis,[8] et sicut in primitiva Ecclesia videntes fideles abundantiam divinarum gratiarum erga Gentiles, murmurabant.[9]

sed proprie denotat magnam mercedem servatam iis qui pro Christo sua reliquerunt.

Quamquam loci huius germanus intellectus est quod multi pauperes, qui respectu divitum atque nobilium novissimi sunt in hoc mundo, in caelo tamen multo ditiores et honoratiores erunt multis divitibus, qui propter Christum multa reliquerunt, ut de Apostolis manifestum est. Docere enim voluit Dominus hac parabola quod, licet non reliquerint propter Christum magnas facultates, habituri tamen erant thesaurum magnum in caelo, sicut dixit Dominus diviti adolescenti.[10] Comparat enim Dominus multas et paucas facultates magno et parvo labori in vinea patrisfamilias.

Multa docet Dominus in hodierna parabola.

II. Agit in hodierno Evangelio Salvator dogmaticum, multa docens sacrae theologiae mysteria; agit paraeneticum: *Conventione autem facta;*[11] agit criticum: *Quid hic statis tota die otiosi?*[12] *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*[13] Docet providentiae divinae mysterium; hinc Deum patremfamilias hominem appellat, sed tamen qui praecipue curam gerit Ecclesiae suae Sanctae: *Exiit... conducere operarios in vineam suam.*[14] Docet Deum culturae huius vineae, idest bonorum operum, summe cupidum esse, hinc ad conducendos operarios exiit primo mane, hora tertia, sexta, nona, undecima; nec misit, sed ipsemet abiit. Hinc ab initio mundi ab hominibus bona opera requisivit. Posuit Adam in paradiso ut operaretur,[15] misit Noe *iustitiae praeconem,*[16] dedit legem; tandem Christum in mundum misit, ut *mundaret sibi populum... sectatorem bonorum operum.*[17] Docet quod non cogit Deus hominem natura liberum ad bene operandum, sed movet mercedem promittendo: *Con-*

7) Mt 20, 10. 8) Cf. Ion 4, 1-2. 9) Cf. Act 11, 1-18. 10) Cf. Mt 19, 21. 11) Ibid. 20, 2. 12) Ibid. vr. 6. 13) Ibid. vr. 15. 14) Ibid. vr. 1. 15) Cf. Gn 2, 15. 16) 2 Petr 2, 5. 17) Tit 2, 14.

ventione autem facta ex denario diurno; Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea. [18]

Divina Scriptura plena est promissionibus pro meritis bonorum operum.

Sic Divina Scriptura plena est promissionibus pro meritis bonorum operum. Docet esse Deum bonorum operum largum remuneratorem. Nam operariis mercedem dat pro iustitia condignam et pro sua bonitate supra condignam: *Voca operarios et redde illis mercedem.* [19] Docet quod Deo summopere displicet otium: *Quid hic statis tota die otiosi?* Hinc Deus nihil fecit in mundo otiosum. Caelo ab initio motum perpetuum dedit, hinc enim *factum est vespere et mane dies unus;* [20] terrae iussit ut germinaret herbam, ut produceret animam viventem; aquis ut producerent pisces et aves; luminaribus, caelo ut perpetuo super terram lucerent; [20a] hominibus mox conditis: *Dominamini piscibus maris,* etc. [21] Instituit hominem veluti suum oeconomum et magistrum domus, uti principes faciunt; hinc Moyses ait quod Deus *die septimo requievit... ab omni opere suo, quod creavit ut faceret,* hebraice: *ad faciendum* sive *operandum.* [21a] Omne enim quod condidit, ad hoc condidit, ut aliquid operaretur in mundo hominique aliquam vel utilitatem vel iucunditatem afferret. Quamvis intelligi etiam possit quod *creavit ut faceret,* idest ut perficeret ne mundum imperfectum relinqueret, sicut primo die creatus fuit.

In hac parabola, describitur natura meriti.

III. Agitur in hodierno Evangelio de meritis et praemiis bonorum operum, quae duo sunt veluti cardines totius legis divinaeque philosophiae. Frequentissime enim de virtutum meritis et praemiis agitur in Sacris Litteris; in hodierno autem Evangelio luculentissime, nam datur merces operariis non otiosis: *Voca operarios et redde illis mercedem.*

Difficile admodum est agere de meritis bonorum operum, sed in hodierno Evangelio veluti describitur natura meriti, quod sit actio spontanea ac libera voluntariaque hominis sui iuris et liberi, hinc inducuntur homines ad laborandum sui iuris, ex conventione et pacto, non per vim coacti; quod sit actio honesta a Deo requisita Deoque grata, sic a Deo conducuntur homines ad excolendam vineam, quae actio honesta et bona est valdeque utilis; ut habeat pro-

18) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia... praecepta mea.* 19) Mt 20, 8. 20) Gn 1, 5. 20a) Cf. ibid. vr. 11-25. 21) Ibid. vr. 28. 21a) Ibid. 2, 2-3. Vulg.: *Requievit die septimo.*

portionem ad praemium et mercedem, sic facta fuit conventio ex denario diurno; actio autem fundata in caritate et amicitia Dei: *Amice, non facio tibi iniuriam;* [22] tandem actio diurna, quando tempus est laborandi, non nocturna, cum tempus est quiescendi; in sero enim tempus est recipiendi mercedem: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est;* [23] *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes;* [24] *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* [25] Hinc Salomon ait *Ecclesiaste* 9: *Quodcumque potest operari manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio,* etc., [26] idest post hanc vitam non est amplius tempus merendi. In sabbato non colligebatur manna. [27]

cui praemium debetur de rigore iustitiae.

Cum sero factum esset dixit dominus procuratori suo: Voca operarios et redde illis mercedem suam. Bene ait: *mercedem* suam, quoniam praemium debetur merito de rigore iustitiae, sicut merces operario, sicut corona militi qui legitime certavit, sicut bravium homini qui in stadio cucurrit et primus ad metam pervenit. Cum autem Deus obligari non possit, quoniam superiorem legem non habet, pacto et promissione seipsum obligavit. Licet enim, cum *Rex* sit *regum et Dominus dominantium,* [28] nullius praecepti sit capax, habet tamen naturalem legem, divina enim voluntas a iusto et honesto deviare non potest; stat promissis, pactum non frangit.

IV. *Quid hic statis tota die otiosi?* Cum horologium quiescit a motu, priusquam pondera descenderint usque ad solum, inordinatum est; ita et homo, etc.

Agitur de iustorum meritis et praemiis.

Agitur in hodierno Evangelio de iustorum meritis et praemiis: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam. Videtur autem docere praemium aequale omnibus dandum esse: *Aequales illos nobis fecisti;* [29] nam omnibus et singulis dedit denarium diurnum. Et tamen non ita est, imo varia erunt praemia, nam ait: *Erunt primi novissimi et novissimi primi.* Sciendum igitur est praemium virtutum in caelo in duobus consistere, nam ait: *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* [30] Sic enim diviti adolescenti, cuius causa hodierna haec parabola a Domino fuit proposita, dixit prius quidem:

22) Mt 20, 13. 23) Io 9. 4. 24) Gal 6, 10. 25) 2 Cor 6, 2. 26) Vr. 10. Vulg.: *Facere potest manus tua,* etc. 27) Cf. Ex 16, 5. 26. 28) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 29) Mt 20, 12. Vulg.: *Pares illos,* etc. 30) Ibid. 19, 29.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,[31] deinde: *Veni, sequere me, habebis thesaurum* magnum *in caelo;*[32] sicut et Apostolis: *Vos, qui* reliquistis omnia et *secuti estis me, sedebitis super sedes,* etc.[33] Quare, quod spectat ad vitam aeternam, praemium omnibus aequale est; quod autem ad gloriam et honorem, non omnibus erit aequale, sed pro diversitate meritorum. Solent principes remunerare fideles servos vel divitiis vel honoribus et dignitatibus vel utrisque. Sic Deus. Praeterea caelestis beatitudo nunc thesaurus,[34] nunc gloria[35] in Divinis Litteris dicta est.

Gradus gloriae varius erit pro diversitate meritorum.

V. *Voca operarios et redde illis mercedem* suam. Tria videnda nobis sunt in hodierno Evangelio: quid vinea patrisfamilias significet, quid operarii, et tandem quid ipsa merces: *Redde illis mercedem* suam; *Acceperunt singulos denarios.*[36] Sed vineam designare Ecclesiam luce clarius est: *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Sic Dominus in alia parabola de vinea interpretatus fuit regnum Dei.[37]

Vinea Ecclesiam designat,

Demonstratur autem hic perpetua providentia Dei, quam ipse olim promisit, dum ageret de templo Salomonis sub figura Ecclesiae: *Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus,*[38] sicut columna nubis et ignis perpetuo incubabat supra tabernaculum Domini.[39]

cui nunquam deest Dei providentia.

Sic ostenditur in hodierno Evangelio perpetua cura et vigilantia Dei ad mittendos operarios qui vineam excolerent, qui foderent pararentque terram ad percipiendos caelestes influxus, spinasque et malas herbas eradicarent, qui vites putarent, superfluis inutilibusque palmitibus amputatis. Ita, inquam, Deus semper mittit optimos viros, Episcopos, sacerdotes, theologos ad praecidendas extirpandasque haereses, ad vitia resecanda, ad mores componendos, sicut Ieremiam misit ut evelleret ac destrueret, disperderet dissiparetque ac simul aedificaret et plantaret.[40] Nunquam exorta fuit haeresis, quin statim ed eam extirpandam coacta sint concilia, quin eruditissimi viri contra eam scripserint erroremque confutarint haereticosque omnes et lingua et calamo exagitarint nulloque loco passi sint consistere. Sic sciuntur haeresum omnium auctores, dogmata,

ut patet ex historia.

31) Ibid. vr. 17. 32) Ibid. vr. 21. Affert ordine inverso. 33) Ibid. vr. 28. 34) Cf. ibid. vr. 21; Mc 10, 21; Lc 12, 33. 35) Cf. Mc 10, 37; Lc 24, 26; Rom 8, 18; 9, 23; 1 Cor 15, 43; 2 Cor 4, 17, et alibi. 36) Mt 20, 10. 37) Cf. ibid. 21, 33-44; Mc 12, 1-11; Lc 20, 9-18. 38) 3 Rg 9, 3. 39) Cf. Ex 40, 36. 40) Cf. Ier 1, 10.

locus et tempus, quando exortae fuerunt, noti sunt progressus ac tandem earum impugnationes per concilia Sanctosque Doctores Catholicae Ecclesiae.

Refutantur novatores negantes Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam.

VI. Nunc dicunt novatores non esse Romanam Ecclesiam veram catholicamque Ecclesiam, cum tamen Paulus *ad Romanos* scribens dicat fidem Romanae Ecclesiae toto orbe terrarum celebrem.[41] Dicant quomodo mutata est in haereticam, quando mutavit fidem et avitam reliquit religionem, quam novam haeresim excitavit, quis auctor fuit novae huius haeresis, a quibus conciliis vel Doctoribus insectata fuit haeresis Romanae Ecclesiae? Dicunt quod in Ecclesia Catholica paulatim irrepserunt subortique sunt errores et ita in immensum creverunt, sicut dormientibus hominibus zizania fuere superseminata.[42] Bene, esto, sed paterfamilias dominus vineae tot saeculis intermisit curam Ecclesiae? quomodo non misit operarios ad eam purgandam et excolendam? quomodo servi patrisfamilias, visis natis zizaniis, non dixerunt: *Vis imus et colligimus ea?*[43] Ah stulti! *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel;*[44] *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*[45] En dominus vineae a summo mane usque ad vesperam non intermittit mittere operarios in vineam suam.

Ecclesia comparatur vineae,

VII. Comparatur autem Ecclesia vineae propter fructum bonorum operum: *Expectavi ut faceret uvas;*[46] *Expectavi iudicium... et iustitiam;*[47] *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum,*[48] *colligent eum et in ignem mittent,*[49] sicut *omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.*[50] Mitto cur de una tantum vinea loquatur: *Ite in vineam meam.*

cuius operarii sunt Episcopi,

Videndum quinam sint operarii quos mittit. Paulus *Actuum* 20 capite declarasse visus est cum ait: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*[51] Episcopos dicit positos ad regendam Ecclesiam. Et in alia parabola de vinea Dominus per colonos intellexit principes synagogae, nam ait: cognoverunt principes

41) Cf. 1, 8. 42) Cf. Mt 13, 25. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 1, pag. 313; part. 2, pag. 72. 154-155. 43) Mt 13, 28. 44) Ps 120, 4. 45) Mt 28, 20. 46) Is 5, 4. 47) Ibid. vr. 7. 48) Io 15, 2. 49) Ibid. vr. 6. 50) Mt 7, 19. 51) Vr. 28.

quod ad ipsos diceret parabolam. [52] Hos hic Dominus operarios appellat: *Qui portavimus pondus diei et aestus;* [53] *Bonum opus desiderat.* [54]

viri sancti et docti a Deo missi.

Sed quales pastores dedit Deus primitivae Ecclesiae? Apostolos apostolicosque viros, Spiritu Sancto plenos, sanctissimos atque doctissimos. Paterfamilias hodie dominus vineae semper similes operarios misit. In Isaia, capite 1, ait Deus: *Convertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stamnum tuum et restituam iudices tuos ut fuerunt prius et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post haec vocaberis civitas iusti, urbs fidelis;* [55] et Ieremiae 3 capite: *Introducam vos in Sion et dabo vobis pastores iuxta cor meum et pascent vos scientia et doctrina. In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini,* idest thronum Dei: summa divinaque erit in Ecclesia auctoritas: *Et congregabantur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem.* [56] Quam diligenti penicillo Catholicae Ecclesiae depingit imaginem!

non autem Lutherus et Calvinus, magistri erroris.

Loquebatur Isaias de perversione et pravitate sive depravatione morum in Ecclesia, nam ait: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae.* [57] Ad reformandam autem eam ait se daturum iudices, idest rectores et consiliarios similes antiquis, conformes primis rectoribus Ecclesiae, quos Ieremias dicit pastores secundum cor Dei. Ita aiunt novatores novissime missos fuisse Lutherum et Calvinum. Sed hos dicemus similes Apostolis? Sicut satanas Christo, sicut diabolus Deo. *Vae qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes,* etc. [58] An non docent hi omnia opera bona esse peccata mortalia? an non damnant ieiunia, orationes caelibatum, vitam apostolicam? [59] Unus ex operariis fuit Paulus, qui in hodierna Epistola ait: *Ego* autem *sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis,* etc., [60] ubi Paulus Ecclesiam, idest fideles, comparat currentibus in stadio et contendentibus in agone, quoniam operandum est, non otiandum. Currebat ipse per viam mandatorum Dei et perfectionis, contendebat contra inimicos Spi-

52) Cf. ibid. 21, 45. 53) Ibid. 20, 12. 54) 1 Tim 3, 1. 55) Vrr. 25-26. 56) Vrr. 14-15. 17. 57) 1, 21. 58) Ibid. 5, 20. Vulg.: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum.* 59) De his Lutheri et Calvini erroribus cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 4, *De Bonis Operibus,* lib. 2, cp. 7, col. 1073-1083; S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 1, pag. 105. 175. 228; part. 2, pag. 19. 55. 280. 60) 1 Cor 9, 27 sqq.

ritus Dei, nam, ut ipsemet ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus.*[61] Sic adversario diabolo fortiter resistendum in fide.[62]

Denarius diurnus significat caelestem beatitudinem.

VIII. Tandem videndum de denario diurno, de mercede: *Redde illis mercedem* suam. Saepe in Divinis Litteris caelestis beatitudo merces appellatur: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum;*[63] *Merces vestra magna est in caelo;*[64] *Habebis thesaurum* magnum *in caelo; Dignus est operarius mercede sua.*[65] Sic Paulus *1 Corinthiis* 3: *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.*[66] Sic Paulus in hodierna Epistola comparat caelestem beatitudinem bravio et coronae, quae datur vincenti in agone, sicut alibi dixit: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;*[67] et: *Certa bonum certamen iustitiae, apprehende vitam aeternam;*[68] item de seipso: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*[69]

quae datur pro meritis bonorum operum.

Sic manifeste ostenditur gloriam paradisi pro meritis bonorum operum dari. Hinc legimus quod *reddet unicuique secundum opera sua;*[70] *Resurgent qui bona egerunt in resurrectionem vitae;*[71] hinc: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum... Esurivi enim et dedistis mihi,* etc.;[72] hinc: *Beati qui lugent... beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam... beati misericordes;*[73] hinc: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet,* etc.;[74] hinc Paulus: *Quae seminaverit homo haec et metet;*[75] et: *Qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus,* etc.;[76] hinc: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[77] Hinc Paulus *2 ad Thessalonicenses* 1: *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini;*[78] et *Hebraeis* 6: *Non* est *iniustus Deus ut obliviscatur operis vestri.*[79]

61) Eph 6, 12. 62) Cf. 1 Petr 5, 9. 63) Mt 5, 10. 64) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Copiosa est in caelis.* 65) Lc 10, 7; 1 Tim 5, 18. 66) Vr. 8. 67) 2 Tim 2, 5. 68) 1 Tim 6, 12. Vulg.: *Certamen fidei*, etc. 69) 2 Tim 4, 7-8. 70) Mt 16, 27. Vulg.: *Opera eius.* 71) Io 5, 29. Vulg.: *Procedent qui bona fecerunt*, etc. 72) Mt 25, 34-35. 73) Ibid. 5, 5-7. 74) Iac 1, 12. 75) Gal 6, 8. 76) 2 Cor 9, 6. 77) Mt 19, 17. 78) Vr. 5. Sic legitur in *Biblia Lovaniensi.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Habeamini in regno Dei.* 79) Vr. 10.

quod stulte negant novatores.

At vero novatores negant dari gloriam caeli pro meritis, quoniam hereditas appellatur et quoniam Paulus ait: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam.*[80] Sed non advertunt nebulones quod non sunt filii Dei nisi qui faciunt voluntatem Dei: *Quicumque* enim *fecerit voluntatem Patris mei... ipse meus frater,* etc.[81] Infantibus, accepto Baptismo decedentibus, datur gloria iure hereditatis tamquam filiis; adultis non item, nisi operentur, nam: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum;*[82] *Omnis arbor quae non facit fructum bonum.*[83] Sic maledixit Dominus ficui, quam sine fructu reperit, et continuo aruit.[84]

Exponuntur verba D. Pauli.

Quod autem Paulus ait: *Non sunt condignae passiones huius temporis,* loquitur de naturali substantia operum absque pacto et conditione promissionis divinae. Suapte natura non sunt condignae, per gratiam Spiritus Sancti dignae sunt. Nam, ut ipsemet alibi ait: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur* in caelis, *non contemplantibus nobis quae,* etc.[85] Abrahae dixit Deus: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;*[86] et postea: *Quia fecisti hanc rem, benedicens benedicam tibi,* etc.[87] Promisit Deus semini Abrahae, quos in filios adoptaverat - *Filius meus primogenitus Israel;*[88] Vos *filii Dei viventis,*[89] - terram Chanaan in hereditatem.[90] Nihilominus voluit ut ipsi eam sibi armis debellando Chananaeos acquirerent. Dei tamen donum dicitur terra illa, quoniam divinitus potius quam humanitus gentes illas debellarunt et ad nihilum redegerunt.

Tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso... ut operaretur,[91] ut excoleret; in praemium autem dedit lignum vitae in medio paradisi.[92]

Ostenditur ardens Dei desiderium ut vita christiana excolatur.

IX. Ostenditur in hodierno Evangelio ardens desiderium patrisfamilias ut vinea ipsius colatur. Hinc tanta cum diligentia *exiit primo mane conducere operarios;* deinde hora tertia, sexta, etc. Non dixit procuratori suo ut exiret, sicut iussit ut vocaret opera-

80) Rom 8, 18. 81) Mt 12, 50. 82) Io 15, 2. 83) Mt 3, 10; 7, 19. 84) Cf. Mc 10, 13-20. 85) 2 Cor 4, 17 sq. 86) Gn 15, 1. 87) Ibid. 22, 16-17. Ex hebraico. 88) Ex 4, 22. 89) Os 1. 10. 90) Cf. Gn 12, 7; 15, 18 sqq. 91) Ibid. 2, 15. 92) Cf. ibid. vrr. 9, 16-17. Quae sequuntur atramento clariori et stylo latiori exarata sunt.

rios et daret illis mercedem. Pluris faciebat culturam vineae quam pecuniam. Proverbio dici solet: qui vult vadat et qui non vult mittat.[93] *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.*[94] Cultus huius vineae est divina mandata servare et perfectioni operam dare: *Si vis perfectus esse.*[95] Propterea Deus ipse venit ad dandam legem, Christus ipse ad praedicandum Evangelium, ad vocandum homines ab otio vitae mundanae ad labores vitae christianae, ad pugnandum, ad currendum.

ideo enim in mundum venit

Homini patrifamilias. Ponitur tanquam imago Dei homo, sed nobilis, divinus, paterfamilias, dominus vineae, qui habebat procuratorem, homo liber: *Non licet mihi quod volo facere?*[96] homo prudens et diligens, qui summa cum diligentia domus suae curam habebat; homo iustus: *Quod iustum fuerit, dabo vobis;*[97] *Amice, non facio tibi iniuriam... tolle quod tuum est;*[98] *Voca operarios et redde illis mercedem*[99] suam; homo liberalis: *Quia ego bonus sum;*[100] *Incipiens a novissimis... qui una hora fecerunt;*[101] homo sapiens et moderatus, rationibus convicit murmurantes, non conviciis.

Talia sunt quae principes et nobiles viros decent. Praecipue ostenditur hic paterfamilias inimicus otii, hinc: *Exiit primo mane* et per totum diem, et: *Quid hic statis tota die otiosi?*

suamque legem nobis dedit.

Conventione facta ex denario diurno. Lex Dei p a c t u m in Sacris Litteris appellatur,[102] quia conventio est facta inter Deum et homines. Dicitur lex Domini *psalterium decachordum*, propter decem praecepta et decem praemia, sicut in *Psalmo 143*,[103] et quia decem mediis usus est Dominus ad conducendos homines in vineam suam: in legalibus libris praecipiendo et prohibendo, promittendo et comminando; in historialibus beneficiis et maleficiis suffragando bonis et refragrando malis; in sapientialibus laudando virtutes et vituperando vitia; in prophetalibus persuadendo et dissuadendo. Sic multis nobiscum agit.[104]

93) Proverbium hodie quoque valde commune. Cf. Gio. Gherardini *Vocabolario della Lingua Italiana*, sub vocibus: *Leccare, Volere.* 94) 1 Thess 4, 3. 95) Mt 19, 21 96) Ibid. 20,15. 97) Ibid. vr. 4. 98) Ibid. vrr. 13-14. 99) Ibid. vr. 8. 100) Ibid. vr. 15. 101) Ibid. vrr. 8-12. 102) Cf. Ex 19, 5; 31, 16; Lv 26, 15. 44; Dt 4, 13. 23; 9, 9; 17, 2; 29, 9. 25. 103) Vr. 9. Ms.: *Psal. 111** 104) Tribus paginis albis relictis, transit ad Dominicam sequentem Sexagesimae.

DOMINICA SEXAGESIMAE [1]

Exiit qui seminat seminare semen suum, et dum seminat aliud, etc. [2]

Ostenditur hodie principium, finis et impedimenta bonorum operum.

I. Hodierni Evangelii parabola multis referta est divinis mysteriis, unde eam Dominus ad Apostolos mysteria appellavit dicens: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.* [3] Nos tamen tria tantum visuri sumus. Cum enim hic agat Dominus de fructu verbi Dei, videndum nobis est quaenam sint bonorum operum principia, quis finis et quae impedimenta. Principia quidem statuuntur duo: semen et terra bona: Quod autem *cecidit in terram bonam, ortum fecit fructum centuplum.* [4] Nec semen sine terra bona fructificat, nec terra bona sine semine, sed fructus a semine bono et bona terra procedit. *Semen est verbum Dei,* [5] quod Paulus nunc *verbum crucis,* [6] nunc Evangelium dicit virtutemque *Dei in salutem omni credenti,* [7] aliquando etiam fidem: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* [8] Quare per semen Dei fides Christi, lex et doctrina evangelica intelligenda venit, quam Dominus alias assimilavit grano sinapis, fermento, thesauro abscondito, margaritae pretiosae, etc. [9]

1) In codice haec alia introductio praecedit, stylo consueto inscripta: « Dominica Sexagesimae. - *Aliud cecidit in terram bonam... Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo,* etc. - Ostendit Dominus in hodierno Evangelio quod ad salutem consequendam opus est corde bono, bona voluntate; fructus enim huius seminis salus est: *Credentes salvi fiant.* Hunc autem fructum impedit cordis humani pravitas: *Perditio tua, Israel; Nunquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non magis ut convertatur et vivat?* Nam propterea venit ad praedicandum, nam fidei finis salus est animarum. Cor autem bonum est, quod non est sicut terra inculta duraque, non incredulum nec stupidum ac eorum quae Dei sunt obliviosum; quod non est sicut terra petricosa non habens altitudinem terrae; non est instabile ac facile mutabile et inconstans, nam *optimum est stabilire cor;* quod non est sicut terra spinosa et senticosa, quod non est plenum sollicitudinibus rerum temporalium, non cupidum, non deliciarum amans. Haec enim impediunt ac tandem destruunt divinam in humano corde caritatem, nam cupiditas est venenum caritatis ». Deinde, sequenti pagina alba relicta, prosequitur. 2) Pericope huius diei Lc 8, 4-15. Cf. Missale Rom. 3) Lc 8, 10. Vulg.: *Mysterium regni Dei.* 4) Ibid. vr. 8. 5) Ibid. vr. 11. 6) 1 Cor 1, 18. 7) Rom 1, 16. 8) Ibid. 10, 17. 9) Cf. Mt 13, 31-33. 44-46.

Principium duplex: gratia simul et natura;

Ostenditur itaque hic quod nec gratia absque natura operatur aliquid, contra Manichaeos, nec natura sine gratia, contra Pelagianos: *In rore caeli et in pinguedine terrae erit benedictio tua,* [10] idest copia et abundantia divitiarum tuarum. Non in solo rore caeli, nam cadit ros super arenam et super petras, super loca deserta et nihil producit, neque in sola pinguedine terrae, nam terra, licet optima, absque pluvia et caelesti humore nihil producit; sed utrumque simul coniungit. Opera bona partes sunt et naturae et gratiae, non quidem solius naturae aut solius gratiae, nec pars naturae, pars gratiae, sed tota naturae, tota gratiae, sicut filius totus est patris et totus matris, nam nec a solo patre nec a sola matre procreatus est, sed totus ab utroque; sicut etiam scriptura tota a manu et tota a calamo, sicut fructus messis totus a terra et totus a semine. Sic ad emittendam sagittam contra Syriam coniuncta fuit manus Elisei cum manu regis; [11] sic in victoria contra Madianitas fuit gladius Dei et Gedeonis. [12]

finis: salus aeterna,

Finis autem bonorum operum est fructus centuplus. Quid autem hoc sit, ostendit Dominus in declaratione primi membri dicens: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* [13] Aeterna igitur salus per fructum centuplum designatur, sicut Paulus ait: *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam;* [14] et: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet;* [15] ubi indicat Dominus mercedem bonorum operum esse supra omnem existimationem - quis enim seminans speret centuplum se collecturum? *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam;* [16] *Centuplum accipietis,* [17] - licet diversi sint gradus in gloria: *In domo Patris mei mansiones multae sunt;* [18] *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum, nam stella differt,* etc. [19] Hinc apud Matthaeum dicitur: Attulit *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud* vero *trigesimum,* [20] pro varietate meritorum. Hinc ait: *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent,* etc.; [21] qui bono corde operantur, fructum triccecuplum metent; qui meliori, sexagecuplum; qui optimo, centuplum

cuius gloriae diversi sunt gradus;

10) Gn 27, 39-40. Affert ordine inverso. De Manichaeis et Pelagianis cf. S. Augustinus *De Haeresibus*, haereses 46 et 88, (P. L. 42, 34-38. 47-50). 11) Cf. 4 Rg 13, 15-16. 12) Cf. Idc 7, 20. 13) Lc 8, 12. 14) Gal 6, 8. 15) 2 Cor 9, 6. 16) Rom 8, 18. 17) Mt 19, 29. Vulg.: *Accipiet.* 18) Io 14, 2. 19) 1 Cor 15, 41. 20) 13, 8. 21) Lc 8, 15.

pro voluntate Dei bona, in observatione mandatorum: *Si vis ad vitam ingredi, serva*, etc.,[22] et beneplacente, in observatione voluntaria consiliorum: *Si vis perfectus esse*,[23] hoc est proprium proficientium desiderare ex animo perfectionem; tandem in voluntate Dei perfecta, in exercitio virtutum perfectarum, exemplarium, heroicarum, quales fuerunt Apostoli et viri apostolici.

Impedimenta: cordis incredulitas et instabilitas

Impedimenta autem ponuntur tria: *secus viam, super petram, inter spinas.*[24] Declarat autem Dominus primum esse cordis stupiditatem et incredulitatem: *Ne credentes salvi fiant; Stulti et tardi corde ad credendum;*[25] qui auditum verbum corde non retinent, non meditantur, non fovent memoria, sicut de Virgine Deipara dicitur, quod *conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.*[26] — Alterum autem impedimentum est cordis instabilitas: *Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;*[27] qui navigare sciunt tranquillo mari, orta autem tempestate, remos dimittunt et periclitantur, non laborant cum Apostolis in remigando;[28] operantur bene in prosperis, non in adversis, *per arma iustitiae a dextris et a sinistris;*[29] nam iustus est sicut arbor secus aquas, quae non spoliatur in hieme foliis: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum*, etc.[30] — Tertium tandem impedimentum est superflua sollicitudo temporalium: *Et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae euntes, suffocantur et non referunt fructum*,[31] idest salutem non consequuntur. Ad fructificandum igitur opus est corde credulo, devoto, non stupido et vecordi, opus corde forti et constanti, corde parco et temperato: hoc dicit Dominus cor bonum et optimum, quod centuplum fructum reddit.[32]

et sollicitudo temporalium.

Varia est fortuna verbi Dei.

II. Ostendit autem Dominus in hodierno Evangelio veluti variam fortunam et sortem verbi Dei, dum ait quod *aliud cecidit secus viam, aliud supra petram*, etc. Nam primum minime ortum fuit; secundum ortum quidem fuit, sed non crevit; tertium ortum fuit et crevit, sed non pervenit ad perfectionem; quartum ortum fuit, crevit et venit ad perfectionem: *Ortum fecit fructum centuplum.*[33]

22) Mt 19, 17. 23) Ibid. vr. 21. 24) Lc 8, 5-7. 25) Ibid. 24, 25. 26) Ibid. 2, 19. 27) Ibid 8, 13. 28) Cf. Mc 6, 48. 29) 2 Cor 6, 7. 30) Iac 1, 12. 31) Lc 8, 14. 32) Cf. ibid. vr. 15. 33) Ibid. vrr. 5-8.

Voluptates huius saeculi spinae sunt.

Dum hodie Dominus divitias et voluptates huius saeculi appellat spinas suffocantes sementem, ostendit[34] paradisum carnis infernum esse spiritui et, e contra, paradisum spiritus carni infernum veluti esse, ita tamen ut aliquando verum sit quod ait: *Cor meum et caro exultaverunt in Deum vivum,*[35] et: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*[36] Hinc ponitur terra bona sine spinis pungentibus.

II. ALIA HOMILIA [1]

Multa et obscura mysteria continet hodie Evangelium.

I. Duo sunt in hodierno Evangelio: alterum copia mysteriorum, alterum difficultas intelligentiae; opus enim fuit ut ipsemet Dominus parabolam hanc Apostolis declararet: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei;* magna autem difficultas est in eo quod sequitur: *Ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant.*[2] Causam reddit Dominus quare in parabolis - scilicet valde obscure, ita ut vix possent quae dicebat intelligi - loquebatur ad populum: *Ut videntes,* inquit, *non videant.*[3] Alludit ad locum Isaiae, 6 capite: *Audite audiendo et nolite intelligere,* etc.[4] Quare duo hic habemus: alterum quidem, quod obscurae et intellectu quam difficiles sunt Divinae Litterae; alterum vero est causa huius obscuritatis: cur Deus tam obscure in Sacris Litteris tradere voluerit mysteria fidei, quae ad salutem necessaria sunt, cum ipse omnes salvari cupiat.

In Divina Scriptura plurimae inveniuntur difficultates.

Quoad difficultatem, parabola hodierni Evangelii est sicut scriptura Danielis, quam omnes simul Chaldaeorum sapientes interpretari minime potuerunt;[5] sicut problema Samsonis,[6] sicut liber signatus apud Isaiam, 29 capite,[7] et *Apocalypsis* 5;[8] legimus etiam Danielis 12 dictum Divino Vati ut clauderet sermones et signaret librum.[9] Sic multis in locis magna est Divinarum Litterarum difficultas, quemadmodum Petrus dixit de *Epistolis* Pauli.[10] Hoc est quod Isaiae 6 capite dicitur: *Audite audien-*

34) Ms.: *Ostendu.* 35) Ps 83, 3. 36) Ps 62, 2.

1) Quae sequuntur atramento clariori et stylo latiori exarata sunt. 2) Lc 8, 10. 3) Ibid. 4) Vr. 9. Vulg.: *Audite audientes,* etc. 5) Cf. 5, 5-8. 6) Cf. Idc 14, 12-14. 7) Cf. vrr. 11-12. 8) Cf. vrr. 1-3. 9) Cf. vr. 4. 10) Cf. 2 Petr 3, 15-16.

do et nolite intelligere et videte videndo et nolite cognoscere; impingua cor populi huius, etc.[11]

II. In sacrosancto hodierno Evangelio tria sunt videnda et consideranda: primum est obscuritas parabolae, quam Dominus insinuavit dicens: *Qui habet aures audiendi audiat,*[12] unde Apostoli interrogarunt *quae esset haec parabola,*[13] et Dominus ait: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei;*[14] alterum est causa obscuritatis: *Ceteris autem,* inquit, *in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant;*[15] tertium est elucidatio parabolae: *Est autem,* inquit, *haec parabola: Semen est verbum Dei,* etc.[16]

Tria hodie videnda sunt.

Quoad primum proponit Dominus obscuram atque difficilem parabolam, quae aenigma potius dici potest, de praedicatione verbi Dei, quam tamen apud Marcum, 4 capite, dixit Dominus facilem: *Nescitis,* inquit, *parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis?*[17] Eos veluti reprehendit, sicut alibi Matthaei 15: *Adhuc et vos sine intellectu estis?*[18] Si, inquit, parabolam hanc facilem non intelligitis, quomodo alias multo difficiliores intelligetis? Non quod captu et intellectu facilis esset, sed sicut alibi dixit eis: *Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me?*[19] Cum, inquit, tam diu mecum versati sitis, ut deberetis propter tempus magistri esse et parabolas meas vos ipsi aliis explicare, adhuc praeceptore interpretante et explicante indigetis? Indicat Dominus alias esse parabolas multo obscuriores his,[20] quas tamen non declaravit.

Obscura est, haec parabola sicut aliae Scripturae,

Et tamen haeretici nostri temporis dicunt Scripturas omnes planissimas et facillimas esse.[21] Et tamen cum dicat Dominus hodiernam hanc parabolam aliis multo faciliorem esse, vellem ut dicerent, si Christus eam non explicasset, quis unquam per spinas divitias et voluptates saeculi intellexisset? quis per aves caeli daemones? quis per terram cor, idest animum humanum, cui caelestis origo est? Sic Dominus voluit magna ex parte Divinas Scripturas difficiles intellectu, obscuras ac veluti aenigmaticas esse; non tamen sine causa, sed magna cum ratione.

et necesse fuit ut illam Christus explicaret.

11) Vrr. 9-10. Vulg.: *Audite audientes... videte visionem... excaeca cor,* etc. 12) Lc 8, 8. 13) Ibid. vr. 9. 14) Ibid. vr. 10. 15) Ibid. 16) Ibid. vr. 11. 17) Vr. 13. 18) Vr. 16. 19) Io 14, 9. 20) Ms.: *Has.* 21) Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 2, pag. 350-351.

Causa obscuritatis est mala dispositio cordis.

III. Causa obscuritatis assignatur in hodierno Evangelio: *Vobis,* inquit, *datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant.* Apud Matthaeum, 13 capite, dicitur: *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei et abundabit, qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.*[22] Hoc ait Dominus, sumpta a mercatoribus metaphora. Nam diviti mercatori magnam etiam pecuniae summam quis facile credet, pauperi vero non item; imo, si quam concrediderit, cognita paupertate, statim repetit ne amittat perdatque. Ita hic loquitur Dominus de studioso auditore verbi Dei, qui ex animo cupit divina mysteria intelligere; divinitus nanque semper maiori Divinarum Scripturarum intelligentia ditatur. Sic Matthaei 25, ei qui quinque talenta accepit, aliud insuper datum fuit; ab eo autem cui unum datum fuerat, ablatum illud unum fuit.[23] Nam ibi etiam haec sententia replicatur: *Omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo;*[24] sicut divitibus in mundo omnes dant, non item pauperibus, sed auferunt potius. Alludit autem Dominus ad vaticinium Isaiae prophetae, quod apud Matthaeum, 13 capite, per extensum ponitur;[25] apud Marcum autem, 4 capite, dicitur: *Ut videntes... non videant et audientes... non intelligant, ne quando convertantur et dimittantur eis peccata.*[26]

non quod Deus nolit salutem hominum.

Quid ergo? Non cupit Dominus salutem hominum etiam peccatorum? Nonne *venit in hunc mundum peccatores salvos facere?*[27] Nonne *vult omnes homines salvos fieri?*[28] Satanas est qui venit et tollit verbum de corde hominum, *ne credentes salvi fiant;* Dominus autem praedicabat ut susciperent *insitum verbum, quod potest salvare.*[29]

Sic electus populus ob suam perfidiam a Deo reiectus fuit.

Vaticinium autem Isaiae, ad quod alludit Dominus his verbis et quod apud Matthaeum, 13, totum per extensum ponitur, significat reprobationem Iudaeorum, qui fuerant electus Dei populus, severo tremendoque Dei iudicio, tum propter summam eorum improbitatem et sceleratam vitam, ut Vates 1 et 5 capite suarum

22) Vrr. 11-12. 23) Cf. vrr. 20-21. 24-28. 24) Ibid. vr. 29. 25) Cf. vrr. 14-15. 26) Vr. 12. 27) 1 Tim 1, 15. 28) Ibid. 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 29) Iac 1, 21.

Revelationum designaverat: in 1 quidem apertis verbis,[30] in 5 autem sub vineae parabola,[31] tum etiam et maxime ob perfidiam et odium in Christum, verum Messiam, Redemptorem et Salvatorem mundi. Hoc agitur in 6 capite, ubi ad designandum divinae incarnationis mysterium Deus ipse in humana forma et specie visus fuit Vati: *Vidi Dominum et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.*[32] Confidebant illi, quamtumvis pessimi, in templo et cultu Dei secundum legem Moysi, iactantes se veros Dei cultores esse, sicut apud Ieremiam 7 legimus: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est,* sed *bonas facite vias vestras et studia vestra.*[33] Hinc visus est Deus supra templum, ita ut ipsum templum vix caperet fimbrias vestimenti Dei, adeo divinam capere maiestatem non poterat, ostenditurque quales ministros et cultores habeat, nempe Seraphim.[34]

Vidit hoc loco Isaias gloriam Christi, sicut Ioannes ait capite 12 sui Evangelii;[35] et forte praedicit ut Hebraeorum populus adeo non sit agniturus vocem ipsius, ac si surdus esset, adeo fore incapacem mysteriorum fidei christianae, ac si cor omnino stupidum et sine sensu haberet, hoc est quod ait: *Impingua cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius comprime, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat, et corde intelligat et convertatur et sanem eum.* Loquitur de duobus sensibus, qui sunt totius cognitionis bases et fundamenta. Nam qui caecus et surdus est, nullius capax est disciplinae; omnis autem scientia et disciplina vel visu vel auditu aut utroque simul apprehenditur, hisque duobus sensibus plantavit Deus fidem et pietatem in cordibus Iudaeorum, cum legem in Sinai dedit apparens in maiestate et de caelo cum eis loquens, sicut in *Exodo* legimus[36] et Moyses docet *Deuteronomii* 4 capite.[37] **ut Isaias prophetaverat;**

Sic et Christus per duos hos sensus voluit fidem sui ipsius in eorum cordibus plantare, multis usus miraculis multisque Divinarum Scripturarum testimoniis doctrinamque suam praedicando. Sed adeo cum illo populo profecit, ac si cum caecis egisset de coloribus et surdos musicen docuisset, ita ut excaecasse eos potius visus sit, **ob eandem causam Christus etiam cum eo nihil profecit.**

30) Cf. vrr. 1 sqq. 31) Cf. vrr. 1-7. 32) Vrr. 1. 5. 33) Vrr. 3-4. Affert ordine inverso. 34) Cf. Is 5, 1-4. 35) Cf. vr. 41. 36) Cf. 19, 3 sqq. 37) Cf. vrr. 9-14.

quam illuminasse, sicut ipsemet ait: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant et qui vident caeci fiant,* [38] sicut etiam apud Isaiam legimus, quod plena erat omnis terra gloria Domini, sed templum repletum erat fumo. Itaque hoc vaticinio minatus fuit Deus Iudaeis miseriam, in qua nunc reperiuntur propter perfidiam et odium in Christum; quae quidem calamitas, ut ipsummet oraculum ad Isaiam manifestat, ad finem usque duratura est, sicut ipsa experientia manifestat. Ita autem loquitur Deus dum mittit Vatem ad praedicandum, ac si ad excaecandum eos mitteret, [39] nam in poenam impietatis eorum praecipit ut praedicet quidem gloriam Christi et mysteria venturi Messiae, sed obscure, sub aenigmatibus et metaphoris, ut non facile intelligi possint vaticinia ipsius.

Obscure Christus praedicabat in poenum incredulitatis illius populi.

Hinc nanque Christi mysteria non ita lucide et manifeste in Veteri sicut in Novo Testamento exarata sunt. Ita et Dominus in poenam incredulitatis eorum non claris apertisque verbis, sed sub parabolis praedicabat mysteriaque Evangelii regnique caelestis tradebat. Quamvis in vaticinio Isaiae sit etiam quaedam ironia, qua etiam nunc utimur, ut cum pater filio aut dominus servo ait: Cave ne unquam bonus sis vir, vide ne unquam boni quid feceris, eum tamen contrarium moneant. Ita hic: *Audite audiendo et ne intelligatis, videte videndo et ne cognoscatis.* [39a] Sic paraenesis erat Divini Vatis, qua etiam usus fuit Ezechiel 20 capite: Ite, servite diis alienis; [40] et Dominus: *Implete mensuram patrum vestrorum.* [41] Voluit autem Dominus ita loqui Isaiam, ut ipsius dictum et paraenesis esset praesentibus et vaticinium futuris: *Audite audiendo,* idest saepe videbitis, sed non cognoscetis; audietis verba, videbitis opera Messiae, etc.

et etiam ut nos studiosos efficeret in S. Scriptura.

Voluit Dominus loqui in parabolis obscure, ut nos diligentes et studiosos efficeret. Cum enim natura cupidi simus sciendi et nitamur in vetitum cupiamusque negata, [42] sic nos exercitare voluit studio Divinarum Scripturarum et ut pro intelligentia Divinarum Scripturarum ad Deum humiliter recurreremus, sicut Apostoli hodie, quibus Dominus ait: *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum,*

38) Io 9, 39. 39) Cf. Is 6. 4 sqq. 39a) Ibid. vr. 9. Ex hebraico 40) Cf. vr. 39.
41) Mt 23, 32. 42) Ex Ovid. *Am.*, lib. 3, eleg. 4, vr. 17.

illis autem non est datum. Sunt enim veluti litterae principum scriptae occultis litterarum notis, ita ut declaratione opus sit. Propterea iubetur Vates Iudaeos excaecare, quia obscure et aenigmatice locuturus erat, nec aenigmata declararet, sicut declaravit aenigma vineae, quod 5 capite proposuit;[43] nec divinum accepturi lumen erant ad intelligenda Divinarum Scripturarum mysteria, quia existimantes se ea intelligere, nec postulaturi a Deo intellectum erant. Sic enim Iudaei existimabant se verum habere intellectum Divinarum Scripturarum, veluti si epistola scripta esset occultis litterarum notis ea arte, ut clare videretur, absque ullo mysterio sensuque occulto scripta, illae enim cifrae, ut aiunt, artificiosissimae sunt, quae cifrae nullam speciem prae se ferunt.

IV. Declaravit autem Dominus hodiernam parabolam, sicut Isaias parabolam vineae; sed prius, ut apud Matthaeum 13 legimus, Apostolis dixit: *Vestri autem beati oculi quia vident et aures quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetae et iusti cupierunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis et non audierunt.*[44] Beati oculi vestri, inquit, quia *vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, aliis autem non est datum.* Beati, sicut ait: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*[45] Nam: *Haec est vita aeterna: ut cognoscant te Deum,* etc.[46]

Declaravit Dominus parabolam suam.

In hac autem declaratione ostenditur quod non *auditores legis iusti sunt apud Deum, sed* quod *factores legis iustificabuntur;*[47] quod *beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.*[48] Ostenduntur impedimenta salutis nostrae. Primum est stupiditas cordis in spiritualibus: non intelligit verbum, non adhibet curam, non apponit animum, sicut: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.*[49] Secundum est instabilitas cordis: *Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;*[50] beati qui perseveraverint usque in finem; *Optimum est gratia stabilire cor.*[51] Tertium est nimia sollicitudo saecularium. Quare ad salutem necessaria sunt quae in quarta sententia ponuntur: *Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui*

ostendens quaenam sint impedimenta salutis;

43) Cf. vr. 7. 44) Vrr. 16-17. 45) Ps 93, 12. 46) Io 17, 3.
47) Rom 2, 13. 48) Lc 11, 28. 49) Ps 40, 2. 50) Lc 8, 13. 51) Hebr 13, 9.

in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia.[52] Terram bonam dicit bene cultam, purgatam et pinguem.

docet etiam varios esse gradus meritorum et praemiorum.

Hic etiam docentur varii gradus meritorum in hac vita et praemiorum in caelo, nam per fructum seminis aeterna salus designatur, sicut Dominus insinuavit dicens: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant; Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum*[53] vestrarum. Sicut autem malam terram, ita etiam bonam in tres partes distinxit, nam quidam attulit triginta, quidam sexaginta et quidam centum. Sic ait: *In corde bono et optimo:* quidam enim cor habent bonum, quidam melius, quidam optimum: Attendentes *quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.*[54] Sic secundum gradus meritorum sunt etiam gradus praemiorum.

III. ALIA HOMILIA [1]

Ut videntes non videant. [2]

Affertur testimonium Isaiae,

I. Alludit Divus Lucas ad locum Isaiae, capite 6,[3] quod quidem testimonium integrum adducitur a Matthaeo, capite 13, ideo inquit: *In parabolis loquor eis, quia videntes non vident et audientes non audiunt neque intelligunt,* ut adimpleatur *in eis prophetia Isaiae, dicentis: Auditu audietis et non intelligetis, et videntes videbitis et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius et auribus graviter audierunt et oculos suos* compresserunt sive *clauserunt ne quando videant oculis suis et auribus suis audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos.*[4]

quod difficillimae est interpretationis,

Qui quidem locus difficillimus est et in Divinis Litteris varie adducitur. A Matthaeo adductus est iuxta interpretationem Septuaginta Interpretum; a Divo Marco, capite 4, adducitur non integra sententia, sed ad sensum: *Ut videntes videant et non videant, et audientes audiant et non intelligant, ne*

52) Lc 8, 15. 53) 1 Petr 1, 9. 54) Rom 12, 2.

1) Quae sequuntur alio stylo latiori exarata sunt. 2) Lc 8, 10. 3) Cf. vrr. 9-10. 4) Vrr. 13-15.

quando convertantur et dimittantur eis peccata;[5] a Divo Ioanne, capite 12 Evangelii, adducitur similiter ad sensum: *Non poterant,* inquit, *credere, quia... Isaias dixit: Excaecavit oculos eorum et induravit corda eorum ut non videant oculis* suis *et non intelligant corde et convertantur et sanem eos.*[6] Divus Paulus, *Actuum* 28, adducit hoc ipsum testimonium iuxta interpretationem Septuaginta.[7] Vulgata Editio apud Isaiam 6 capite habet: *Audite audientes et nolite intelligere et videte videntes et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat,* etc;[8] hebraice autem est: *scimhu schamoah veal tabinu ureu rao veal tedahu hascmen leb haham hazeh veoznau hachbed vehenau hasseh,* etc. Est autem tam varie interpretatum vaticinium hoc, quia variis punctis legi potest. Et prima quidem verba intelligi possunt vel ironice, sicut saepe alias in Divinis Litteris, sicut apud Ezechielem 20 capite: *Haec dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate et servite eis;*[9] et Dominus in Evangelio: *Implete mensuram patrum vestrorum;*[10] *Solvite templum hoc,*[11] et Iudae: *Quod facis fac citius;*[12] vel prophetice, nam dictio *al* hebraice aliquando significat non; et sic Septuaginta interpretati sunt: *Non intelligetis, non scietis;* aliquando ne; sic noster Interpres: *Nolite intelligere,* et alii: *Ne intelligatis.* Ibi praedictio est, hic ironia.

quia in textu diversimode legi potest.

Verbum *hascmen* sub quibusdam punctis imperantis est, sub aliis affirmantis praeteriti temporis passivi. Sic apud nostrum Interpretem imperantis est, apud Septuaginta affirmantis. Sub aliis etiam punctis potest esse praeteriti temporis activi, et sic Divus Ioannes: *Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum,* nec tamen dixit: Deus, sed intelligi potest: quisque induravit cor suum et etiam aliorum, propterea Septuaginta habent in numero plurali, sicut et Divus Matthaeus, et Divus Paulus: *Auribus graviter audierunt et oculos suos* clauserunt, sive *compresserunt, ne... videant oculis,* etc.,[13] quare ipsi seipsos, permittente Deo, excaecaverunt.

5) Vr. 12. 6) Vrr. 39-40. Vulg.: *Dixit Isaias,* etc. 7) Cf. vrr. 25-27.
8) Vrr. 9-10. 9) Vr. 39. 10) Mt 23, 32. 11) Io 2, 19. 12) Ibid. 13, 27.
13) Act 28, 26-27.

Magnum Dei donum est intelligentia Sacrae Scripturae.

II. Petierunt a Christo Apostoli quare in parabolis loquebatur turbis, non simpliciter: quare in parabolis loquebatur, sed quare turbis.[14] Christus autem apposite respondit: Quia *vobis datum est nosse mysteria regni Dei, ceteris autem in parabolis.*[15] Marcus ait: *Iis autem qui foris sunt, omnia fiunt in parabolis;*[16] et postea addit quod Apostolis seorsum disserebat omnes parabolas,[17] quia magnum Dei donum est intelligentia Sanctarum Scripturarum et cognitio divinorum mysteriorum, veluti ingens thesaurus est. Propterea ait: *Vobis datum est,* sicut alibi: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.*[18] *Vobis datum,* quia Dei gratia et beneficio digni estis ac bene dispositi, non aliis, *qui foris sunt.* Ait autem: *Nolite sanctum dare canibus neque proiiciatis margaritas ante porcos;*[19] non sunt indignis communicanda divina mysteria. Hinc apud Matthaeum ait: *Quia videntes non vident et audientes non audiunt neque intelligunt,* idest quia tales sunt quales Isaias fore praedixit: animales homines, non percipientes quae sunt Spiritus Dei,[20] habentes oculos carnis non spiritus, de quibus *Deuteronomii* 29: *Non dedit vobis Dominus cor intelligens et oculos videntes et aures quae possent audire.*[21]

Non respondit Dominus absolute ad quaestionem, etiamsi ita respondere utique potuisset, quia sic moris fuit non solum omnium sapientum, verum etiam Prophetarum. Hinc Ezechielis 20: *Ipsi dicunt de me: nonne per parabolas loquitur iste?*[22] et Oseae 12: *Ego visionem multiplicavi et in manu prophetarum assimilatus sum.*[23] Sic Regius Vates: *Aperiam in parabolis os meum;*[24] *Eructabo abscondita,* etc., etiam de Christo, ut Matthaeus ait.[24a]

Christus discipulos docet, quia futuri erant magistri Ecclesiae.

Vobis datum est, qui mei estis discipuli quique futuri estis doctores et magistri universalis Ecclesiae summique theologi rectoresque et pastores populi credentium; non iis *qui foris sunt,* non populis, quibus necessarium quidem est credere, non autem intelligere Divinas Scripturas; neque enim necessarium est ut omnes theologi simus ad salutem consequendam. Hinc Apostolis Christus *ape-*

14) Cf. Mt 13, 10. 15) Lc 8, 10. 16) 4, 11. 17) Cf. ibid. vr. 34. 18) Mt 11, 25; Lc 10, 21. 19) Mt 7, 6. 20) Cf. 1 Cor 2, 14. 21) Vr. 4. 22) Vr. 49. Vulg. *Nunquid non per parabolas,* etc. 23) Vr. 10. 24) 77, 2. 24a) Mt 13, 35.

ruit sensum ut intelligerent Scripturas,[25] non omnibus in communi credentibus, non enim omnes futuri erant magistri et doctores. Voluit Dominus ut ipsius doctrina esset sicut et persona: multi videbant eum et non videbant, quia videbant eum oculis corporis, non autem mentis, credentes in eum, sicut Apostoli, quibus ait: *Beati oculi,* etc.[26]

Saepe Deus obscure loquitur in Scripturis in poenam peccatorum.

Saepe in poenam peccatorum Deus obscure loquitur in Divinis Scripturis. Clare locutus fuerat Dominus ad populum in monte sermonemque suum multis et manifestis miraculis confirmaverat, nec tamen crediderat; sed cum vidissent miracula, perinde agebant ac si non vidissent, et doctrinam audierant ac si non audissent; propterea coepit obscure loqui eosque lumine manifestae doctrinae privare, nam ait: *Omni habenti dabitur,* etc.[27]

Non semper clara et aperta est S. Scriptura,

Hodierni Evangelii parabola summe difficilis et utilis est: difficilis propter divina mysteria quae continet; utilis propter salutaria documenta quibus plena est. Voluit enim Deus, qui summa sapientia est, ut Divinae Scripturae plenae essent multis difficultatibus, sicut Divus Hieronymus de *Epistola ad Romanos* specialiter testatur;[28] non semper claras, apertas et faciles esse, ut Lutherus Calvinusque docent.[28a] Cum tradit mysteria quae omnibus credenda sunt et praecepta quae implenda sunt ad salutem, clara est et aperta; sic Deus cum legem dedit, clare locutus fuit;[29] sic Dominus in sermone in monte.[30] Divina autem mysteria, quae tantum doctoribus et theologis tractanda sunt, obscura esse voluit ad exercitationem mentis et humilitatem, ut dicamus cum Regio Vate: *Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua;*[31] *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam;*[31a] *Da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.*[32] Sic servari voluit divinae legis tabulas in sancto sanctorum,[33] loco sacratissimo et secretissimo, praecepitque *Deuteronomii* 17[34] ut in difficultatibus legis recurreretur ad sacerdotem summum;[35] sic in Aggaeo interrogandum sacerdotem de lege;[36] sic apud Malachiam: *Labia sacerdotis cu-*

continet enim mysteria difficilia.

25) Lc 24, 45. 26) Ibid. 10, 23. 27) Ibid. 19, 26. 28) Cf. *Comment. in Epistolam ad Ephesios, Prologus,* lib. 1, (P. L. 26, 441); lib. 2, cp. 3, ibid. col. 478; cp. 4, ibid. col. 505. 28a) Cf. not. 21, hom. praeced. pag. 197. 29) Cf. Ex 20, 1 sqq. 30) Cf. Mt 5, 1 sqq. 31) Ps 118, 18. 31a) Ibid. vr. 34. 32) Ibid. vr. 125. 33) Cf. Ex 25, 21; 40, 18. 34) Ms.: 18. 35) Cf. vrr. 8-13. 36) Cf. 2, 12.

stodient scientiam et legem requirent de ore eius, Angelus enim Domini exercituum est.[37] Sic Apostoli hodie quae non intelligunt a Christo humiliter declarari petunt: *Interrogabant eum quae esset haec parabola.*[38]

Diversus est proventus divini verbi

III. *Quod autem in terram bonam*, etc.; Matthaeus: *Aliud centesimum, aliud*, etc.[39] Unde ista proventuum diversitas? Triplici ex capite potest evenire: vel quia terra hic quidem melior cultiorque quam ibi, vel quia semen hoc melius vivaciusque, vel quia caelum clementius benigniusque. Ita habent hi quidem cor bonum, illi melius, alii optimum optimeque dispositum. Propterea, ut Divus Cyprianus ait *Epistola* 76: « Cum omnes in Baptismo gratiam aequalem acceperimus, non omnes aequaliter proficimus, quia hi meliore praediti sunt voluntate quam illi ».[40] Aliquando quia non omnes aequali fide et rerum divinarum cognitione praediti sumus; sed hi vivaciori fide et clariori cognitione quam illi. Tandem quia Deus, licet omnibus det necessariam gratiam ad salutem, non tamen omnibus dat aequalem affluentiam spiritualium charismatum. Hinc *uni dedit quinque talenta, alii autem duo.*[41]

ex diversitate dispositionum cordis.

Sed specialiter discrimen ex parte terrae ponitur: *Qui in corde bono*, etc. Hinc monet Paulus Timotheum ne negligat gratiam,[42] et 2 *Corinthiis*, 6: *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,*[43] et de seipso: *Gratia* Dei *in me vacua non fuit.*[44] Hinc Ieremiae 4: *Novate vobis novale et nolite serere inter spinas;*[45] et Oseae 10: *Seminate vobis in iustitia et innovate vobis novale;*[46] est autem novale ager nunc primum proscissus.

Natura et gratia simul operantur.

Semen est verbum Dei. Nec semen sine terra, nec terra sine semine fructum potest afferre, ita nec verbum Dei sine corde, nec nisi in corde fructificat Deo, nec cor sine verbo et gratia Dei. Sed auferenda sunt omnia impedimenta; multa enim ei adversantur, multa impediunt fructum.

37) 2, 7. Vulg.: *Quia Angelus*, etc. 38) Lc 8, 9. 39) 13, 8. 40) *De Baptizandis Novatianis*, (P. L. 3, 1150). 41) Mt 25, 15. 42) Cf. 1 Tim 4, 14. 43) Vr. 1. 44) 1 Cor 15, 10. 45) Vr. 3. Vulg.: *Super spinas.* 46) Vr. 12.

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos et ait illis: Ecce ascendimus. etc. [1]

I. Tria continentur in hodierno Evangelio: iter et peregrinatio Christi cum Apostolis in sanctam civitatem Ierusalem, vaticinium et revelatio futurae passionis et mortis Christi Salvatoris, et illuminatio Bartimaei caeci in Iericho divinitus facta. In his autem mysteriis tria considero: primum est sapientissima quaedam Christi stultitia, secundum est stultissima mundi sapientia, tertium est vera christiani hominis sapientia, illuminatis oculis mentis ac depulsis tenebris.

Tria considerando sunt in hodierno Evangelio:

II. Primum, inquam, est sapientissima Christi stultitia. Christus enim mundo visus est stultus: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum,* etc. [2] Cum enim potuisset, tanquam Unigenitus Dei et Deus omnis creaturae, eligere sibi optata quaeque mundi huius bona, peiora quaeque elegit, non divitias sed paupertatem, non honores sed ignominiam, non delicias sed poenas, pergebatque ad passionem laetus, ait enim Marcus quod in hoc itinere Christus praecedebat Apostolos, unde Apostoli *stupebant et sequentes timebant*: [3] natura timebant, gratia sequebantur. Accidit in eis sicut in vaccis quae portabant arcam Domini in terram Israel; cum enim natura ad vitulos traherentur, instinctu tamen divino illos relinquebant et iter suum sequebantur. [4] Sed videntes tantam in Christo alacritatem stupebant, videbant enim eum insolita quadam laetitia hoc iter peragere. Laetus ibat ad passionem ut volens, sciens

primum sapientissima stultitia Christi,

1) Pericope huius diei Lc 18, 31 sqq. Cf. Missale Rom. 2) 1 Cor 1, 23. 3) 10, 32. 4) Cf. 1 Rg 6, 12.

qui pro se in mundo peiora quaeque elegit;

prudensque periret. David aliquando stultum et amentem se finxit coram rege Palaestinae ne moreretur,[5] Christus vero ut moriatur. Summa autem videtur stultitia, cum datur optio, optima quaeque respuere et peiora quaeque eligere. Ex rebus autem mundi huius quidnam pro se Christus elegit? *Tradetur gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.*[6] Quis unquam mercator pauperiem per terras et per maria quaerit? Quis stercora auro praefert et gemmis? Et tamen, cum Christus ille sit, de quo Isaias ait: *Sciet reprobare malum et eligere bonum,*[7] et: *Requiescet super eum... spiritus sapientiae;*[8] Paulus autem Christum[9] *Dei sapientiam* appellat[10] docetque in ipso esse omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei,[11] mala mundi huius pro se elegit. Mundus vero, e contra, pro se meliora quaeque eligit; sicut Loth, cum data fuit ei optio ab Abraham ut eligeret magis quam liberet regionis partem;[12] sed si scivisset id quod regioni illi eventurum erat et sibi, profecto non elegisset eam, licet paradisus videretur. Sic insana stultaque est sapientia mundi, quoniam specie rerum decipitur. Nam mundi huius bona fallacia sunt, inania sunt, cisternae dissipatae, *quae continere non valent aquas*[13] consolationum: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[14]

secundum insana sapientia mundi, qui specie rerum decipitur,

Sapientia maxime consistit in vera cognitione, iudicio aestimationeque rerum et in electione mediorum ad consequendum finem. Finis autem hominis est aeterna in caelo felicitas vitaque in aevum beata. At vero temporalia haec in finem hunc nihil conferunt, sed contra potius obsistunt; malorum vero perpessio Dei et virtutis causa maxime confert. Hinc ait: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;*[15] *Per multas tribulationes oportet nos,* etc.[16] Hinc in hodierno Evangelio, post mortem crucis, ponitur resurrectio in vitam aeternam.[17] Via nanque quae ad vitam aeternam perducit, via virtutis est; via autem voluptatis ad perpetuum ducit exitium. Sed non novit haec mundus, nam *ipsi nihil horum intellexerunt et erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur.*[18] Sic stolida stultaque est sapientia mundi, quoniam non

nesciens quaenam sint vera bona;

5) Cf. Ibid. 21, 12 sqq. 6) Mt 20, 19. Vulg.: *Tradent cum,* etc. 7) 7, 15. 8) Ibid. 11, 2. 9) Ms.: *Spiritum,* loco: *Christum.* 10) 1 Cor 1, 24. 11) Cf. Col 2, 3. 12) Cf. Gn 13, 10-11. 13) Ier 2, 13. 14) Eccle 1, 2; 12, 8. 15) Lc 24, 26. 16) Act 14, 21. 17) Cf. Lc 18, 33. 18) Ibid. vr. 34.

intelligit nec sapit quae Dei sunt; imo nec quae mundi sunt. Nam aestimat vera bona quae non sunt nisi veluti depicta ac veluti in scena vel per somnium visa, quae revera nihil sunt.

Tertium tandem est lumen verae sapientiae in homine christiano a Christo divinitus acceptum in caeco illuminato, nam illuminatus caecus sequebatur Christum pergentem in Ierusalem *magnificans Deum;* [19] non sedet amplius secus viam nec mendicat in Iericho, [20] sed, spreto mundo, sequitur Christum. Vera hominis sapientia fides est viva ardensque, cum caritate coniuncta. Hinc cum in hodierno Evangelio laudetur fides: *Respice, fides tua te salvum fecit,* [21] in Epistola laudatur caritas et dicitur quod fides, licet magna atque perfecta, sine caritate nil proficit ad salutem: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem,* etc. [22] Paulus enim Christum exponit; non enim ait Christus: sola fides te salvum fecit, sed sicut medicus infirmo dicit, accepta salubri potione: haec potio vitam tibi contulit, alioquin actum erat de te; nec tamen dicit solam potionem, nam opus est digestione ac concoctione naturali calore et virtute naturae, sine qua nihil penitus operatur potio, ita Christus de fide loquitur. Haec enim caritati coniuncta salutem humanam operatur. Neque enim sola fides cernitur in hoc caeco, verum etiam confessio fidei, ardens desiderium, oratio et divinae misericordiae imploratio, perseverantia in oratione, obedientia: iussit eum venire ad se, [23] ac postea animi gratitudo: *Sequebatur illum magnificans Deum.* [24] Sed quoniam radix omnium horum fides fuit, propterea fidem Dominus praecipue commendat et celebrat.

tertium vera christiani hominis sapientia,

qui fide et caritate Christum sequitur.

Video in hodierno Evangelio vitam Christi et Apostolorum: *Ecce ascendimus;* vitam hominis mundani: *Caecus quidam sedebat secus viam mendicans,* [25] sed in Iericho, quod interpretatur luna; ac tandem vitam hominis christiani post acceptum divinitus lumen fidei et gratiae caelestis: Statim *vidit et sequebatur illum magnificans Deum;* [26] sequitur Christum pergentem in Ierusalem hilari et alacri animo.

Tria haec ostenduntur hodie.

19) Ibid. vr. 43. 20) Cf. ibid. vr. 35. 21) Lc 18, 42. 22) 1 Cor 13, 2. Cf. Missale Rom. 23) Cf. Lc 18, 40. 24) Ibid. vr. 43. 25) Ibid. vr. 35. 26) Ibid. vr. 43.

III. In illuminatione caeci duo consideranda sunt: historia et mysterium. Quoad historiam opus hoc magnum fuit et miraculum et beneficium; opus divinae Christi cum potentiae, quatenus miraculum, tum bonitatis et misericordiae, quatenus beneficium. Miraculum ad gloriam Christi, ad probandam divinitatem suam, quod ipse esset verus Messias, qui filius David hodie dicitur, nam Messias ab illuminatione caecorum vel maxime cognoscendus erat, sicut Isaias ait: *Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt;* [27] hinc neminem legimus veterum Prophetarum caecum aliquem illuminasse. Beneficium vero est ad salutem hominis. Hinc cognoscitur opus hoc vere divinum. Nam omnia opera Dei duplici hoc charactere insignita sunt, charactere, inquam, gloriae Dei et salutis humanae; sunt enim opera et potentiae et bonitatis Dei. Deus nanque instar solis est, qui luce et calore operatur in mundo, cuius lux iucundissima est et calor potentissimus. Ita, inquam, Deus bonitate et potentia sua omnia operatur. Talia omnia Christi opera, quae operatus est ad ostendendam veritatem divinitatis suae; nam et miracula fuerunt et beneficia, opera potentiae et bonitatis.

Illuminatio huius caeci fuit magnum miraculum et beneficium,

quo Christus ostendit suam potentiam et bonitatem,

Solo autem verbo, ut Lucas ait, hunc caecum Dominus illuminavit dicens: *Respice. Et confestim vidit;* quo ostendit se illum esse de quo Regius Vates ait: *Ipse dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt.* [28] Agnovit autem caecus in Christo divinam potentiam et imploravit misericordiam, dum ait: *Miserere mihi, Domine, fili David!* [29] *Ut videam* [30] lumen; veluti dicens: *Domine, si vis, potes me mundare.* [31] Nihil dubitat de potentia qui solam implorat misericordiam. Revelat illud Regius Vates: *Quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio,* [32] hoc est, valde potens est Deus ad redimendum ab omni malo. Quare caecus hic primum de Christo credidit quod posset illum illuminare, hoc nanque necessarium erat, sicut Dominus a duobus caecis, Matthaei 9, petiit: *Creditis quia hoc possum praestare vobis?* Cumque illi respondissent se credere, dixit: *Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* [33]

solo enim verbo illum sanavit,

27) 35, 4-5. 28) Ps 32, 9. 29) Lc 18, 38-39. Vulg.: *Iesu fili David, miserere mei.* 30) Ibid. vr. 41. 31) Mt 8, 2; Mc 1, 40; Lc 5, 12. 32) Ps 129, 7. 33) Vrr. 28-30. Vulg.: *Possum facere vobis.*

Adhuc, quoniam *Dei perfecta sunt opera,*[33a] caecum hunc Dominus perfecte illuminavit. Non egit cum eo sicut cum alio caeco illuminato, Marci 8, quem prius imperfecte illuminavit, ita ut videret homines tanquam arbores ambulantes, postea vero illuminavit perfecte,[34] ita ut divinitatis suae potentiam voluerit fidei illius attemperare, sicut cum Petro egit super aquas ambulante; quandiu enim perfecte credidit, securus super aquas ambulavit, cum autem videns ventum validum timere coepit, tunc etiam coepit mergi.[35] Ita ibi Dominus imperfectae fidei tribuit imperfectum lumen oculorum, perfectae autem fidei ex accepto beneficio perfectum tribuit lumen. Neque egit cum hoc sicut cum caeco nato, quem multis adhibitis caeremoniis illuminare voluit,[36] sed unico tantum verbo, statim perfecte optatissimo lumine divinitus donavit.

et quidem perfecte.

Quoad historiam itaque tria consideranda sunt: factum, modus et tandem etiam finis. Nam hoc miraculo Christus allicere voluit homines ad fidem, ut crederent ipsum esse filium David, idest verum Messiam a Deo promissum et diu expectatum, propterea Christus fidem caeci laudavit: *Fides tua te salvum fecit,* ut in cordibus spectantium fidem divino hoc miraculo plantaret, factum enim fuit coram magna hominum turba.

Hoc egit Christus ut probaret suam divinitatem.

IV. Quod vero ad mysterium spectat, caeci huius illuminatio veluti symbolum quoddam est iustificationis peccatoris. Caecitas nanque peccati imago est; hinc apud Sophoniam legimus: *Ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt.*[37] Significatur autem caecitate vel maxime infidelitatis peccatum. Hinc Paulus ait: *Caecitas ex parte contingit in Israel, Romanis* 11;[38] et *Ephesiis* 4: *Alienati a vita Dei... propter caecitatem cordis eorum.*[39] Sic, Marci 3, Dominus mirabatur *super caecitate cordis eorum;*[40] ita illuminato caeco nato, ait Dominus: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant et qui vident caeci fiant.*[41] Sic enim Gentiles susceperunt fidem, Iudaei autem amiserunt, unde Isaias 42 ait: *Quis caecus nisi servus meus?... quis caecus nisi servus Domini?*[42]

Quoad mysterium illuminatio haec symbolum est iustificationis.

33a) Dt 32, 4. 34) Cf. vrr. 22-26. 35) Cf. Mt 14, 28-31. 36) Cf. Io 9, 1-7. 37) 1, 17. 38) Vr. 25. 39) Vr. 18. 40) Vr. 5. 41) Io 9, 39. 42) Vr. 19.

quoniam in maximam caecitatem lapsurus erat populus Iudaeorum, sicut etiam Isaiae 6 capite dicitur.[43]

Solus Deus potest fide mentem illuminare.

Sicut autem solus Deus potest caecum corpore illuminare, ut Regius Vates ait: *Dominus illuminat caecos,*[44] hoc est solus Deus potest illuminare caecos, ita solus ipse potest mentis tenebras tergere et interiores oculos divino fidei lumine illustrare, hinc Regius Vates: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas.*[45]

Ad iustificationem requiritur ex parte Dei bonitas et potentia,

Indicantur autem mystice in hoc illuminationis divino opere quae requiruntur ad iustificationem peccatoris tum ex parte Dei tum ex parte hominis, sicut hic videmus ad illuminationem hanc simul et Christum et caecum concurrisse. Ex parte Dei concurrit potentia et bonitas, sicut Paulus ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit... ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[46] Loquitur autem Paulus de prima iustificatione, nam ait: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum,*[47] hinc ait: *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos.* Ad primam nanque iustificationem, quae in Baptismo fit, non requiruntur opera bona, ut Paulus *ad Romanos*[48] et *ad Galatas*[49] docet, sed tantum fides - *Si credis ex toto corde, licet* baptizari,[50] ait Philippus eunucho, - cum poenitudine praecedentium peccatorum, sicut Petrus dixit: *Poenitemini et baptizetur unusquisque vestrum.*[51] Quare necesse est ut in prima etiam iustificatione concurrat homo cum Deo, sicut etiam hodie in illuminatione caeci huius cum Christi omnipotentia et divina bonitate concurrit caeci fides, hinc ait: *Fides tua te salvum fecit.*

ex parte hominis fides,

bona voluntas et oratio,

Sed non sola fides, concurrit etiam liberum arbitrium: *Quid vis ut faciam tibi? Domine, ut videam*[52] lumen; fervens oratio: *Miserere mei, Domine, fili David!* cumque a praetereunte turba increparetur ut taceret, *multo magis clamabat: Fili David, miserere mei;*[53] praecepta obedientiae: *Iussit illum vocari ad se,* et statim

43) Cf. vrr. 10 sqq. 44) Ps 145, 8. 45) Ps 17, 29. 46) Tit 3, 4-7. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit... suam misericordiam*, etc. 47) Ibid. vrr. 5-6. 48) Cf. 4, 1 sqq. 49) Cf. 3, 1 sqq. 50) Act 8, 37. 51) Ibid. 2, 38. Vulg.: *Poenitentiam agite*, etc. 52) Lc 18, 41. Vulg.: *Quid tibi vis faciam?* 53) Ibid. vr. 39.

venit, imo, ut Marcus habet, vocatus, exiliens reliquit vestimenta.[54] Non est igitur hic sola fides quae salutem affert caeco, nec Christus dixit ei: sola fides te salvum fecit, sed: *Fides tua te salvum fecit,* quoniam salutis initium est, quidquid haeretici nostrae huius tempestatis garriant solam fidem ad salutem necessariam praedicantes. Non ita Paulus, qui cum *ad Timotheum* scriberet ait: *Fidem habe et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt;*[55] et *ad Titum,* cum totum negotium salutis nostrae divinae gratiae et bonitati tribuisset dicens: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,* subiunxit: *Fidelis sermo et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus praeesse qui credunt Deo;*[56] et paulo ante dixerat: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes,* etc., *qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Haec loquere et exhortare cum omni imperio.*[57] Et iterum *ad Timotheum: Finis praecepti est caritas;*[58] non fides, inquit, sed caritas; itemque: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus;*[59] hinc iterum: *Divitibus huius saeculi praecipe sublime non sapere nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo... bene agere, bonis operibus divites fieri... thesaurizare sibi fundamentum bonum... ut apprehendant vitam aeternam.*[60]

caritas et bona opera,

Audis, haeretice, audis? Paulus est qui loquitur, vas electionis, instruit evangelicum praedicatorem, sicut alibi ad ipsummet scribit: *Praedica verbum, insta opportune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus* (quam verum, proh dolor! vaticinium nunc experimur) *cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple, sobrius esto.*[61]

contra haereticos solam fidem iactantes.

54) Cf. 10, 50. 55) 1 Tim 1, 19. 56) 3, 8. 57) Ibid. 2, 11 sqq. 58) 1 Tim 1, 5. 59) 2 Tim 3, 16 sq. 60) 1 Tim 6, 17-19. Vulg.: *Divites fieri in bonis operibus..., veram vitam.* 61) 2 Tim 4, 2-5.

Quid tam multis opus erat, si praeter fidem nihil aliud praedicandum erat? Non igitur sola fides necessaria est ad salutem consequendam, nec solam videmus in caeco hoc divinitus illuminato fidem, verum etiam opera pietatis et religionis. Clamabat: *Iesu fili David, miserere mei... multo magis clamabat: Fili David, miserere.*

Haec omnia cernuntur in conversione Magdalenae.

V. Videmus in hoc Evangelio fidem et opera, gratiam et liberum arbitrium. Videtur Christus solam fidem laudare dum ait: *Fides tua te salvum fecit;* nec tamen ita est, nam alioqui Paulus hodie contrarium praedicaret dum ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* In conversione Magdalenae eadem Christus sententia usus est dicens: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* [62] Et tamen non solam ibi fidem laudavit, nam laudaverat etiam opera, laudaverat caritatem dicens: *Dimittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* [63] Ita hodie, licet solam videatur fidem laudare, non tantum solam laudat, sed multis virtutibus ornatam. Hinc non ait: fides simpliciter, sed *fides tua te salvum fecit.* Haec enim illi quis qualisque Christus esset ostendit; haec illum orare docuit brevem, sed efficacissimam orationem, qua usi sunt etiam duo alii caeci, Matthaei 9, [64] et mulier chananaea, 15 capite. [65] Haec enim brevis oratiuncula continere videtur id quod Moyses, *Exodi* 34, doctus divinitus fuit quomodo Deum placare posset: *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae misericordiae et verax, qui custodis misericordiam in millibus, qui aufers iniquitatem, scelera et peccata.* [66] Appellatur ibi Deus primo quidem *El,* quod est potens, imo ipsa potentia; deinde *rachum,* quae vox significat tenerum visceribus, qui, visa miseria, statim movetur ad misericordiam; *chanun* deinde, clementem et gratiosum designat, propensissimum ad pietatem.

In muliere chananaea

Sic bonus caecus, fide divinitus edoctus, orat dicens: *Fili David, miserere mei, fili David, miserere mei.* Misericordia nanque veluti ipsissima Dei natura est, coniuncta cum infinita potentia. Hoc enim est quod Moyses petiit dum ait: *Ostende mihi viam tuam, ut co-*

et hodie in caeco.

62) Lc 7, 50. 63) Ibid. vr. 47. 64) Cf. vr. 27. 65) Cf. vr. 22.
66) Vrr. 5-7.

gnoscam te et inveniam gratiam in oculis tuis. [67] Per viam autem animi inclinatio et placitum designatur: *Notas fecit Moysi vias suas, filiis Israel voluntates suas.* [68] Hoc nanque cupiunt boni servi principum: scire quid placeat quidque displiceat dominis suis, nam sunt veluti simiae eorum. Quotiescumque autem Moyses a Deo aliquid impetrare volebat, ea oratione utebatur divinam implorando misericordiam et clementiam.

VI. Praeter fidem autem et opera, invenimus in hodierno Evangelio gratiam et liberum arbitrium, nam gratiam expetebat caecus dicens: *Miserere mei,* Domine *fili David,* Christus autem liberum arbitrium: *Quid tibi vis faciam?* sicut egit cum languido in piscina: *Vis sanus fieri?* [69] non enim salvat nisi volentem. Divus Augustinus multa scripsit de gratia et libero arbitrio. Quodam autem loco sic ait: « Si non est liberum arbitrium, quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Et si non est gratia, quomodo salvabit Deus mundum? ». [70]

Requiritur etiam gratia et liberum arbitrium,

Cum autem saepissime Divina Scriptura, quae solvi non potest, de libero arbitrio loquatur, adhuc tamen novi isti theologi, prophetae Baal et magi Pharaonis, negant. Cumque, praeter Divinarum Litterarum testimonia, ipsamet natura doceat nos animo et voluntate liberos esse, tamen cum doceant falsa dogmata apertaque mendacia contra Scripturam, ipsa etiam repugnante natura, non desunt qui eis credant. Fortunati sunt sicut astrologi, mendacissimorum hominum genus, qui cum in divinationibus futurorum rerum semper mendaces inveniantur, - experimur enim inter mille mendacia in eorum divinationibus vix unam reperiri veritatem in rebus sensatis - et tamen mundus adhuc eos magni facit, credit et veneratur. Ita, inquam, haereticis accidit: docent apertissima mendacia, falsissima dogmata, et tamen audit eos mundus.

contra novatores hoc negantes.

VII. Tandem reperitur et imago vitae mundanae in caeco ante illuminationem et imago vitae christianae in eodem post illuminationem. Homo nanque virtutibus destitutus caecus est, ut Petrus

67) Ex 23, 13. Vulg. *Ostende mihi faciem tuam ut sciam te... ante oculos tuos.*
68) Ps 102, 7. 69) Io 5, 6. 70) Epist. 214, (P. L. 33, 969).

Reperitur etiam in caeco imago vitae mundanae et christianae.


docet 2 *Epistola*, 1: *Subministrate*, inquit, *in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam*, idest cognitionem Dei, *in cognitione autem abstinentiam*, idest temperantiam, *in abstinentia autem patientiam*, idest tolerantiam in adversis, *in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Cui enim non praesto sunt haec, caecus est et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* [71]

Sic hodie ostenditur quis sit salvator, quis salvatus et quid salus.

In hodierno Evangelio optime congruit atque connectitur principium cum fine. Nam in principio, dum Christus loquitur de mysterio passionis suae, ostenditur ingens desiderium salutis humanae in corde ipsius, nam: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* [72] idest pro iis quos diligit; in fine autem ostenditur effectus salutis humanae: *Fides tua te salvum fecit.* Ostenditur hic quis sit salvator, quis salvatus, quid salus et quae ad salutem consequendam necessaria sint nobis. Salus nanque liberatio est a miseria et consecutio optatae felicitatis; Salvator filius David, idest Messias, verus Deus et homo; salvatus homo miserabilis in Ierícho, qui descendens *ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones,* [73] homo caecus, pauper, mendicus.

Habemus autem in hodierno Evangelio etiam spiritualem caecitatem, nam *ipsi*, inquit, *nihil horum intellexerunt, erat* nanque *absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur.* [74] Nam, sicut alibi legimus: *Erat cor eorum obcaecatum.* [75] Sed ad salutem consequendam multa necessaria sunt, maxime autem fides, oratio, ardens desiderium, voluntas animi, etc. [76]

71) Vrr. 5-7. 9. Vulg.: *In scientia autem abstinentiam*, etc. etc. 72) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*, etc. 73) Lc 10, 30. 74) Ibid. 18, 34. 75) Mc 6, 52. 76) Quinque paginis albis relictis, transit ad Feriam Quartam Cinerum idest ad *Quadragesimale* in prima parte huius codicis Vindobonensis editum.



Randi saec. XIX In ecclesia Capuccinorum Forolivii

S. Laurentius miracula operans

DOMINICA IN ALBIS

Cum esset sero die illa una sabbatorum et fores essent clausae, venit Iesu et stetit in medio. [1]

Habemus hodie duas apparitiones Christi suscitati,

I. Habemus in hodierno Evangelio duas apparitiones Christi suscitati ad Apostolos, in utraque autem duo consideranda nobis se offerunt: unum est miraculum apparitionis, alterum est effectus mirabilis apparitionis ipsius; quamvis ostendatur hic Christi divina magnitudo quoad personam: *Haec scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est Christus Filius Dei;* quoad potestatem qua potest dare vitam aeternam: *Ut credentes vitam habeatis in nomine eius;* [2] et quoad opera: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* [3] Sic ostendit se omnem habere potestatem, sicut ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* [4] Quis unquam habuit potestatem in terra dandi Spiritum Sanctum? auctoritatem dimittendi peccata? *Quis* enim *potest dimittere peccata nisi solus Deus?* [5]

quarum considerantur miraculum, effectus et finis.

Sed haec nunc prosequi non est animus. Duo tantum, quae diximus, prosequemur, cui etiam tertium addi potest, nempe finis apparitionis huius. Finis autem fides est, quae in hodierno Evangelio semel et iterum commendatur: *Noli esse incredulus sed fidelis; Quia vidisti me... credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt.* [6] *Haec scripta sunt ut credatis... et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.*

1) Pericope huius diei Io 20, 19 sqq. Cf Missale Rom. 2) Io 20, 31. 3) Ibid. vrr. 21. 23. 4) Mt 28, 18. 5) Mc 2, 7; Lc 5, 21. 6) Io 20, 27. 29. Invertit ordinem.

Ostenditur miraculum

II. In primis vero ostenditur miraculum huius apparitionis: Cum *fores essent clausae... venit Iesus et stetit in medio;* et iterum: *Venit Iesus ianuis clausis,* [7] ad eum modum quo radius solaris per vitrum, per crystallum, imo per corpora caelestia ad nos usque transit. Simili modo in utraque apparitione, imo eodem modo, ad eos venit ianuis clausis ac si non homo verus, sed Angelus fuisset, qui ad Petrum corporea forma per clausas carceris ianuas ingressus fuit. [8] Miraculum autem hoc fuisse ipsemet Evangelista in hoc ipso Evangelio docet; [9] nam, enarrata secunda apparitione, ait: Sunt *quidem et alia signa quae fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est Christus Filius Dei.* [10] Non loquitur, ut Chrysostomus ait, de omnibus miraculis Christi, quae ante mortem suam operatus fuit, nam de his loquitur in fine Evangelii dicens: *Sunt quidem et alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros;* [11] sed loquitur de miraculis factis post resurrectionem ad plantandam confirmandamque fidem verae resurrectionis, [12] hinc ait: *Quae fecit in conspectu discipulorum suorum*, nam alia facta sunt in conspectu totius populi. Cum autem dicat multa facta esse a Christo miracula post suam resurrectionem in conspectu discipulorum suorum, cum haec scriberet Ioannes, tres tantum apparitiones narraverat: primam factam Magdalenae, [13] secundam factam Apostolis, absente Thoma, tertiam eo praesente. Cum autem dicit: *In conspectu discipulorum suorum*, excludit primam. Hinc postea narrans aliam apparitionem factam discipulis in mari Galilaeae dixit: *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum surrexisset a mortuis.* [14]

ex ipsis verbis Evangelii.

Puerilis Calvini interpretatio refutatur.

III. In his autem duabus hodierni Evangelii apparitionibus, licet miraculum dici possit donum Spiritus Sancti ad intelligendas Scripturas, nam ut Lucas ait: *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas,* [15] et ad remittenda peccata, nullum aliud apparet mira-

7) Ibid. vrr. 19. 26. 8) Cf. Act 12, 7. 9) Ms.: *Dicens* adiicitur. 10) Io 20. 30-31. 11) Io 21, 25. 12) Cf. *In Ioannem*, hom. 87, (P. G. 59, 474). 13) Cf. 20, 1-17. 14) Ibid. 21, 14. 15) 24, 45.

culi vestigium, nisi ingressus ad eos ianuis non patefactis. Et tamen bonus Calvinus audet negare quod Christus ianuis clausis ingressus sit ad Apostolos.[16] Cum capere non posset quomodo Christus clausis ianuis ingressus sit, suo ingenio voluit novus iste magister in Israel[17] metiri divinam Christi omnipotentiam, ut Christus facere non potuerit, quod ipse capere suo ingenio minime poterat. Ad quid ergo semel et iterum Evangelista dicit venisse ad Apostolos Christum ianuis clausis, si apertis ianuis sive per fenestras ingressus est? Abutebantur hoc loco Marcionitae et Manichaei haeretici, cum asseverent Christum non verum assumpsisse corpus et ex hoc loco probant quia ianuis clausis ingressus ad Apostolos fuit.[18] Sanctis autem Patribus nunquam venit in mentem subtilissima haec Calvini interpretatio, quod patefactis ianuis sive per fenestras apertas ingressus fuit. Haec enim facillima et expeditissima fuisset via ad respondendum illis haereticis eosque repellendos. Sed non fuere Sancti Patres tam acuti ad fingendum ac vix existimarunt reperiri posse hominem tam impudentem, qui negare auderet quod Evangelista tam apertis et luculentis verbis tradidit. Hinc omnes Sancti Patres constantissime docent Christum ianuis clausis ad Apostolos ingressum fuisse. Sed propterea Calvinus negat Christum ianuis clausis ingressum, ne concedere cogatur posse Christum in Eucharistia ita esse, ut nullum locum occupet. Nam si clausis ianuis ingressus fuit, profecto nullum locum occupavit. Sic *abyssus abyssum invocat*[19] et erroris viam ingressus semperque in peius progressus, eo deductus a satana est, patre mendaciorum, ut apertissimas Scripturas impudentissime negaret.

veterem haeresim excitantis de ficto corpore Christi.

IV. Voluit autem Dominus clausis ianuis ingredi primo, ut doceret se iam glorificatum corpus habere et ut ostenderet modum quo resurrexerat, clauso sepulcro ingenti lapide;[20] itemque ut vim divinitatis suae demonstraret, qua potest facere quod homo nec mente nec cogitatione capere aut assequi potest, ut corpus verum vim et efficacitatem spiritus habeat.

Ostenduntur effectus,

16) Cf. Corn. a Lapide *In Ioannem*, hoc loco. 17) Cf. Io 3, 10. 18) Cf. supra, in Festo S. Thomae Apostoli, pag. 24, not. 35; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Simbolorum*. n. 234, 710. 19) Ps 41, 8. 20) Cf. Mt 28, 2; Mc 16, 4; Lc 24, 2; Io 20, 1-2.

idest donum pacis

Quoad secundum, effectus divinae huius apparitionis fuit multiplex. Primus quidem fuit donum pacis: *Pax vobis;* iterum dixit eis: *Pax vobis;* ac tertio etiam legimus in hodierno Evangelio: *Pax vobis.* [21] Nam datur pax externa cum proximo, pax interna cum Deo secumque et pax aeterna in caelo.

et gaudium in Apostolis,

Secundus fuit gaudium, nam: *Gavisi sunt discipuli viso Domino;* [22] sicut enim magno dolore affecti fuere ex passione et morte ipsius, ita similiter magno gaudio ex resurrectione ipsius. Postea vero dat Spiritum Sanctum, ita ut videamus hic quod Paulus *ad Romanos* ait: *Regnum Dei... iustitia, gaudium et pax in Spiritu Sancto.* [23]

collatio summae dignitatis,

Tertius effectus fuit summae dignitatis collatio: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* veluti cum Summus Pontifex missurus est aliquos legatos ad principes, ut multo illustrior sit legatio, eos quos missurus est prius Cardinales facit et Legatos a latere constituit, dans eis omnem auctoritatis suae plenitudinem. Sicut Pater divina auctoritate sua misit me ad praedicandum Evangelium. - *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* [24] - ita ego divina auctoritate - cum data sit mihi *omnis potestas in caelo et in terra* - mitto vos ad hoc ipsum: Ite, *praedicate Evangelium omni creaturae.* [25]

potestas operandi miracula,

Item, sicut Christus missus fuit a Patre cum potestate confirmandi miraculis doctrinam missionemque suam, sicut Moyses, ita Apostoli missi sunt: *Praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.* [26] Sicut etiam Christus missus a Deo fuit, non simplex Evangelii annuntiator, sed cum potestate officii, tanquam legitimus pastor et doctor, hinc enim appellatus est pastor et episcopus animarum: *Conversi estis,* ait Petrus, *ad pastorem et episcopum animarum vestrarum,* [27] ita Apostoli missi sunt. Hinc legimus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* [28] Christus ut homo missus a Deo fuit cum plenaria auctoritate et potestate, plenus Spiritu Sancto ad redimenda

auctoritas regendi Ecclesiam et remittendi peccata,

21) Io 20, 19. 21. 26. 22) Ibid. vr. 20. 23) 14, 17. Vulg.: *Pax et gaudium,* etc. 24) Is 61, 1; Lc 4, 18. 25) Mc 16, 15. 26) Ibid. vr. 20. 27) 1 Petr 2, 25. 28) Act 20, 28.

peccata, ad salvandas animas. Apostoli missi sunt a Christo tamquam vero Deo cum eadem potestatis amplitudine, hinc subiunxit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Differentia tamen est inter Christum et Apostolos qualis inter Summum Pontificem et Legatum a latere, inter regem et proregem, inter principem supremum et vicarium ac gubernatorem ab eo missum.

plenitudo Spiritus Sancti cum virtute ad tolerandas passiones.

Reperitur etiam alia in re similitudo. Christus missus fuit a Patre sanctitate plenus: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum;* [29] ita Christus Apostolos misit Spiritu Sancto plenos. Et sicut Christus missus fuit ad multa patiendum pro salute animarum, ita Apostoli mittuntur a Christo: *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos;* [30] *Si me persecuti sunt, et vos persequentur;* [31] *Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis et ex eis flagellabitis.* [32]

Hodie Christus Apostolos in Episcopos ordinat;

Tradit autem eis divinam auctoritatem, creat Episcopos et Patriarchas Ecclesiae. Sicut etiam in Episcopis tria considerantur: electio, ordinatio et iurisdictio, Christus Apostolos elegerat quidem prius et hodie veluti reeligit, ordinat sacra caeremonia usus, nam *insufflavit* in eos *et dixit: Accipite Spiritum Sanctum,* [33] qua caeremonia et symbolo ostendit se illum esse qui ab initio *inspiravit in faciem* hominis *spiraculum vitae.* [34]

ostendit divinitatem suam et naturam Spiritus Sancti;

Ostendit divinitatem suam, nam nonnisi Deus dare Spiritum Sanctum potest. Declaravit originem Spiritus Sancti, quod ab ipso procedat et non solum a Patre. Declaravit naturam, quod spiritus sit non corpus. Declaravit effectum, quod caelestem divinamque dat homini vitam, sicut spiritus quem Deus ab initio in hominem inspiravit, eo nanque homo *factus est in animam viventem.* [35] Itemque quod licet tunc haberent Apostoli spiritum fidei, spei et caritatis, quod satis erat ad propriam salutem, non tamen ad salutem aliorum; hinc dat etiam Spiritum multo copiosius, cum potestate etiam dimittendi peccata, quae plane divina potestas est, missurus postea cum maxima donorum copia in die Pentecostes.

29) Io 10, 36. 30) Mt 10, 16; Lc 10, 3. 31) Io 15, 20. 32) Mt 23, 34.
33) Io 20, 22. 34) Gn 2, 7. 35) Ibid.

confert eis potestatem alios consecrandi,

Sicut autem Christus a Deo constitutus missusque pastor et episcopus animarum, Apostolos instituit pastores et Episcopos, ita etiam dedit potestatem ut ipsi etiam alios instituerent. Hinc Paulus et Barnabas, *Actuum* 14, constituebant per singulas civitates presbyteros;[36] hinc Paulus Timotheum instituit Ephesi Episcopum,[37] Titum vero Cretae,[38] data etiam facultate constituendi per civitates presbyteros.

ut eis succederent in regimine Ecclesiarum usque ad diem iudicii.

Sicut autem Deus primo Aaronem sacerdotem pontificemque instituit et filios eius sacerdotali dignitate donavit, ita ut postea per naturalem successionem veluti hereditario iure filii parentibus in sacerdotali et pontificia dignitate ac potestate succederent,[39] ita plane Christus Deus noster Petrum Apostolosque elegit constituitque Apostolos ipsos Supremos Ecclesiae Pastores, Episcopos, Patriarchas, quibus postea per ordinationem legitimamque successionem electionemque alii succederent. Sic per impositionem manuum Apostolorum in primitiva Ecclesia creabantur Episcopi dabaturque Spiritus Sanctus,[40] ut nunquam foret Ecclesia sine veris Episcopis legitimisque pastoribus. Sic Paulus presbyteris Asiae loquitur: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, etc.;[41] sic scribit *ad Ephesios: Ipse dedit quosdam Apostolos*, alios *Prophetas... autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes*, etc.,[42] hoc est usque ad diem iudicii.

Haec autem munera in Apostolis universae Ecclesiae collata fuerunt.

Quare munera quae hodie Christus dedit discipulis congregatis, universae dedit Ecclesiae, ita ut in hodierno Evangelio veluti vivam quamdam habeamus imaginem naturalem verae Christi Ecclesiae.

Non enim pro salute illius tantum Ecclesiae, quae tunc erat, sed pro salute totius Ecclesiae mortuus est Christus; sic promisit Spiritum Sanctum perpetuum in Ecclesia mansurum. *Si enim*, inquit, *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos;*[43] *ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis,*[44] *qui a Patre procedit.*[45]

36) Cf. vr. 22. 37) Cf. 1 Tim 1, 3. 38) Cf. Tit 1, 5. 39) Cf. Ex 28, 1 sqq. 40) Cf. Act 6, 6; 8, 17; 13, 2-3; 19, 6; 1 Tim 4, 14; 2 Tim 1, 6. 41) Act 20, 28. 42) 4, 11-13. 43) Io 16, 7. 44) Ibid. 14, 16-17. 45) Ibid. 15, 26.

V. Habemus autem hic veras notas Ecclesiae Christi, quae nihil aliud est nisi congregatio discipulorum in Christum vere credentium: *Ubi erant discipuli congregati.*[46] Erat autem una tantum congregatio et quidem visibilis, quia hominum, non Angelorum aut animarum, hinc propter timorem Iudaeorum manebant simul congregati una in domo, foribus clausis; nam vera Ecclesia propter fidem et confessionem christianae fidei passa est persecutionem; publice itaque hi fidem Christi profitebantur et propterea ab inimicis Christi [persecutionem patiebantur]. Hinc sequitur quod in eis non simplex erat fides in Christum, verum etiam amor, caritas vera, cum propter Christum se exponerent vitae discrimini.

Ecclesia est congregatio hominum in Christum vere credentium.

Ostenditur quod fides prudens quidem est, hinc cavent sibi a periculis, verum etiam et simplex sicut columba;[47] non tantam quaerit evidentiam et claritatem qualem quantamque Thomas requirit: *Nisi videro in manibus eius*, etc.; ah! *Noli esse incredulus sed fidelis,*[48] quia *prudentia carnis mors est.*[49] Qui prudentiores sunt secundum carnem, hi sunt etiam imprudentiores secundum spiritum, idest increduliores.

Fides vera non quaerit evidentiam.

In medio huius congregationis Christus est: *Vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;*[50] *Ubi fuerint duo vel tres congregati,* etc.;[51] hic Christi praesentia agnoscitur: *Ostendit eis manus et latus;*[52] hic pax et exultatio spiritualis: *Pax vobis; gavisi sunt discipuli viso Domino;*[53] hic praesentia Spiritus Sancti invisibilis, nam *insufflavit et dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Quare Ecclesia congregatio quidem hominum est, sed cum perpetua assistentia Spiritus Sancti; propterea enim Ecclesia *columna et firmamentum* est *veritatis;*[54] hic divina Christi auctoritas in praesulibus, Episcopis, sacerdotibus, Christi vicariis, qui divina cum dignitate tum etiam potestate donati sunt, sine quibus non potest esse Ecclesia, sicut nec grex sine pastoribus, nec exercitus sine ducibus.

Ecclesia perpetuam habet assistentiam Christi et Spiritus Sancti;

Hinc patet ecclesias haereticorum non Christi Ecclesias, sed satanae synagogas esse,[55] cum non habeant veros episcopos legitime electos, ordinatos et pastorali auctoritate super gregem donatos per legitimam successionem ab ipsis Apostolis, filo unquam interrupto,

ecclesiae autem haereticorum synagogae satanae sunt,

46) Ibid. 20, 19. 47) Cf. Mt 10, 16. 48) Io 20, 27. 49) Rom 8, 6. 50) Mt 28, 20.
51) Ibid. 18, 20. 52) Io 20, 20. 53) Ibid. 54) 1 Tim 3, 15.
55) Cf. Apc 2, 9; 3, 9

sumpta origine. Sicut enim in Veteri Testamento non poterat esse pontifex aut sacerdos absque legitima successione naturali ab ipso Aaron, summo pontifice et sacerdote maximo,[56] ita in Novo Testamento non potest esse verus episcopus absque legitima successione ab Apostolis et legitima ordinatione.

nec habent veros episcopos apostolica successione institutos.

Christus autem ipse elegit, ordinavit, consecravit et divina auctoritate instituit Apostolos suos in episcopos et pastores Ecclesiae; non a populis, ut haeretici nugantur, creati sunt. Eligi quidem a populis aliquando pastores possunt, sicut Apostoli permisere multitudini credentium ut Diaconos eligerent,[57] nam de Episcopis nullum extat in Sacris Litteris exemplum; sed ipsi Apostoli constituebant presbyteros et Episcopos per civitates,[58] nullo requisito populorum consensu; sed consecratos, ordinatos, institutos a populis episcopos nec per somnium quidem legitur. Ostendant igitur haeretici episcoporum suorum legitimam electionem, ordinationem, institutionem, successionem; ostendant missionem suam, nam: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;*[59] *Quomodo praedicabunt nisi mittantur?*[60]

In N. T. nullus datur extraordinarius Dei legatus.

Si Dei nuntii et legati sunt, ut aiunt, extraordinarii, ostendant signa apostolatus sui. Nam in Novo Testamento neminem extraordinarium Apostolum legimus, nisi haereticos. Nunquam promisit Dominus extraordinarios Apostolos missurum, sicut in Veteri Testamento mittebat aliquando extraordinarios Prophetas; sed multi innumeri prophetas se fingebant veros, hinc Christus noluit admittere extraordinarios Apostolos. Elegit quidem Paulum extraordinarie, sed misit ad Ecclesiam ut instrueretur, ut baptizaretur, ut ab aliis Apostolis dexteras acciperet.[61] Tantum dixit Dominus venturos multos in nomine ipsius et multos decepturos, venturos falsos prophetas in vestimentis ovium; sed cavendos esse, agnoscendos a fructibus.[62]

Haeretici negant remissionem peccatorum

VI. Negant haeretici remissionem peccatorum, quam tam apertis verbis Dominus hodie expressit, data divina hac potestate Apostolis, quam ipse, edito miraculo, se habere ostenderat.[63] Sed aiunt non remitti peccata nisi per verbum, per fidem: *Vos mundi estis*

56) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Nm 3, 1 sqq. 57) Cf. Act 6, 2-6. De hac haereticorum sententia cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 2, *De Clericis*, lib. 1, cp. 2, col. 212. 58) Cf. Act 14, 22. 59) Io 20, 21. 60) Rom 10, 15. 61) Cf. Act 9, 7; 13, 3. 62) Cf. Mt 7, 15-20; 24, 23-26; Mc 13, 21-23. 63) Cf. Mt 9, 2-8; Mc 2, 3-12; Lc 5, 18-20.

propter sermonem quem locutus sum vobis; [64] *Fide purificans corda eorum.* [65] Verum etiam de eleemosyna legimus: *Peccata tua eleemosynis redime;* [66] *Facite eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* [67] Cur non de eleemosyna interpretantur? Cur dicit Dominus: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum retinueritis retenta sunt?* Si, nullo iudicio adhibito, remittuntur peccata, cur his quidem remittuntur, illis vero minime? Ah nugaces! ah nugaces! Sed de his satis.

per sacramentalem Confessionem.

VII. Ostenditur Dominus in hodierno Evangelio tamquam lignum vitae: [68] *Ut credatis... et ut credentes, vitam habeatis;* [69] *Beati qui non viderunt et crediderunt;* lignum *quod plantatum est secus decursus aquarum,* [70] arbor illa maxima Nabuchodonosor onusta fructibus, quae designabat amplitudinem imperii et copiam divitiarum. [71] Christus autem summus est princeps: *Data est mihi omnis potestas; Ut credatis quoniam Iesus est Christus,* idest rex, Messias, *Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis.* Huius arboris magnitudinem Thomas hodie expressit dicens: *Dominus meus et Deus meus!* [72]

Multi sunt fructus hodiernae apparitionis Christi.

De fructibus huius arboris comedunt vivuntque etiam animalia terrae, fideles in Ecclesia militante, et volucres caeli, Angeli et Beati in triumphante. Arbor onusta fructibus: ter dicitur: *Pax vobis.* Pax autem omnem felicitatem significat. Fructus gaudium est: *Gavisi sunt discipuli;* fructus clara cognitio: *Ostendit eis manus et latus;* fructus divina dignitas: magna arbor rex in suo regno, Summus Pontifex in Ecclesia, propter multas dignitates quas conferre possunt; fructus donum Spiritus Sancti; fructus potestas dimittendi peccata; fructus vita aeterna.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Instituit Apostolos legatos vicariosque suos. Hinc Paulus *2 Corinthiis* 5: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* [73] Solent autem principes legatis suis non solum dignitatem et auctoritatem conferre cum signis authenticis legationis suae, ut fides indubitata eis adhibeatur, verum

Christus hodie Apostolos instituit veros legatos suos.

64) Io 15, 3. De haereticis qui Confessionem sacramentalem impugnarunt, cf. S. Bellarminus op. cit., t. 3, *De Poenitentia*, lib. 3, cp. 1, col. 1025-1026. 65) Act 15, 9. 66) Dn 4, 24. 67) Lc 11, 41. Vulg.: *Date eleemosynam*, etc. 68) Cf. Gn 2, 9. 69) Io 20, 31. 70) Ps 1, 3. 71) Cf. Dn 4, 7-19. 72) Io 20, 28. 73) Vr. 20.

etiam dant instructiones et mandata ad tractanda et peragenda negotia, quae legatus praeterire non potest, ita quod, si suo principi fidem fregerit ac violaverit, si mandatis non obtemperaverit nec servaverit instructiones, statim a legationis munere deturbetur reusque habeatur laesae maiestatis. Ita Christus Apostolis dedit auctoritatem legationis; dedit etiam signa legationis et apostolatus; dedit etiam instructiones et mandata: *Praedicate Evangelium omni creaturae;* [74] *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* [75] Haec sunt instructiones et mandata Apostolis tradita. Ostendant, quaeso, haec novi evangelistae, qui a Deo se missos iactant et venditant, ut simplicibus imponant.

Ostenditur hodie Christus homo mirabilis et Deus verus.

VIII. Ostenditur [76] in hodierno Evangelio Dominus noster homo mirabilis et Deus verus, talem enim Thomas confitetur: *Dominus meus et Deus meus!* Homo autem mirabilis. Quis non miraretur si hominem, qui posset instar radii solaris per vitream fenestram non apertam nec fractam, sed integram beneque obseratam ingredientis, ita ac si spiritus esset, clausis undequaque foribus, templum hoc ingrederetur? Si per aera volaret? Qui se pro suo libito nunc visibilem spectabilemque, nunc nunc seipsum invisibilem redderet? Qui posset seipsum pro libito transfigurare et sine ullis praestigiis magicis in varias figuras mirabili metamorphosi transformare? Talis fuit Christus, maxime post resurrectionem suam. Sic hodie semel et iterum ianuis clausis ingressus est in conclave discipulorum eisque nunc se praebebat videndum palpandumque, nunc statim ex eorum oculis disparebat invisibilis factus.

auctor felicitatis et fons gratiae.

Simul autem ut Deus et homo, Messias, Filius Dei ostenditur, auctor felicitatis et fons gratiae simulque obiectum. Nec tantum se credendum exhibet, verum etiam contemplandum: *Ostendit eis manus et latus,* et L u c a s habet etiam *pedes.* [77] Haec nobis credentibus consideranda iugiter sunt: manus, idest opera Christi, pedes, idest passiones Christi, latus, idest pectus Christi, cor Christi, caritas Christi, amor et desiderium salutis nostrae in visceribus Christi. [78]

74) Mc 16, 15. 75) Mt 28, 18-19. 76) Atramento clariori et stylo latiori. 77) 24, 40.
78) Reliqua parte paginae alba relicta, transit ad Dominicam secundam post Pascha.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, etc. [1]

Agitur hodie de Christo sub metaphora pastoris.

I. Agitur in hodierno Evangelio de Christo, de fidelibus et de Ecclesia Christi: de Christo sub metaphora pastoris, de fidelibus Christi sub metaphora ovium, de Ecclesia Christi sub metaphora ovilis: *Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* [2] Quoad primum: *Ego,* inquit, *sum pastor bonus,* graece est: *Ego imi o pimin o calos, ille pastor ille bonus.* Ille pastor, praefiguratus in Abel, in Iacob, in Moyse, in David; ille pastor, quem Moyses a Deo petiit *Numerorum* 27: *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc et possit exire et intrare ante eos et educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore;* [3] de quo ait Deus per Ezechielem capite 34: *Suscitabo eis pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem;* [4] et capite 37: *Servus meus David rex super eos et pastor unus erit omnium eorum;* [5] de quo item Isaias capite 40: *Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet... sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit.* [6]

Deus ipse in Sacris Litteris appellatus est pastor.

Deus ipse aliquando in Sacris Litteris appellatus est pastor. Hinc Regius Vates: *Dominus regit me,* hebraice *pastor meus, et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me collocavit; super aquas refectionis educavit me, animam meam convertit;* Dominus pastor meus, non egebo; in pascuis germinis, idest herbosis graminosis, accubare me faciet, super vel iuxta aquas tranquillas minabit me,

1) Pericope huius diei Io 10, 11-16. Cf. Missale Rom. 2) Io 10, 16. 3) Vrr. 16-17.
4) Vr. 23. Vulg.: *Suscitabo super eas,* etc. 5) Vr. 24. 6) Vrr. 10-11.

animam meam quiete donabit, tranquillabit.[7] Sic optimum pastorem depingit. Cum Dominus Moysen ex pastore ovium pastorem hominum fecit: *Ego*, inquit, *sum qui sum*,[8] hebraice verti potest: sum qui ero, nempe pastor populi mei. Hinc hodie Dominus alludens ad promissionem illam et iam impletam demonstrans ait: *Ego sum pastor bonus.* Ante haec verba dixerat Dominus: *Per me si quis introierit salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet; Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.*[9] Discernit se Dominus a malis pastoribus, dum semel et iterum se bonum pastorem dicit et unum pastorem, idest primum et summum pastorem; a Petro dictus est *princeps pastorum.*[10]

Principes in Scriptura dicuntur pastores,

II. In Sacris Litteris principes appellati sunt pastores. Sic enim de Davide legimus: *Accepit eum pascere Iacob populum suum et Israel hereditatem suam; et pavit eos in innocentia cordis sui et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*[11] Sic Michaeas praenuncians regi Israel mortem in proelio ait: *Vidi cunctum Israel in montibus dispersum quasi oves non habentes pastorem.*[12]

Ut bonus sit princeps requiritur legitima auctoritas et iusta administratio,

Ut autem bonus sit princeps duo requiruntur: primum quidem legitima auctoritas et potestas, alioquin non verus erit princeps, sed tyrannus, lupus sub habitu et persona pastoris; alterum est officium, recta iustaque reipublicae administratio populique regimen, quod est pastoris officium, nempe oves curare, regere, pascere, a periculis custodire et liberare. Sic boni principes et pastores fuerunt Moyses, Aaron, Iosue, Gedeon, David, Salomon, Ezechias, Iosias et alii, quos in Sacris Litteris legimus. Hi boni pastores sunt, quorum princeps est Christus. De his ait per Ieremiam 3 Deus: *Dabo eis pastores secundum cor meum.*[13]

secus erit malus et tyrannus;

Alios legimus principes malos, idest tyrannos, qui absque legitima auctoritate per vim et dolum principatum sibi usurpavere, qualis fuit Abimelech filius Gedeonis,[14] qualis Herodes primus[15] et alii. Hos appellat Dominus fures et latrones,[16] quos alibi dixit lupos rapaces sub vestimentis ovium;[17] alios[18] autem malos

7) Ps 22 (hebr. 23), 2-3. 8) Ex 3, 14. 9) Io 10, 9-10. 10) Cf. 1 Petr 5, 4. 11) Ps 77, 70 sqq. Vulg.: *Iacob servum suum*, etc. 12) 3 Rg 22, 17. Vulg.: *Dispersum in montibus*, etc. 13) Vr. 15. Vulg.: *Dabo vobis*, etc. 14) Cf. Idc 9, 1 sqq. 15) Cf. Iosephus Flavius *De Bello Iudaico*, lib. 1, cp. 10-33, pag. 75-143; *De Antiquitatibus Iudaicis*, lib. 14-17, pag. 679-867. 16) Cf. Io 10, 8. 17) Cf. Mt 7, 15. 18) Ms.: *Alio.*

principes, non ex defectu auctoritatis et legitimae iurisdictionis, sed ex defectu officii et legitimi usus, de quibus legimus: *Vae pastoribus Israel!*[19] Accusantur autem, quoniam non gregem ut pastores, sed seipsos pascebant. De his autem Dominus dicit: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei. Quaecumque ergo dixerint vobis, servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere.*[20] Sic Petrus docet obediendum esse principibus, *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*[21] Hos[22] autem in hodierno Evangelio Dominus mercenarios appellat, qui pascendas suscipiunt oves lucri causa; propterea inquit: *Mercenarius* cum *videt lupum venientem... fugit* ovesque lupo relinquit, *quia mercenarius est;*[23] non pascit oves proprias, sed alienas mercedis gratia. *Ego* autem, inquit, *sum pastor bonus,* quia *animam meam pono pro ovibus meis,*[24] sicut David, cum pasceret oves patris sui tanquam proprias, pugnabat cum leonibus, ursis et lupis ad defendendas oves.[25]

sed malus est etiam qui abutitur auctoritate.

Ut bonus sit pastor tria requiruntur: primum est pastoralis artis peritia, ut noverit quid facto opus sit ad oves recte gubernandas regendasque; alterum est amor erga oves, hinc enim oritur industria, vigilantia curaque diligens ad providendum ovibus necessaria quaeque, easque tutas servandas ab omnibus periculis; tertium est vires animi et corporis ad defendendas oves ab omni periculo, cum luporum et aliarum trucium ferarum, tum etiam a furibus et latronibus. Haec tria exprimit Dominus: *Cognosco oves meas... Animam meam pono pro ovibus;*[26] *Non rapiet eas quisquam de manu mea,* quia *nemo potest rapere de manu Patris mei, qui maior omnibus est. Ego* autem, inquit, *et Pater unum sumus,*[27] eadem ego potentia valeo, sicut eadem natura et substantia Patri et mihi communis est. Sic igitur ait: *Ego sum pastor bonus,* de quo Petrus: *Eratis sicut oves errantes,* et *conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.*[28] Ad hoc enim venturus erat Messias, ut esset pastor ovium Dei: *Framea suscitare super pastorem meum... percute pastorem et dispergentur oves;*[29] hinc ait: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.*[30]

In bono pastore requiritur artis peritia, amor erga oves et potestas ad eas defendendas.

Haec tria ostendit Christus se habere.

19) Ez 34, 2. 20) Mt 23, 2. 21) 1 Petr 2, 18. 22) Ms.: *Hoc.* 23) Io 10, 12-13. 24) Ibid. vr. 15. 25) Cf. 1 Rg 17, 34-36. 26) Io 10, 14-15. 27) Ibid. vrr. 28-30. Vulg.: *Quod maius. Qui maior* lect. cod. Affert ordine inverso. 28) 1 Petr 2, 25. 29) Zach 13, 7. 30) Mt 15, 24.

Agitur etiam de fidelibus sub metaphora ovium.

III. Nec tantum de Christo sub pastoris metaphora, verum etiam de christianis sub metaphora ovium loquitur hodiernum Evangelium: *Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas et cognoscunt me meae,* [31] de quibus paulo post ait: *Oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.* [32] Christianum dicit ovem cognoscentem, obedientem et sequentem pastorem Christum; ovem in primis animal innoxium, mundum, electum a Deo ad sacrificia, hominibus valde utile. Canis etiam cognoscit dominum suum, audit vocem ipsius, sequitur eum, et quidem multo melius quam ovis, et tamen non comparat Dominus christianum cani, qui dominum suum valde diligit eique fidelis est et pro domino vitam etiam periculis exponit; sed ovi comparat. Canis enim animal immundum est, Deo exosum et odibile, animal invidum, iracundum, noxium, mordax, ineptum ad cibum, animal carnivorum ac veluti insatiabile: *Quis ascendet in montem Domini?... Innocens manibus et mundo corde.* [33] Placuit Deo sanctus Iob, quoniam vir erat *simplex et rectus et timens Deum et recedens a malo,* [34] animal simplex, innoxium et pastorem suum sequens. Sic inquit: *Cognosco oves meas et cognoscunt me meae, sicut novit me Pater et ego cognosco Patrem,* [35] hoc est sicut Pater cognoscit me, ita ego cognosco oves meas, et sicut ego cognosco Patrem, ita oves meae cognoscunt me. Est autem cognitio haec cum dilectione.

Sub metaphora ovilis agitur de Ecclesia,

IV. Tandem quoad tertium agitur de Ecclesia, quam Christus veluti definiens ait eam esse unum ovile sub uno pastore: *Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere et vocem meam audient, et erit unum ovile et unus pastor.* [36] Ubi docet Christus Ecclesiam esse unum gregem sub uno pastore, unum corpus sub uno capite, unam domum sub uno patrefamilias, unum exercitum sub uno imperatore, unum regnum sub uno rege, unam stellarum multitudinem sub uno sole, unam Angelorum congregationem sub uno Deo. Sic ab initio Deus unum hominem condidit mundi principem. Una est Ecclesia, sicut una arca Noe, una domus Abrahae, unum Moysi tabernaculum, unum regnum David, unum

quae una est, sicut unum est ovile.

31) Io 10, 14. 32) Ibid. vrr. 27-28. 33) Ps 23, 3-4. 34) Iob 1, 8.
35) Io 10, 15. 36) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Et fiet unum,* etc.

templum Salomonis, una arca testamenti, una civitas Ierusalem, unus populus Dei electus, una scala caeli, quam vidit Iacob,[37] sed semper sub uno. Nam unus Noe rector in arca, unus Abraham paterfamilias in domo, unus Aaron hierarcha ministrorum Dei in tabernaculo Dei, unus Moyses princeps in populo, unus David rex in regno, unus Deus in mundo. Ecclesia Christi veluti media consistit inter synagogam et paradisum, veluti perfecta imago inter primam delineationem et prototypum sive archetypum exemplar. Synagoga fuit Ecclesiae veluti delineata figura: paradisus est prototypum. Synagoga una fuit, unum Dei regnum sub uno principe; paradisus unus est sub uno Deo, sub uno Christo; ita Ecclesia unum ovile sub uno pastore.

Ostendit Christus Ecclesiam esse unum gregem sub uno pastore, hoc est unum regnum sub uno rege; monarchiam esse, eius regimen, principatum, esse monarchicum, qui optimus principatus est, quoniam divinus, Deus enim unus est summus universi princeps et monarcha. Qualis autem Deus in mundo est, talis Christus in Ecclesia est. Sicut autem Deus mundi totius princeps, invisibilis natura cum sit, in hoc mundo visibili visibilem constituit principem, hominem: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur;*[38] sicut etiam in synagoga, quae Dei regnum in Sacris Litteris appellatur, rex invisibilis, Deus, principem visibilem constituit Moysen, visibilem pontificem Aaronem, qui tanquam Dei vicarius Dei vices gereret in populo visibili; ita et Christus, cum regnum Ecclesiae instituisset ac ipsemet tanquam summus princeps rexisset, iturus in caelum et hominibus in terra invisibilis futurus, constituit visibilem in regno visibili principem: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum.*[39] Sic post resurrectionem suam Petro ait semel, iterum et tertio: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.*[40] Sic unius ovilis sui unum pastorem constituit, sicut alibi ait: *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.*[41]

unus grex sub uno pastore, Christo invisibili,

qui iturus in caelum pastorem visibilem, Petrum, constituit,

37) Cf. Gn 28, 12. 38) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Et praesit.* 39) Mt 16, 18-19.
40) Io 21, 15-17. 41) Lc 12, 42. Vulg.: *Fidelis dispensator*, etc.

ut in perpetuum oves pasceret.

Cum autem dicit Dominus unum ovile, intelligit fore hoc ovile perpetuum, nam regnum eius non destruetur; *Regni eius non erit finis;*[42] *Portae inferi non praevalebunt adversus eam; Vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;*[43] *Ut maneat vobiscum in aeternum.*[44] Una igitur fuit semperque eadem futura Ecclesia est usque in finem.

Non periit Ecclesia nec perire potest.

Quomodo igitur periit Ecclesia catholica a tempore Gregorii Magni ad haec usque tempora, et nunc denuo per novos evangelistas renovata est?[45] Fuit olim in Italia civitas celeberrima multis privilegiis ornata, Aquilegia; destructa fuit ab Attila, qui flagellum Dei dictus fuit.[46] Si nunc reaedificaretur, iam non dici posset illa Aquilegia, nec potirentur cives ipsius antiquis illis privilegiis, quae illi ab imperatoribus concessa fuerant, haec enim alia civitas diceretur; ita plane de Ecclesia hac renovata: non est illa Christi Ecclesia.

Christus pastores instituit ad regendam Ecclesiam

V. Non potest, inquiunt novi evangelistae, nisi Christus esse universalis pastor Ecclesiae, quia ipse ait: *Ego sum pastor bonus.* Ipse est caput, ipse fundamentum Ecclesiae.[47] Bene, sed ipse est etiam, ut Petrus ait, episcopus et pastor: ad quid ergo posuit in Ecclesia pastores et doctores? ad quid Episcopos regere Ecclesiam? Ipse est unus magister: ad quid doctores? *Ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto;*[48] ad quid ministri Sacramentorum? Cur non expectamus ut Christus veniat ad docendum et baptizandum? Si tantum a Christo in caelo pascenda regendaque Ecclesia est, ad quid dixit Petro: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*? Num quia Deus est totius mundi Dominus, propterea Adam non potuit divinitus institui veluti Dei vicarius in mundo? Moyses in populo? Aaron in synagoga? David in regno? *Erit unum ovile et unus pastor*, sicut ait: *Ego sum pastor ovium*, idest gubernator summusque princeps, rex regni Dei, quod est Ecclesia, non ab hominibus electus, sed a Deo constitutus: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius,*[48a] qui rex fuit et monarcha.

et vices suas gererent in terra.

42) Ibid. 1, 33. 43) Mt 28, 20. 44) Io 14, 16. 45) Sic Lutherus. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 1, pag. 313. 46) Cf. Marcellinus Comes *Chronicon*. (a. C. 452) (P. L. 51, 928). M. A. Coccius Sabellicus *Enneades Rapsod. Hist.*, t. 2, ennead. 8, lib. 1, pag. 135; Baronius *Annales Ecclesiastici*, (a. C. 452), t. 8, pag. 135. 47) Ita Calvinus. Cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Romano Pontifice*, lib. 1, cp. 9, col. 536; cp. 10, col. 542. 48) Io 1, 33. Vulg.: *Hic est qui baptizat.* 48a) Lc 1, 32.

Sic in Divinis Litteris Sancta Ecclesia regnum Dei semper appellatur, non respublica, qualem faciunt novatores, democraticam, populare regimen, vel aristocratiam, regimen optimatum. Sed ubinam invenerunt novi hi evangelistae in Sacris Litteris democratiam? ubi Episcopos et alios ecclesiasticos magistratus a populo creatos, iudicatos, depositos? In populari nanque regimine summa auctoritas penes populum est, a populo creantur magistratus, a populo iudicantur, a populo leges accipiunt, apud populum accusantur, deponuntur[49] a populo, a magistratu ad populum in conventibus et comitiis fit appellatio. At vero Apostoli et septuagintaduo discipuli non a populo, sed a Christo electi fuerunt,[50] nec Apostoli a populis credentibus leges accepere, sed dedere, *Actuum* 15;[51] Apostoli ipsi per manuum impositionem creabant Episcopos.[52] Paulus *Tito* scribit ut ipse per singulas civitates constituat presbyteros.[53] Nullum democratiae reperitur in Divinis Litteris exemplum. Solum legimus a plebe electos septem diaconos, sed de mandato Apostolorum,[54] qui non a plebe, sed ab Apostolis auctoritatem acceperunt.

Regimen Ecclesiae est monarchicum, non democraticum.

Nec sufficit electio ad democratiam constituendam, nam David electus fuit a populo et tamen fuit verus rex et absolutus princeps; imperator eligebatur a militibus exercitus Romanorum,[55] et tamen verus erat monarcha. Et tamen multitudo fidelium non elegit diaconos, nisi ad praesentandum Apostolis viros a se designatos ad postulandum. Ubi igitur invenerunt hanc democratiam? ubi plebiscita, leges populares in Ecclesia? ubi Episcopi a populis iudicati, excommunicati, depositi? ubi appellationes ab Episcopis ad populum? Proferant aliquod exemplum.

nam populus ius nunquam habuit eligendi Ecclesiae pastores,

Alii aristocratiam faciunt, sed hi quidem volunt summam auctoritatem penes principes saeculares, alii penes Episcopos constituunt. Sed Paulus agens de ecclesiastica hierarchia, principum saecularium nullam penitus mentionem facit, sed *posuit*, inquit, *Deus in Ecclesia* primo *Apostolos*, deinde *Prophetas, alios evangelistas, alios autem pastores et doctores.*[56] Ubi sunt hic reges et principes saeculares? Apostolos Christus, non reges, sed Episcopos creavit, divina

neque aristocraticum, ita ut semper suprema potestas sit penes principes saeculares aut Episcopos.

49) Ms.: *A populo leges accipiunt* repetitur. 50) Cf. Lc 6, 13-16; 10, 1. 51) Cf. vrr. 6-30. 52) Cf. Act 13, 2-4; 1 Tim 4, 14; 2 Tim 1, 6. 53) Cf. 1, 5. 54) Cf. Act 6, 2-6. 55) Cf. Forcellini *Lexicon Totius Latinitatis*, sub voce: *Imperator*. 56) Eph 4, 11. De his haereticorum sententiis cf. S. Bellarminus op. cit., t. 1, *De Romano Pontifice*, lib. 1, cp. 7, col. 520; cp. 8, col. 524.

praeditos auctoritate ad remittenda peccata, ad pascendos regendosque ovium greges, nec regibus sed Episcopis dictum est: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*[57] Principatus ecclesiasticus non est principatus humanus de iure gentium, sicut saecularis, sed divinus est, supernaturalis. Aliud est regis, aliud sacerdotis officium, sicut 2 *Paralipomenon* 19 legimus, ubi Iosaphat rex duo tribunalia manifeste distinguit,[58] et manifestum est quod Ozias rex lepra divinitus percussus fuit, quia sacerdotale officium usurpare voluit sibique arrogare.[59] Et quidem in sacris conciliis nunquam principes saeculares habuere suffragia, nisi tantum Episcopi vel vicarii aut legati Episcoporum.

Sententia Calvini refutatur.

VI. Calvinus Ecclesiam facit aristocratiam, ut penes Episcopos et presbyteros sit summa auctoritas; Episcopos autem omnes pares esse.[60] Bene, sed omnes Ecclesiae particulares faciunt unam universalem, sicut multa membra unum corpus, multae domus unam civitatem, multae civitates unum regnum, multi manipuli et legiones unum exercitum. Episcopi sunt rectores particularium Ecclesiarum: quid erit universalis Ecclesiae? Quomodo *unum ovile et unus pastor*? quomodo dixit Petro, tanquam rex homini, quem proregem instituit: *Tibi dabo claves regni caelorum*? quomodo: *Pasce oves meas?* Neque enim omnibus Apostolis et discipulis dixit: Super vos aedificabo Ecclesiam meam, vobis dabo claves, pascite oves meas, sed uni Petro. Hinc in concilio Petrus: Disposuit Deus *per os meum audire Gentes verbum Evangelii et credere.*[61] Quis non videt quomodo Petrus se universalem pastorem dicit in generali concilio?

Si aristocratica esset Ecclesia, respublica esset miserrima.

Et quidem si aristocratica esset ecclesiastica respublica, omnium esset miserrima. Optimates enim, cum omnes pares sint inter se, non possunt commune bonum, ut par est, administrare, nisi vel congregati sint in magno conventu et concilio, vel aliquem elegerint communi consensu magistratum, cui omnes obediant, quemadmodum romani consules in senatu eligebant.[62] At vero in Ecclesia concilia generalia rarissime coguntur, nam, post Apostolos, primum fuit

57) Act 20, 28. 58) Cf. vrr. 5-10. 59) Cf. ibid. 26, 16-21. 60) Cf. S. Bellarminus l. cit., cp. 1, col. 505. 61) Act 15, 7. 62) Cf. Forcellini op. cit., sub voce: *Consul.*

Nicaenum, trecentis annis post Ierosolymitanum concilium, [63] et in generalibus conciliis nunquam reperitur electus magistratus pro cura universalis Ecclesiae. Quam miseram ergo rempublicam Christus instituit!

absque potestate coercendi malos pastores.

Et si, quemadmodum in qualibet civitate Episcopus caput est presbyterorum, non datur unum caput omnium Episcoporum, quis iudicabit Episcopos ex pastoribus conversos in lupos? Nam Paulus coacto Mileti concilio veluti provinciali Episcoporum Asiae ait: *Scio quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces non parcentes gregi; et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* [64] Quis rabiem horum luporum reprimet? coercebit? Demandasse autem Christum Apostolis curam universalis Ecclesiae, Paulus ostendit de seipso dicens: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* [65] Quod si Paulo hoc incumbebat munus, quanto magis Petro, cui dictum est semel, iterum et tertio: *Pasce oves meas, pasce agnos meos? Erit unus pastor.*

Oves Christi sunt qui eum cognoscunt, audiunt et sequuntur.

VII. Beati qui oves sunt huius ovilis sub hoc pastore! Nam hic locus salutis et vitae est, sicut arca Noe, extra quam non potuit esse salus. [66] Cum autem de [67] ovibus suis tria dicat Christus: sibi praestari cognitionem, obedientiam et sequelam, haec autem multo melius praestentur a canibus, non tamen canes, sed oves Christus requirit; nam canis, licet multas videatur habere bonas qualitates, habet tamen multo plures malas, multa vitia, hinc legimus quod in supremam Ierusalem non intrabit canis, [68] nullum enim vitium poterit in caelum intrare; ovis autem, cum multas habeat bonas qualitates, nullam habet malam, nullum vitium in ea turpe. Talem decet oportetque esse christianum, si salvus esse velit, ovem bonam; nam oves in die iudicii statuet a dextris suis pastor. [69]

Hoc ergo satagendum nobis est, ut verae oves Christi simus.

Sed hoc summopere advertendum, quod non potest esse ovis Christi quisquis non est ovis Petri, nam Petro demandavit Christus curam ovium suarum. Non est ovis Christi quisquis non est ovis huius ovilis sub uno pastore. Sic enim Christus hodie Ecclesiam suam veluti definivit dicens: *Erit unum ovile et unus pastor.* Cui non convenit haec definitio verae Christi Ecclesiae, non potest esse

63) Idest a. 325. Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 54. 64) Act 20, 29-30. 65) 2 Cor 11, 28. 66) Cf. Gn 7, 1 sqq. 67) Ms.: *Ab ovibus*, loco: *De ovibus*. 68) Cf. Apc 22, 15. 69) Cf. Mt 25, 31-33.

vera Ecclesia, quae definita hic a Domino est; sunt etiam in hoc ovili haedi, quos iudex statuet a sinistris.[70] Quare hoc satagendum, ut videat unusquisque, qui intra hoc ovile per veram catholicam fidem continetur, utrum ovis an haedus sit, an Christum pastorem suum agnoscat, audiat, sequatur, sicut bona ovis bonum pastorem.

Loquitur hodie Dominus de vero pastore,

VIII. Loquitur Dominus in hodierno Evangelio de pastore, de mercenario et de lupo.[71] Omnis enim pastor et doctor ecclesiasticus vel bonus simul et verus pastor est vita et doctrina, sicut Christus, vel verus pastor, sed non bonus, qui habet legitimam auctoritatem, sed cum abusu, de quibus olim conquerebatur Deus: *Vae pastoribus Israel!* et de quibus Dominus: *Super cathedram Moysi*, etc. Potest enim esse verus pastor, licet non bonus vita et moribus. Nam si ad hoc, ut quis verus sit pastor requiritur etiam imitatio primi cui succedit, non fuisset Matthias verus Apostolus, nisi etiam proditor fuisset, quoniam proditori apostolo successit. Fuit autem Iudas verus Apostolus, sed malus.[72]

de mercenario et de lupo.

Tandem potest esse pastor et doctor cum malus tum etiam falsus, qualis est haereticus; nam haereticos Paulus dixit lupos rapaces, non parcentes gregi, et Dominus: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sic hodie ait: *Lupus spargit, rapit, dispergit oves; videt lupum venientem.*[73] Falsi prophetae non missi veniebant, auctoritatem munusque et officium docendi et pascendi usurpantes arrogantesque sibi. Tales sunt omnes haeretici, maxime vero Lutherus et Calvinus, omnium qui unquam fuerunt maximi haeretici. Ab his, tamquam rapacissimis lupis, maxime cavendum tamquam a contagiosissima peste.

Appendix.

In hodierno Evangelio quinque de rebus agitur: de pastore, de ovibus, de ovili, de mercenario et de lupo. Bonum autem pastorem necesse est bonos habere canes pro custodia ovilis et ad defensionem ovium, qui lupos furesque arceant. Boni autem canes sunt qui, non solum vigilant latrantque, verum etiam pro pastore et ovibus vitam exponunt.[74]

70) Cf. ibid. 71) Cf. Io 10, 9-14. 72) Cf. Act 1, 15 sqq. 73) Io 10, 12. Affert ordine inverso. 74) Sequenti pagina alba relicta, transit ad Dominicam Tertiam post Pascha.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA

Modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem, etc. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio obscurum problema ac veluti aenigma et praeterea clarum exemplum. Problema obscurum, ad instar aenigmatis Samsonis, [2] est quod ait: *Modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem;* non enim intellexerunt Apostoli quid Dominus diceret, hinc aiunt: *Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me et quia vado ad Patrem?... Quid est hoc quod dicit* nobis *modicum? Nescimus quid loquitur.* [3] En obscurum aenigma, nec nisi obscure a Domino aperitur: *De hoc quaeritis inter vos, quia dixi: Modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me? Amen, dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* [4] Noluit Dominus divini huius aenigmatis mysterium clare et aperte reserare, sed ab ipso eventu, qui mox futurus erat, reserandum reliquit. **Habemus in hodierno Evangelio obscurum aenigma.**

Loquitur enim hic Dominus de mysterio mortis, resurrectionis et ascensionis suae. *Modicum et non videbitis me,* quia moriturus sum post paucas horas; *iterum modicum et videbitis me,* quia surrecturus sum brevi post mortem, et suscitatus, revisurus sum vos **Loquitur Dominus de mysteriis mortis, resurrectionis et ascensionis suae.**

1) Pericope huius diei Io 16, 16-22. 2) Cf. Idc 14, 12-14. 3) Io 16, 17-18. 4) Ibid. vrr. 19-20.

priusquam ascendam ad Patrem, quia ad Patrem vado, ascensurus in caelum sum. *Modicum et non videbitis me,* phrasis est Divinis Litteris admodum familiaris, hinc Isaias 10: *Adhuc enim paululum modicumque et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum;*[5] et 26: *Abscondere modicum ad momentum, donec transeat indignatio;*[6] Osee 1: *Adhuc modicum et visitabo sanguinem Iezrahel;*[7] Aggaei 2: *Adhuc unum modicum et ego commovebo caelum et terram.*[8] Sic paulo ante dixerat Dominus Ioannis 13: *Filioli, adhuc unum modicum vobiscum sum,*[9] et 14: *Adhuc modicum et mundus me iam non videt,*[10] sicut etiam Iudaeis dixerat: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad eum qui misit me.*[11] Indicare igitur voluit Dominus breve tempus vitae suae Apostolis.

Putabant Apostoli Christum in aeternum victurum.

Accidit autem Apostolis hodie quod Iudaeis, quibus cum dixisset Dominus: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*significans qua morte esset moriturus*), responderunt ei: *Nos audivimus ex lege quia Christus manet in aeternum, et quomodo tu dicis: oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?*[12] Divinae nanque Litterae saepe de Christi aeternitate loquuntur: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;*[13] *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur imperium et pacis non erit finis. Super solium David et super regnum eius, ut confirmet illud... amodo et usque in aeternum;*[14] sic: *Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum quod non corrumpetur.*[15]

Ideo non intelligebant quae ipse de morte sua dicebat.

Hac de causa non intelligebant Apostoli quae Christus de sua mox futura morte dicebat. Nam cum apertissimis verbis locutus fuisset de sua passione et morte, ait Lucas quod *ipsi nihil horum intellexerunt et erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur,*[16] profecto quia imbuti erant firma opinione et fide de Christi aeternitate, tot Prophetarum oraculis praedicta, non rite intellectis oraculis Prophetarum. Licet autem saepe

5) Vr. 25. 6) Vr. 20 7) Vr. 4. 8) Vr. 7. 9) Vr. 33. 10) Vr. 19. 11) Ibid. 7, 33. 12) Ibid. 12, 32-34. 13) Ps 109, 4. 14) Is 9, 6-7. Vulg.: *Usque in sempiternum.* 15) Dn 7, 14. 16) 18, 34.

etiam loquantur Divinae Litterae de Christi passione et morte, oracula haec nec intelligebant nec credebant Iudaei, imo nec ipsi Apostoli, quamdiu humano spiritu pleni fuerunt, ante Spiritus Sancti perceptionem.

II. Tales sunt haeretici: volunt ut Divinae Litterae suis affectibus serviant; quae suo ingenio consona sunt facile credunt, admittunt, intelligunt, quia volunt; quae autem nolunt quaeque suo ipsorum repugnant sensui, non capiunt, non intelligunt. Sic quae volunt intelligunt, quae nolunt non intelligunt Sacrasque Litteras suis affectibus servire cogunt; amplectuntur quam avide quae in laudem fidei dicuntur, quae vero in laudem operum et ceterarum virtutum, non item, quasi haec illis repugnent, sicut mors Christi aeternitati ipsius, cum tamen credendum sit. Quoniam igitur mors Christi valde repugnabat sensui Apostolorum, capere eam non poterant.

Tales sunt etiam haeretici, qui tantum credunt quae suo ingenio consona sunt;

Cum igitur Apostoli ex Divinis Litteris imbuti essent Christi aeternitate, non poterant capere vitae Christi exiguam brevitatem. Repugnat enim temporis brevitas aeternitati, sicut parvitas infinitae magnitudini summaeque altitudini humilitas. Reperitur autem in ipsa universi natura quaedam consonantia inter magnitudinem molis et longitudinem temporis. Nam in plantis, cum arbores herbis mole maiores sint, tempore vivunt longiori, et arbores proceriores, quercus, pinus, palma, aliis diutius vivunt. In avibus diutius vivit aquila quam passer, in animalibus bos quam ovis, equus quam canis, leo quam cuniculus, cervus quam lepus. Ita in caelo luna cursum suum uno peragit mense, sol autem nonnisi uno anno; inter supercaelestes et spirituales substantias Deus, spiritus optimus maximus, natura infinitus. Christus autem aequalis est Deo, infinitae ergo magnitudinis, ergo infinitae etiam aetatis, ergo vere aeternus. Sed sicut Deus homo factus, cum natura esset maximus, factus est parvus, nam: *Parvulus natus est nobis;* [17] *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit,* etc., [18] ita aeternus cum esset, factus est temporalis, factus mortalis, et ideo ait: *Modicum et non videbitis me.*

ita Apostoli imbuti Christi aeternitate, capere non poterant illius vitae brevitatem,

qui, utpote verus Deus, aeternus esse debet.

17) Is 9, 6. 18) Phil 2, 6-7.

Modicum. Variae sunt interpretationes huius vocis.

III. Cum autem habeamus in hodierno Evangelio tam obscurum aenigma, quod nec Apostoli intellexerunt, nec Christus aperte explicavit, sed mox futuro eventui explicandum reliquit, nec adhuc post eventum satis intellectum est - nam hi quidem per *modicum* prius intelligunt tempus usque ad mortem, per posterius usque ad resurrectionem, ut fere omnes Graeci auctores,[19] quod etiam Augustino videtur probabile;[20] alii vero per prius *modicum* intelligunt tempus usque ad Christi ascensionem, per posterius usque ad diem iudicii, quia sequitur: *Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis,*[21] hoc autem Augustino,[22] quem Beda sequitur,[23] multo videtur probabilius, alii aliis modis intelligunt - quare hic vellem ut dicerent mihi novatores ubinam sit illa ipsorum tam magna Divinarum Scripturarum facilitas et luculenta claritas, cuius causa nonnisi ipsam Scripturam ad controversias componendas dirimendasque iudicem admittunt.

Difficile explicatu hoc aenigma ob dogmata quae continet

Est autem aenigma hoc duplici ex capite difficile: priori quidem ratione dogmatum et doctrinae, nam continet Christi mortem, resurrectionem et ascensionem; posteriori propter modum dicendi obscurum; non enim claris apertisque verbis usus est, dicens: post modicum tempus moriturus sum iterumque surrecturus et ascensurus in caelum, sed: *Modicum et non videbitis me, quia vado ad Patrem,* quia discessurus sum. Sic ex duplici hoc capite multae sunt in Divinis Litteris ac pene innumerabiles et inexplicabiles difficultates, propter dogmata et mysteria altissima, ab humanis sensibus remotissima, qualia sunt mysterium Trinitatis, praedestinationis, creationis mundi, incarnationis Verbi aliaque pietatis nostrae mysteria.

19) Cf. S. Io. Chrysostomus *Comment. in Ioannem.* (P. G. 79, 426-427); Theodorus Mopsuestenus *Comment. in Evang. Ioannis*, cp. 13, ibid. 66, 774; S. Cyrillus Alex. *Comment. in Ioannem*, ibid. 74, 454; Theophylactus *Enarrat. in Evang. Ioannis*, ibid. 123, 215; Euthymius Zigabenus *Comment. in Ioannem*, ibid. 128, 1430. 20) Cf. *In Ioannem*, tract. 101, (P. L. 35, 1893-1895). 21) Io 16, 22. Cf. Alcuinus *Comment. in Ioannem*, part. 2, lib. 6, cp. 38, (P. L. 100, 954-955); Haymo *Homiliae de Tempore*, hom. 85, ibid. 118, 508 511; Rodulphus Ardens *Homiliae in Evang.*, part. 1, hom. 59, ibid. 155, 1881-1882. 22) Cf. *In Ioannem*, tract. 101, ibid. 33, 1894-1895. 23) Cf. *In S. Io. Evangelium Exposit.*, ibid. 92, 863-865.

Itemque propter modum dicendi. Non enim semper clare et apertis propriisque verbis tradit divina mysteria, sed saepe utitur obscuris formis dicendi, tropis, figuris, metaphoris, phrasibus hebraicae linguae propriis, utitur hyperbatis, ironiis, abundat Divina Scriptura aequivocis ambiguisque verbis, ita ut saepe Sybillarum folia legere videamur.

et modum dicendi obscurum.

Nunc dico: quomodo Divina Scriptura est tam clara, tam aperta, tam facilis in rebus quae docet et tradit? Quid ergo? tam facile est tractare de Deo, de Trinitate, de Angelis, de iustificatione, de gratia, de gloria? Philosophis metaphysica est difficillima, quoniam de Deo tractat et de intelligentiis motricibus corpora caelestia; et theologia erit facillima? Scientia etiam de anima hominis difficillima habetur in philosophia, quoniam natura ipsius animae, cum spiritualis sit et invisibilis, nonnisi difficillime cognosci potest; et scientia de Angelis erit tam facilis?

Sic etiam Divina Scriptura non facilis est in rebus quae docet.

Sed facilis erit quoad modum, quia divina mysteria claris, luculentis apertisque verbis facillimisque sententiis tradit. Bene, sed notissimum est quod antiqua philosophia difficillima habebatur, quoniam metro et carminibus sub metaphoris et allegoriis, obscuris verbis tradebatur. Hinc P l a t o reliquit metrum et soluta oratione tradidit philosophiam, allegoria semota et obscuritate. A r i s t o t e l e s, post Platonem, etiam allegoriam reliquit docuitque philosophiam sine metro et sine allegoria, obscuritate tantum servata in soluta oratione, et adhuc difficillima habetur ipsius doctrina in naturalibus dogmatibus, hinc s e p i a appellatus est effundens atramentum.[24] Quomodo ergo tam facilis erit Divina Scriptura, quae, sicut antiqua philosophia, magna ex parte carmine conscripta est, cum frequentissimis allegoriis et magna obscuritate? Hinc R e g i u s V a t e s ait: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones*, graece, *problemata*, hebraice *chidoth*, aenigmata, *ab initio*.[25]

magna enim ex parte carmine conscripta est, cum frequentissimis allegoriis et magna obscuritate;

Aiunt faciles esse Divinas Scripturas fidelibus et humilibus, infidelibus autem et superbis difficiles,[26] sicut P a u l u s 2 *Co-*

24) Cf. M. Nizolius Brixellensis *De Veris Principiis*, pag. 13; A Lapide *Comment. in Quattuor Evangelia, Cronotaxis annorum et gestorum Christi*, can. 25, tit. 1. 25) Ps 77, (hebr. 78), 2. 26) Lutherus. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 350; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1. *De Verbo Dei*, lib. 3, cp. 1, col. 127.

unde falsum est quod novatores dicunt de facili intelligentia Scripturae.

rinthiis 4 ait quod, si *opertum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat [illis] illuminatio Evangelii gloriae Christi;* [27] sicut etiam Christus ait: *Confiteor tibi Pater... quia abscondisti haec a sapientibus*, etc. [28] Sed mitto quod Paulus ibi non loquitur de intelligentia Scripturarum, sed de cognitione mysteriorum fidei christianae, puta incarnationis, nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis, ascensionis et aliorum, quae sub veteri lege non erant aperta et clara, sed veluti operta sub velo figurarum; nunc autem omnibus credentibus manifestissima sunt et iis tantum qui, cum propter pravos affectus oculos mentis obcaecatos habeant ut credere nolint, sint abscondita.

nam ipsamet documenta praebet de difficultate interpretationis;

Dicant mihi: si tam aperta Divina Scriptura est, quomodo eunuchus, qui nec infidelis nec superbus erat, cum legeret Isaiam, intelligere non poterat? [29] Quomodo Regius Vates: *Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua? Da mihi intellectum ut sciam testimonia tua?* [30] Quomodo Isaias dixit Divinam Scripturam librum esse signatum? [31] Quid opus fuit ut Christus Apostolis aperiret *sensum ut intelligerent Scripturas*? [32] Ut quid Paulus inter dona Spiritus Sancti ponit interpretationem sermonum? [33] nec tamen omnibus dari asserit, sicut nec omnibus genera linguarum, gratia curationum et miraculorum? Quid opus fuit ponere in Ecclesia pastores et doctores usque in finem saeculi?

si facilis esset, tantorum commentariorum opus non fuisset.

Sed ad evertendam auctoritatem Sanctorum Doctorum, sacrorum conciliorum Romanae Ecclesiae et Summi Pontificis, qui vices Christi gerit in terra, contra propriam etiam conscientiam, novatores hunc sibi sunt fabricati errorem. Nam si tam facilis, tamque aperta eis est Divina Scriptura, ad quid tot expositores? tot interpretationes et variae versiones? Unde apud eos tot lites et controversiae in mysteriis fidei? unde tam diversae sententiae de iustificatione?

IV. Sed mittamus hominum insanias. Apostoli hodie non intellexerunt hoc Christi aenigma. Cum enim Christus, sicut etiam sae-

27) Vr. 3. 28) Mt 11, 25; Lc 10, 21. 29) Cf. Act 8, 27-31. 30) Ps 118, 18. 125. 31) Cf. 29, 11. 32) Lc 24, 45. 33) Cf. 1 Cor 12, 10.

Aenigmatica verba Christi Apostoli non intelligebant.

pissime in Divinis Litteris Spiritus Sanctus, nunc simplicibus verbis, nunc figuratis loqueretur, ut in parabolis, nesciebant Apostoli, audita proprietate verborum, essentne simpliciter an figurate intelligenda. Hinc enim multi sunt nati errores, quoniam saepe, quando simpliciter intelligenda sunt, figurate accipiuntur, qualis fuit Origenis error de paradiso;[34] e contra vero, saepe quae figurate intelligenda sunt, simpliciter intelliguntur, qualis fuit error Chiliastarum, qui quae in *Apocalypsi* de suprema civitate Ierusalem figurate dicta sunt, simpliciter dicta intellexerunt.[35] Hinc enim vel maxime oritur in Divinis Litteris difficultas.

ideo ab eo expositionem quaerunt, sicut saepe faciebant

Imitandi sunt autem nobis Apostoli, qui, cum non intelligerent divina Christi verba, perquirebant et intelligere satagebant.[36] Quaerebant expositionem, utique a Christo, non ex proprio capite, nam ut Petrus ait: *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit;* non *enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*[37] Sic saepe ad Christum recurrebant Apostoli ut eis parabolas declararet.[38] Sic olim Hebraei in dubiis legis ad Moysen recurrebant; sic *Deuteronomii* 17 iussit ut in dubiis legis summum sacerdotem adirent et sub mortis interminatione, iudicio et declarationi[39] legis ab ipso allatae starent.[40] Sic Salomon *Ecclesiastae* 12 iubet standum esse iis quae a pastore uno per magistrorum consilium data sunt nihilque amplius requirendum.[41] Sic 2 *Paralipomenon* 19 Amasias pontifex iudex ostenditur in dubiis legis et in iis quae ad Deum pertinent.[42] Sic Deus ipse, Malachiae 2, ait: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, Angelus enim Domini exercituum est.*[43] Sic Paulus ad Apostolos abiit, Petrum, Iacobum et Ioannem, et cum eis contulit Evangelium, ne in vanum praedicasset, *Galatarum* 2;[44] sic orta dubitatione, an servanda esset christianis lex Moysi, Petrus in concilio sententiam definitivam tulit, quam universa Ecclesia acceptavit,[45] quoniam ipsi Dominus ovile

et deinceps ab ipsismet factum fuit inter se conferentes.

34) Cf. *De Principiis* (Periarcon), lib. 4, (P. G. 11, 375-378); *Contra Celsum*. lib. 4, col. 1090; *Comment. in Genesim*, ibid. 12, 99. 35) Cf. Corn. a Lapide *Comment. in Apocalypsim*, cp. 20, 2. 5, et fusius A. Calmet, *Comment. in Apocalypsim*, cp. 20, 5. 36) Cf. Io 16, 17-19. 37) 2 Petr 1, 20-21. 38) Cf. Mt 13, 36; 15, 15; Mc 4, 34; 7, 17. 39) Ms.: *Declarationis*. 40) Cf. vrr. 8-13. 41) Cf. vr. 11. 42) Cf. vr. 11. 43) Vr. 7. 44) Cf. vrr. 1-9. 45) Cf. Act 15, 7-31.

Ecclesiae commendavit dicens: *Pasce oves meas,*[46] ipsi claves regni caelorum dedit.[47]

Si hoc semper fieret, de haeresibus actum esset.

Hoc si, ut par est, teneretur, actum esset de omnibus haeresibus Hinc autem oborta sunt infinita haeresum monstra et portenta, quoniam unusquisque ex suo capite vult Divinas Litteras interpretari et inde pro suo arbitrio dogmata fidei fabricare, non captivare intellectum suum in obsequium Christi,[48] sed ad suum sensum per vim Divinas Litteras trahere et, ut suis affectibus serviant, per summam iniuriam cogere. Hoc enim proprium semper fuit omnium haereticorum.

In hodierno Evangelio a Christo habemus etiam exemplum,

V. Sed opere pretium est nonnihil etiam de exemplo dicamus. Nam quae de aenigmate dicta sunt, ad intellectum spectant, quae autem de exemplo proponuntur, pertinent ad affectum. Aenigma est veluti liber legis in arca reconditus,[49] exemplum tanquam virga Aaron, quae, cum miraculo fructificasset, ibidem collocata fuit.[50] Duas tabulas Moyses collocavit in arca, quoniam duos veluti divinae cognitionis, quae vera sapientia est, libros habemus: alter est liber philosophiae in contemplatione naturalium, alter theologiae in cognitione supernaturalium. Non quisquis naturalia videt, caelum, elementa mixta, philosophus est, sed qui naturas, proprietates, causas effectuum novit. Ita non quisquis Sacras Litteras legit theologus est, sed qui intelligit. Cognitio autem divinorum mysteriorum ad operationem tendit, cognitio Dei ad amorem ordinata est, cognitio caelestium ad desiderium, alioquin *scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi.*[51]

idest mulieris parturientis,

Age, nunc igitur videamus exemplum. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit filium, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.*[52] Hoc eodem exemplo usus est Isaias capite 26 dicens: *Sicut quae concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine; conce-*

46) Io 21, 17. 47) Cf. Mt 16, 19. 48) Cf. 2 Cor 10, 5. 49) Cf. Ex 25, 16. 25; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 50) Cf. Nm 17, 8-11; Hebr 9, 4. 51) Iac 4, 17. 52) Io 16, 21. Vulg.: *Pepererit puerum,* etc.

pimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum salutis.[53] Ante quae verba veluti aenigmata quoddam posuit Divinus Vates: *Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.*[54] Quidnam est *in tribulatione murmuris doctrina tua eis?* Hebraice est: *Effundunt precationem cum disciplina tua eis,* sive effusio precationis disciplina tua eis, nempe in causa est.

quo frequenter utitur Scriptura ad exprimendam gravem tribulationem

Quod autem ad exemplum spectat, frequenter in Divinis Litteris usurpatur ad exprimendam gravem tribulationem, ad quam levandam nullum humanum remedium adhiberi potest. Nam Rachelem legimus partus dolore extinctam[55] et nurum Heli sacerdotis, uxorem Phinees,[56] quoniam parturientibus nullum adhiberi potest remedium. Hinc Moyses *Deuteronomii* 2 ait de gentibus chananaeis: *In morem parturientium contremiscant et dolore teneantur.*[57] Hinc Regius Vates: *Ibi dolores ut parturientis in spiritu vehementi.*[58] Et hac similitudine frequenter usi sunt Prophetae,[59] maxime vero Ieremias de captivitate babylonica et vastatione Iudaeorum vaticinans.[60]

et ad designandas Ecclesiae afflictiones.

Aliquando etiam ad divina transfertur, ut Isaias 42: *Tacui semper, silui, patiens fui; ut parturiens loquar,*[61] sive clamabo, non utcumque, sed quo fortius potero, ut solent parturientes. Aliquando vero similitudine hac Ecclesiae tribulatio designatur. Hinc *Apocalypsi* 12 legimus de caelesti muliere, quod *clamabat parturiens et cruciabatur ut pariat.*[61a] Loquitur autem non de Christi nativitate ad vitam mortalem, sed ad immortalem, nam Christi resurrectio veluti secunda quaedam nativitas fuit, Paulus enim *Actuum* 13 de Christi resurrectione interpretatus videtur illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;*[62] dicitur nanque quod cum mulier peperisset, *raptus est filius eius ad Deum et ad thronum eius.*[63] Quare exprimitur ibi Ecclesiae tribulatio, vel maxime in tempore passionis et mortis Christi, sicut in hodierno Evangelio dicitur.

Hoc autem exemplo Dominus multa expressit, praecipue vero in electis suis duos status, nempe vitae praesentis et futurae, sicut

53) Vrr. 17-18. Sic legitur in codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 54) Ibid. vr. 16. 55) Cf. Gn 35, 16-19. 56) Cf. 1 Rg 4, 19 sqq. 57) Vr. 25. 58) Ps 47, 7-8. 59) Cf. Is 13, 8; 21, 3; Os 13, 3; Mich 4, 9. 60) Cf. 6. 24; 13, 21; 22, 23; 49, 24; 50, 43. 61) Vr. 14. 61a) Vr. 2. 62) Vr. 33. Ex Ps 2, 7. 63) Apc 12, 5.

Hoc exemplo Christus designavit in electis suis duos status.

alibi: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet,* etc.; *Qui amat animam suam perdet eam, qui autem odit animam suam propter me, in vitam aeternam custodit eam.* [64] Sic de seipso: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;* [65] sic Paulus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* [66] sicut mulier per partus dolores in gaudium nati filii; sic Regius Vates: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos;* nam *qui seminant in lacrimis in exultatione metent.* [67] Designatur autem brevitas tribulationis et longitudo consolationis et gaudii, nam, ut Paulus ait: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis;* [68] et per Isaiam 54: *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* [69] Ita in hodierno Evangelio dicitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* [70] Vitam igitur fidelium suorum in praesenti saeculo Dominus comparat tempori partus, quo mulier magnis doloribus angitur; vitam vero futuram tempori laetitiae post partum, cum *non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.*

significat autem brevitatem tribulationis et longitudinem gaudii.

et etiam duplicem statum mundi: gaudii praesentis et miseriae futurae.

Verum etiam assignat duplicem statum mundi: statum gaudii et statum miseriae: *Mundus gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium;* [71] ubi intelligendum reliquit quod etiam gaudium mundi in tristitiam vertetur, sicut in exemplo epulonis et Lazari manifeste docuerat. [72] Praesens mundi vita comparatur mulieri concipienti; quam brevis est illa voluptas! At vero vita futura mulieri parturienti, cuius cruciatus est multo diuturnior multoque vehementior: *Ibi dolores ut parturientis; Ecce,* inquit, *parturiit iniustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem, Psalmo 7;* [73] et Isaiae 59: *Conceperunt laborem, pepererunt iniqui-*

64) Io 12, 24-25. 65) Lc 24, 26. 66) Act 14, 21. 67) Ps 125, 5. Affert ordine inverso. 68) 2 Cor 4, 17. 69) Vrr. 7-8. 70) Io 16, 20. 22. 71) Ibid. vr. 20. 72) Cf. Lc 16, 19 sqq. 73) Vr. 15.

tatem;[74] dum improborum vita describitur, conceptus tantum et partus fit mentio, sed prius conceptus cum voluptate, postea partus cum dolore; cum autem describitur vita fidelium, prius ponitur dolor partus, postea gaudium ob natum filium.

Sicut autem idem filius, qui prius causa doloris fuit, postea causa gaudii est, ita idem Christus fidelibus suis, idem Spiritus Sanctus, eadem virtus, quae radices habet amaras, fructus autem suavissimos, in praesenti saeculo causa tristitiae est, in futuro autem aeternae causa laetitiae. Et, e contra, sicut quod causa voluptatis in conceptu fuit, est in partu causa doloris, ita quod in hoc mundo causa fuit laetitiae, erit in inferno aeternae causa tristitiae absque ullo remedio. Hinc Ieremias 30 ait: *Insanabilis fractura tua;*[75] et Ieremias 15: *Plaga mea desperabilis noluit curari, facta est mihi in mendacium aquarum infidelium,*[76] idest aquarum non permanentium, quales sunt aquae venae inexiccabilis fontis, sed aquas infideles atque mendaces dicit, quae facile siccantur et deficiunt, quales sunt artificialium fontium, quae facile deficiunt, unde tunc fons nullum praestat ad levandam sitim remedium. Sic brevissimum fuit Iudaeorum de Christi passione et morte gaudium; sed post brevem laetitiam perpetua subsecuta tristitia est.

Sic virtus in praesenti causa est afflictionis, in futuro aeterni gaudii;

vitium e contra.

Omnis autem homo vel de mundo est, de quo dicitur: *Mundus gaudebit;* vel de collegio fidelium Christi, quibus dicitur: *Vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Illi sunt sicut profanus Esau, qui propter unam escam perdidit primitiva sua amisitque perpetuam hereditatem et benedictionem; hi autem sunt Iacob, qui propter acquirendam perpetuam hereditatem libenter dedit edulium et brevi illa voluptate carere voluit.[77]

VI. *Modicum*[78] *et non videbitis me,* etc. Hodiernum Evangelium pericope quidem est Divinarum Scripturarum, sed virtute continet fere quidquid in Divinis Litteris continetur. Nam quidquid in Divinis Litteris continetur vel spectat ad sapientiam vel ad iustitiam, vel ad instruendum intellectum vel ad movendum affectum, vel ad

Breve hodiernum Evangelium fere omnia continet quae traduntur in Scriptura.

74) Vr. 4. 75) Vr. 12. Ms.: *Isaias.* 76) Vr. 18. Vulg.: *Quasi mendacium,* etc.
77) Cf. Gn 25, 29 ssq.; Hebr 12, 16. 78) Stylo latiori.

fidei theoriam vel ad praxim operum et morum compositionem, vel ad praesentem vitam vel ad futuram. Et quaecumque in Sacris Litteris traduntur, vel traduntur sub obscuris aenigmatibus vel sub claris exemplis et verbis luculentis. Hoc enim est quod Moyses nunc velata nunc vero revelata facie loquebatur,[79] et Deus nunc in obscura nunc in lucida nube apparebat populo seseque populo spectandum praestabat.[80] Ita habemus in hodierno Evangelio aenigma obscurum, in quo traduntur mysteria fidei, et clarum exemplum, in quo traditur norma vitae praesentis et praeostenditur forma futurae.

BREVIS ALLOCUTIO [1]

Valde obscurum sed etiam clarum est hodiernum Evangelium.

Est hodiernum Evangelium sicut imago depicta factaque ex obscuris clarisque coloribus. Nam quod ait: *Modicum et non videbitis me,* obscurum est: *Quid est hoc?* etc.;[2] cum autem ait: *Plorabitis et flebitis vos,* sive, ut graece est, *lamentabimini, mundus autem gaudebit*[3] declaratque exemplo mulieris parturientis,[4] clarum est. Columna nubis posita inter duos exercitus Hebraeorum et Aegyptiorum ex claro et obscuro composita fuit,[5] itemque nubes in qua descendit Deus ad dandam legem.[6] Prima etiam dies saeculi ex obscuro et claro mirabiliter composita fuit, nam: *Tenebrae erant super faciem abyssi. Et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux,*[7] quae tenebras illuminavit.

Quod spectat ad obscurum, videtur esse hodiernum Evangelium liber clausus apud Isaiam, quem neque docti neque indocti legere potuerunt;[8] imo liber signatus septem sigillis in *Apocalypsi,* quem tamen Agnus aperuit;[9] ita hodie Christus declarat obscuritatem. Facit sicut Moyses, qui admiranti populo et quaerenti

79) Cf. Ex 34, 29 sqq. 80) Cf. ibid. 19, 16 sqq.; Nm 9, sqq.; Dt 1, 33; 5, 22; 31, 15-16.

1) Stylo valde latiori exarata. 2) Io 16, 16-17. 3) Ibid. vr. 20. 4) Cf. ibid. vr. 21. 5) Cf. Ex 13, 21 sq. 6) Cf. ibid. 19, 16 sqq. 7) Gn 1, 2-3. 8) Cf. 29, 11-12. 9) Cf. 5, 1-9.

quidnam esset manna, declaravit panem a Deo datum esse: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* [10]

Sed quaenam, quaeso, est imago haec ex claro et obscuro depicta? cuius rei imago est? Imago est mundi huius, qui ex contrariis compositus est, terra et caelo, aqua et igne, luce et tenebris, die et nocte, aestate et hieme, calore et rigore, bonis et malis: *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Est mundus hic veluti quaedam tragicomoedia, nam hi quidem cum luctu, alii vero cum laetitia finiunt: *Tristitia vestra vertetur in gaudium,* sicut tristitia mulieris parturientis. [11] Sic semper ab initio saeculi cernimus mundum hunc tragicomoediam esse, quam Dominus ad vivum expressit in historia epulonis. [12] Qui mali sunt, ut plurimum, bonis mundi huius fruuntur; qui vero boni, malis premuntur.

exhibet enim imaginem mundi.

ubi alii cum luctu, alii cum laetitia finiunt.

At non ita erit semper; mutandae sunt vices, sicut cernimus in hoc mundo in duobus oppositis hemisphaeriis; cum enim in uno est dies, in altero nox est, et e contra. Sed non potest esse in uno perpetuus dies et in altero perpetua nox, propter continuum motum solis; qui in nocte sunt, diem expectant: *Rursum post tenebras spero lucem.* [13] Ab initio ita videmus in Abele et Caino, [14] in Abraham et Nemrod, [15] in Isaac et Ismaele, [16] in Iacob et Esau, [17] in populo hebraico et aegyptio, in Pharaone et Moyse, [18] in Saul et David, [19] in Mardochaeo et Aman, [20] in Elia et Iezabele. [21] Hoc ostendit Divina Scriptura in abundantia et fame Aegypti, [22] hoc ostendit Dominus in exemplo hodierno. Mulier enim, post voluptatem conceptus, expectat dolores partus; at post dolorem partus expectat gaudium nati pueri. Hoc docuit Dominus apud Lucam: *Beati pauperes, quia vestrum,* etc.; *beati qui lugetis nunc, beati qui esuritis nunc,* etc.; et, e contra: *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationes vestras! Vae vobis, qui ridetis! qui saturati estis!* [23] Sicut autem tragicomoedia brevi durat, ita ait Dominus: *Modicum,* etc. Voluit Do-

Sed sic semper non erit, scenae mutabuntur,

sicut ostendit Christus exemplo hodierno.

10) Ex 16, 15. 11) Cf. Io 16, 21. 12) Cf. Lc 16, 19 sqq. 13) Iob 17, 12. 14) Cf. Gn 4, 3-8. 15) Cf. ibid. 10, 8-10; 12, 17. 16) Cf. ibid. 21, 1-13. 17) Cf. ibid. 25, 22 sqq. 18) Cf. Ex 14, 1 sqq. 19) Cf. 1 Rg 16, 1 sqq. 20) Cf. Est 7, 1 sqq. 21) Cf. 4 Rg 2, 1-11; 9, 30 sqq. 22) Cf. Gn 41, 1 sqq. 23) 6, 20-25. Affert ordine inverso.

minus eamdem ingredi viam: *Oportuit pati Christum*,[24] per desertum ingredi in terram promissam; hinc loquitur de sua passione. Sed hoc *modicum* nos capere non possumus brevitatem vitae.

24) Ibid. 24, 26.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA [1]

Vado ad eum qui misit me et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia haec, etc. [2]

I. Consolatur Dominus hodie Apostolos suos et promissione Spiritus Sancti eorum corda demulcet: *Quia*, inquit, *haec locutus sum vobis*, nempe de meo discessu, *tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* [3]

Christus consolatur Apostolos promissione Spiritus Sancti,

Agit Dominus cum Apostolis quod Moyses egit cum Hebraeis, quando amarissimas aquas Mara dulces eis reddidit, [4] et sicut Eliseus cum filiis prophetarum, cum amarissimas herbas in olla dulces fecit, [5] sicut Deus cum electis suis manna de caelo in deserto pluit. [6] Proprium Dei est consolari afflictos, hinc appellatur *pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* [7] Paterno affectu Dominus Apostolos alloquitur, sicut paulo ante dixerat: *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos,* [8] cum etiam Spiritum Sanctum promisisset dicens: *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* [9]

Sic ostendit hodie Evangelium Christum erga electos suos paterna gestare viscera, paternum pectus. Sic enim Marci 10 Apostolos filiolos appellavit dicens: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* [10] et Ioannis 13: *Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum sum.* [11] Est autem Christi

patrem agens erga carissimos filios,

1) In codice quinque priores paginae huius homiliae scriptae lineam transversam oblique ductam exhibent, eas veluti cancellantes. Hoc non obstante, homiliam transcripsimus prouti in codice legitur. 2) Pericope huius diei Io 16, 5-14. Cf. Missale Rom. 3) Io 16, 6-7. 4) Cf. Ex 15, 23-25. 5) Cf. 4 Rg 4, 38-41. 6) Cf. Ex 16, 13 sqq. 7) 2 Cor 1, 3-4. 8) Io 14, 18. 9) Ibid. vrr. 16-17. 10) Vr. 24. 11) Vr. 33.

[amor] erga electos suos paternus potius quam maternus. Hinc legimus *Canticorum* 1 iuxta hebraicum: *Meliores sunt amores tui vino.*[12] Divinum nanque amorem Spiritus Sanctus vino praestantissimo et fortissimo comparat; nam: *Fortis est ut mors dilectio,*[13] hoc est amore nil fortius reperiri potest, est enim insuperabilis, sicut mors, quae nulla vi creata superari potest in mundo. Ponitur autem effectus divini huius amoris, nempe consolatio; hinc ibidem legimus: *Ad odorem unguentorum tuorum bonorum,* nam *unguentum effusionis,* idest odoratissimum, *nomen tuum,* nisi, deficiente littera *nun,* sit *scemecha* pro *scemanecha, unguentum tuum; ideo adolescentulae dilexerunt te.*[14] Suavis odor animum mirum in modum recreat ac refocillat.

et tres illius effectus singulariter ostendit.

Consolatur autem Dominus Apostolos promissione Spiritus Sancti ostenditque effectus ipsius in eis. Singulariter vero tres effectus: primus est: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio;*[15] secundus est: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* tertius autem est: *Ille me clarificabit, quia de meo acccipiet et annunciabit vobis.*[16] Vincet mundum sicut ego satanam vici, perficiet vos cognitione supernaturalium divinorumque mysteriorum et gloriam meam in mundo longe lateque propagabit; propterea ait: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet.*

Elucet hic paternus Christi affectus et providentia erga suos,

II. Ut autem summatim aliquid dicamus, habemus in hodierno Evangelio a Christo consolationem et eruditionem. Consolationem ex duplici capite: ex paterno Christi erga suos affectu et caritate, itemque ex paterna providentia, qua quidquid operatur, ad nostram utilitatem operatur: *Expedit,* inquit, *vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Veluti personam induit patris hodie Christus, qui veluti in Indias ac, ut aiunt, [in] novum mundum navigaturus divitiarum conquirendarum gratia pro filiis suis, ante discessum, familiam suam consolatur: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero,* vos pauperes semper eritis; *si autem abiero,* mittam inde vobis copiosas divitias ingentesque thesauros.

12) Vr. 1. 13) Ibid. 8, 6. 14) Ibid. 1, 2-3. Affert ordine inverso. 15) Io 16, 8.
16) Ibid. vrr. 13-14.

Utrumque horum capitum magnam continet consolationem: tum paterna caritas tum providentia, nam ex duobus hisce fontibus derivat omne bonum, quod vel in mundo, vel in Ecclesia, vel in paradiso ipso reperitur. Deus enim omnia ex caritate operatus est ad nostram utilitatem. Eruditio autem et instructio multa complectitur pietatis nostrae dogmata.

habemus etiam eruditionem, quae multa complectitur dogmata,

Vado ad eum qui misit me, hoc illud est: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* [17] *A summo caelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius.* [18] Docet mysteria divinitatis suae, adventus in mundum, ascensionis in caelum.

tradit enim mysteria divinitatis suae

Nec tantum tradit mysteria divinae personae suae, verum etiam Spiritus Sancti, dum ait: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ostenditur divinitas Spiritus Sancti, contra Macedonium, qui asserebat Spiritum Sanctum creaturam esse. [19] Non enim expediens fuisset Christi veri Dei discessus, ut Spiritus Sanctus veniret, nisi etiam Spiritus Sanctus, sicut et Christus, verus Deus esset. Et hoc etiam ad nostram consolationem spectat. Demonstrantur enim omnes Divinae Trinitatis Personae in operatione salutis nostrae, ut ita dicam, occupatae: Pater mittendo Filium, Filius obediendo Patri, veniendo in mundum et multa operando ac tandem ascendendo in caelum et mittendo Spiritum Sanctum; ipse etiam Spiritus Sanctus veniendo, ditando donis suis Ecclesiam, arguendo mundum, docendo veritatem, clarificando Christum.

et Spiritus Sancti,

Nec tantum divinitas Spiritus Sancti ostenditur, verum etiam origo: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quoniam caelum Dei locus ab omnibus existimatur, Spiritus Sanctus, tamquam verus Deus, in summo caelo, quo Christus iturus erat, collocatur.

cuius ostendit originem a Patre

Quoniam vero non tantum a Patre, verum etiam a Filio procedit, propterea ab ipso Filio mittendus dicitur: *Ego mittam vobis.* Sicut enim Filius propterea missus a Patre dicitur, quia a Patre procedit, ita etiam Spiritus Sanctus a Filio eamdem ob causam mitti dicitur. Hinc etiam ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et*

et Filio.

17) Ibid. vr. 28. 18) Ps 18, 7. 19) Cf. S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 52, (P. L. 42, 39); Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 58. 62-85. 705. 1461.

annunciabit vobis. Non dicit autem quod non poterat Spiritus Sanctus venire, sed quod non esset venturus. Non enim venturus erat nisi missus, nec mittendus erat nisi a Christo, a Christo vero, non homine, sed Deo; ergo declarata ipsius divinitate per ascensionem in caelum.

Unaquaeque Persona Divina suum habet officium in procuranda hominum salute;

Quare potuisset quidem Christus mittere Spiritum Sanctum super Apostolos corporali specie ante ascensionem suam, sicut postea misit,[20] et Spiritus Sanctus potuisset descendere, sicut potuit postea et antea etiam super ipsum Christum;[21] sed posito divinae providentiae decreto, non potuit. Destinavit nanque ab aeterno divina providentia ut unaquaeque Divinarum Personarum in procuranda hominum salute suas vices ageret, suum haberet assignatum officium, suum tempus ac veluti in huius mundi theatro suam agere personam. Primo enim Deus Pater Patriarchis apparuit, Filium promisit, legem dedit, Sacramenta cultumque religionis instituit, Prophetas destinavit, ac tandem Christum misit. Postea Filius venit, mundo apparuit, divinitatem suam declaravit, miracula edidit, homines docuit, satanam vicit, mundum a peccato redemit ac tandem, suo functus officio, in caelum ascendit. Ita etiam Spiritui Sancto in hoc opere suum assignatum officium est suumque tempus, utique post Christi ascensionem, ad ostendendam divinitatem suam agendasque vices in procuranda hominum salute.

Ideo habemus hodie etiam opera Spiritus Sancti.

Habemus autem ipsius opera in hodierno Evangelio, quae, si praesente Christo, Spiritus Sanctus operatus fuisset, Christi utique virtuti tributa fuissent ac sic Spiritus Sancti Persona minus innotuisset. Sic habemus in hodierno Evangelio in procuranda hominum salute opera omnium Divinarum Personarum: opera Patris: *Ad eum qui misit me;* opera Filii: *Expedit ut ego vadam; Veritatem dico vobis; Adhuc habeo multa vobis dicere;*[22] ac tandem opera Spiritus Sancti: *Arguet mundum; Cum venerit, docebit vos omnem veritatem; Ille me clarificabit.* Sic legimus opera Patriarcharum trium, qui omnium fuerunt primi atque sanctissimi patres populi Dei: primo opera Abrahae, postea opera Isaac, ac tandem opera Iacob. Hi enim veluti symbola fuerunt Divinarum Personarum.

20) Cf. Act 2, 1-4. 21) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22. 22) Io 16, 12.

III. Continet autem haec divina Christi eruditio non solum divinorum mysteriorum altitudinem, verum etiam summam veritatem: *Ego,* inquit, *veritatem dico vobis.* Nam *est Deus verax, omnis autem homo mendax;*[23] hoc est omnis homo mentiri potest, fallere et falli, decipi et decipere; Deus autem non potest, est enim lucidissimus sol, qui suapte natura obscurari non potest. Sic fidei christianae, cum divinae veritati innitatur, nullum potest subesse falsum. Propterea Ecclesia dicta est *columna et firmamentum veritatis,*[24] domus fundata supra solidam petram;[25] synagoga autem satanae omnisque haereticorum secta domus est super arenam fundata, quoniam nonnisi mendaciis nititur.

Haec eruditio continet insuper summam veritatem,

Praeterea continet multam difficultatem, nam praeterquam quod ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos,* sive, ut graece est, *deducet vos in omnem veritatem.* Id etiam, quod manifeste de Spiritus Sancti operibus docet hodie, valde difficile est: *Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. Arguet mundum*: aequivocum verbum est. Aliquando idem significat quod reprehendo, quod corrigo, sic Paulus *ad Timotheum: Peccantes coram omnibus argue;*[26] et *ad Titum: Cum omni imperio argue;*[27] sic in *Apocalypsi: Quos amo arguo et castigo.*[28] Aliquando idem quod convinco, ratione demonstro, sic: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*[29] sic: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*[30] Hic non potest accipi in priori sensu, nam nemo iure coargui et accusari potest iustitiae et virtutis. Quare in posteriori accipiendum est, hoc enim potius significat graecum verbum *elenchin, arguet,* inquit, convincet mundum, demonstrabit ipsum esse in peccato, nisi credat in me: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro,*[31] nam fides antidotum est contra venenum peccati. Ego saepe mundum peccati argui; non credidit mihi mundus, quia cum in mundum venerim *in similitudinem carnis peccati,*[32] peccatorem me mundus existimavit. Sed cum venerit ille, demonstrabit uter in peccato sit: ego an mundus. Quod quidem in prima Petri concione,

sed etiam magnam difficultatem in Christi verbis,

quae singula exponuntur: *Arguet de peccato.*

23) Ps 115, 11; Rom 3, 4. 24) 1 Tim 3, 15. 25) Cf. Mt 7, 24-25; 16, 18.
26) 1 Tim 5, 20. 27) 2, 15. Vulg.: *Argue cum omni imperio.* 28) 3, 19. 29) Io 8, 46.
30) 2 Tim 4, 2. 31) Io 8, 24. 32) Rom 8, 3.

post acceptum Spiritum Sanctum, factum videmus,[33] et exinde multo plures, visis signis atque miraculis, quae in Christi nomine ab Apostolis per Spiritum Sanctum fiebant, crediderunt in Christum.

de iustitia.

Arguet etiam *de iustitia*, utique mea. Convincet mundum et ratione demonstrabit me iustum esse, non peccatorem Deoque inimicum, ut mundus existimat, *quia ad Patrem vado*, ascendens in caelum, cum Deo perpetuis saeculis regnaturus, quod evidens argumentum est iustitiae meae apud Deum. Non enim peccatorem Deus exaltaret in caelum hominem, qui peccatorem angelum inde deturbavit.

de iudicio.

Tandem arguet mundum *de iudicio*, de condemnatione sua in poenam peccati. Quod quidem inde patet, nam *princeps huius mundi*, daemon, *iam iudicatus*,[34] idest condemnatus *est* ac de suo regno eiectus. Sumpta videtur metaphora ab eo quod in bellis fieri consuevit. Si enim hostium imperator ceciderit, inscio exercitu, solet victorum imperator in signum victoriae caput illius amputatum ac in hastam sublatum hostibus ostentare, ut se, mortuo imperatore suo ac duce, victos esse agnoscant. Ita ait Christus damnandum esse mundum vincendumque, quia iam princeps mundi, daemon, victus damnatusque est. Hinc Apostoli, accepto Spiritu Sancto, in solo Christi nomine daemones de obsessis hominibus pellebant;[35] hinc conticuere oracula, hinc omnis idolorum cultus, Spiritus Sancti opera funditus eversus, ruina irreparabili corruit, adeo ut vix ulla remanserint in mundo vestigia. Sic mundum Spiritus Sanctus induxit in omnem veritatem pietatis et religionis divinae, ut mundus vera fide verum Deum cognosceret et vera pietate piaque religione ex animo coleret.

Sic Spiritus Sanctus Christum in mundo clarificavit.

Sic Spiritus Sanctus Christum in mundo clarificavit, ipsius enim opera creditus agnitusque est verus Dei Filius, mundi Salvator et redemptor ac sicut verus Dei Filius adoratur et colitur: *Ille me clarificabit*, gloriam divinitatis meae declarabit, manifestabit mundo, non omnia quidem, sed tamen multa gloriae et divinitatis meae, cum praedicatione tum miraculorum operatione, mysteria. Hoc enim est: *De meo accipiet et annunciabit.*

33) Cf. Act 2, 14 sqq. 34) Io 16, 11. 35) Cf. Act 16, 16-18; 19, 12-16.

Induit hodie Dominus personam patris consolantis

IV. Induit Dominus in hodierno Evangelio personam patris et prophetae: patris amantissimi et prophetae divinissimi. Ut pater consolatur Apostolos, ut propheta praedicit futura, quae in mundo operaturus erat Spiritus Sanctus; ut pater ostendit amorem suum, providentiam qua utilia illis procurat et consolationem per Spiritum Sanctum promittit, ut propheta docet vera, docet divina, docet profunda et incomprehensibilia, sed cum moderamine, pro audientium captu et intelligentia. Docet, inquam, vera: *Ego veritatem dico vobis.* Nam propheta Dei doctor est veritatis; verus autem propheta maxime ex vaticiniis et futurorum vera praedictione agnoscebatur;[36] ita Christus vera hodie vaticinatus est, ut exitus comprobavit. Vaticinatus fuit de adventu Spiritus Sancti deque operibus ipsius: *Arguet mundum; Deducet vos in omnem veritatem; Ipse me clarificabit.* Venit Spiritus Sanctus in die Pentecostes, convicit mundum de suo peccato, de Christi iustitia, de futura damnatione iniquorum ex damnatione satanae, ut manifestum est, et conversione Gentium ad fidem Christi ex reprobatione Iudaeorum, ex destructione idololatriae, ex clara cognitione divinorum mysteriorum in Ecclesia Christi et gloria Christi ipsius nunc in mundo.

et prophetae docentis

et multa mysteria docet divinitatis suae,

Docet etiam divina profundaque mysteria: de officiis Divinarum Personarum in procuranda humana salute, de adventu suo in mundum, de abitu in caelum, de adventu Spiritus Sancti deque divinis ipsius operibus in Apostolis et per Apostolos. Sic Prophetae Dei et vera et divina loquebantur, praedicantes divinae theologiae profunda mysteria et incomprehensibilia sacramenta, ita tamen ut sermonem audientium captui attemperarent. Hinc saepe saepius de Deo per anthropospaton, humano, inquam, more loquuntur. Ita Dominus hodie sermonem suum attemperavit et ab incomprehensibilibus mysteriis, quae humanum captum superabant, prudenter abstinuit: *Multa,* inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille,* nempe *Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Loquitur hic Christus Apostolis sicut Paulus *1 Corinthiis* 3: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem*

30) Cf. Dt 18, 20 sqq.

potestis, adhuc enim carnales estis;[37] et *Hebraeis* 5 de Christo sub typo Melchisedech verba faciens ait: *De quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles estis ad audiendum;* ubi etiam utitur metaphora lactis et solidi cibi: *Facti estis,* inquit, *quibus lacte opus est non solido cibo... perfectorum autem est solidus cibus.*[38] Hinc *1 Corinthiis* 2: *Sapientiam,* inquit, *loquimur inter perfectos,* sapientiam autem Dei in mysterio absconditam.[39] Ita hic Christus: Multa, inquit, vos docui divina mysteria, sed non omnia; adhuc multa supersunt vobis tradenda; sed a Spiritu Sancto tradentur vobis, non quidem meliori magistro, sed capacioribus aptioribusque discipulis: *Docebit vos omnem veritatem,* quae scilicet vobis pro apostolico munere necessaria erit ad instruendam regendamque Ecclesiam.[40]

non tamen omnia, quia perfecta ista cognitio in caelo reservatur,

Non enim significat manifestanda Apostolis omnia divinitatis Christi mysteria, nam perfecta haec cognitio in caelo reservatur et vix Angeli in paradiso omnia cognoscunt divinitatis Christi mysteria. Sed sicut cum dixit: *Vos dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis,*[41] non intellexit simpliciter omnia, cum hic dicat: *Adhuc multa habeo vobis dicere,* sed omnia vobis pro praesenti statu utilia et necessaria; ita cum hic dicit: *Deducet vos,* manu ducet, tamquam magister discipulos, in cognitionem omnis veritatis mysteriorum fidei vobis pro vestro munere utilem et necessariam. Nam propterea sequitur: *Quia de meo accipiet et annunciabit vobis.* Non dicit: meum accipiet, sed *de meo;* loquitur de doctrina veritatis, quam traditurus erat Spiritus Sanctus Apostolis; propterea ait: *Annunciabit vobis;* sed *de meo accipiet,* de eo quod vos ego docuissem, si vos capaces fuissetis; *ipse annunciabit vobis,* non omne quidem quod ego vos docere potuissem, sed partem, nempe quidquid pro vestro munere et officio utile vobis et necessarium erit.

praeterea multa reliquit Spiritui Sancto

Quare nec Christus omnia divinitatis suae fideique mysteria Apostolis revelavit, sed multa Spiritui Sancto reliquit revelanda; nec ipse Spiritus Sanctus omnia, sed tantum necessaria magis et

37) Vrr. 1-2. 38) Vrr. 11 sqq. 39) Vrr. 6-7. 40) Hic desinunt lineae transversae, cf. supra, pag. 251, not. 1. 41) Io 15, 15.

Ecclesiae suae revelanda.

utilia ac veluti principaliora capita revelavit. *De meo accipiet et annunciabit vobis,* non omnia mea, ut sequitur, nam: *Omnia quae habet Pater, mea sunt, propterea dixi: Quia de meo accipiet.*[42] Indicat Spiritum Sanctum futurum veluti Christi legatum, sicut Christus ipse legatus Patris fuit, propterea ait: *Si abiero, mittam eum ad vos;* legatus autem accipit de ore atque de manu principis, a quo mittitur, et quae dicturus ac tractaturus negotia est et quae facturus est opera; sic Spiritus Sanctus ea tantum Apostolis mysteria revelavit quae a Christo revelanda accepit.

Non omnia mysteria fidei S. Litteris consignata sunt,

V. Hinc manifesti fiunt duo nostrorum haereticorum errores. Aiunt enim mysteria fidei nostrae facilia esse Divinasque Litteras apertissimas atque clarissimas; deinde omnia mysteria fidei Sacris Litteris consignata esse, ita ut id tantum fide tenendum est quod in Divina Scriptura continetur, quoniam in ea sunt omnia mysteria fidei quae credenda sunt.[43] At quomodo facilia sunt fidei mysteria, si Christus multa tacuit, quoniam Apostoli capaces non erant tantorum mysteriorum? Nec solum Christus, verum etiam Paulus, ut *ad Corinthios* et *Hebraeos* scribit. Quomodo autem omnia mysteria fidei scripta sunt, cum non omnia neque a Christo neque a Spiritu Sancto revelata sint?

neque Apostoli omnia quae per revelationem acceperunt litteris consignarunt.

Neque enim Apostoli omnia quae per revelationem acceperunt litteris consignarunt. Nam Paulo revelatum fuit Evangelium, ut ipse *ad Galatas* scribit,[44] nec tamen Evangelium scripsit, nec revelationes quas habuit, cum raptus fuit usque in tertium caelum et cum iterum in paradisum, scriptas reliquit, quoniam vidit *quae non licet homini loqui,*[45] idest quae ineffabilia sunt et per consequens incomprehensibilia; sic *ad Corinthios* et *Hebraeos* scribit non omnia fidei divinaeque sapientiae mysteria eis tradidisse, propter inbecillitatem eorum, eo quod ea capere non poterant. Quomodo igitur scripta sunt omnia, si nec omnia revelata illis fuerunt, nec ipsi revelata omnia litteris consignarunt? Neque enim mandatum a Christo acceperunt ut scriberent mysteria fidei, sed ut viva voce praedi-

42) Ibid. 16, 15. 43) Lutherus, Calvinus eorumque asseclae. Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis*, part. 2, pag. 350. 356. 365; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Verbo Dei*, lib. 3, cp. 1, col. 127; lib. 4, cp. 1, col. 156. 44) Cf. 1, 11-12. 45) 2 Cor 12, 4. Cf. A Lapide *Commentaria in Secundam Epistolam ad Corinthios*, hoc loco.

carent: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae;*[46] *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia.*[47] Sic Paulus praedicavit, non scripsit Evangelium quod per revelationem acceperat. Sic cum omnibus Apostolis praecepisset Christus ut praedicarent Evangelium, non omnes scripserunt, sed ex Apostolis duo tantum, Matthaeus et Ioannes, et quidem brevissimum Evangelium scripserunt, cum, si omnia scripta fuissent, ut Ioannes ait, nec ipse mundus capere potuisset libros.[48] Sed tantum necessaria quaedam scripta sunt de principalibus fidei mysteriis, puta incarnatione, passione, resurrectione, ascensione et similibus, quae omnibus fidelibus credenda et confitenda manifeste sunt. Sic pauca tantum miracula litteris consignarunt, quae sufficere potuere ad demonstrandam Christi divinitatem, nam ad hoc facta fuere a Christo et ad hoc scripta sunt.

Nonnisi aliqua de principalibus fidei mysteria in Scriptura continentur.

Fidem enim integram requirit a nobis Deus, non integram perfectamque omnium divinorum mysteriorum cognitionem. Haec enim electos manet in caelo: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum;*[49] *Haec scripta sunt, ut credatis quoniam Iesus est Christus Filius Dei.* Non ut cognoscatis, inquit, omnia mysteria divinitatis Christi, sed ut credatis quoniam ipse est verus Messias, Filius Dei, *et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.*[50]

Deus enim fidem integram requirit, non perfectam cognitionem mysteriorum.

Sic habemus in hodierno Evangelio Christum patrem et magistrum, patrem amantissimum, magistrum divinissimum; a patre consolationem magnam, a magistro doctrinam divinam. Consolatio spectat ad animum, ad affectum; doctrina ad mentem, ad intellectum. Sic habemus vas mannae cum libro legis in arca Domini.[51]

46) Mc 16, 15. 47) Mt 28, 19 sq. 48) Cf. 21, 25. 49) 1 Cor 13, 12. 50) Io 20, 31. 51) Cf. Ex 16, 33-34; 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. Reliqua parte paginae alba relicta, transit ad Dominicam sequentem.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA

Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Usque modo, etc. [1]

I. Magnum est quod in hodierno Evangelio promittit Deus fidelibus suis, quoniam vere magna non possunt nisi a magnis promitti, magnus princeps, rex, imperator potest promittere magnas divitias, dignitates, honores status, etiam Papa magnas dignitates ecclesiasticas, episcopatus, archiepiscopatus, cardinalatus. Sicut enim maiora luminaria in caelo copiosiora lumina dare possunt mundo huic nostro, ita potentiores maioresque principes maiora conferre et promittere suis possunt.

Agitur hodie de magna promissione a Christo facta

Proponuntur autem in hodierno Evangelio quattuor: id quod promittitur, is qui promittit, modus promittendi et ii quibus promittitur. Proponitur magnitudo eius qui promittit: *Credidistis quia a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* [2] *Nunc scimus quod scis omnia; nunc credimus quoniam a Deo existi.* [3] His autem verbis Christi divinitas demonstratur, quod sit natura verus Filius Dei ac per consequens verus Deus, qui omnia novit et omnia potest. Cum autem revera Christus Deus sit omnipotens, summus est princeps, quo maior esse non potest: *Rex regum et Dominus dominantium;* [4] revera magna

et consideratur primo, magnitudo illius qui promittit;

1) Pericope huius diei Io 16, 23-30. Cf. Missale Rom. 2) Io 16, 27-28. 3) Ibid. vr. 30.
4) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

promittere potest. Hinc magnum est quod promittit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum.*[5]

secundo, magnitudo hodiernae promissionis;

Multas Dei et quidem magnas promissiones legimus et omnes etiam novimus impletas. Promisit patriarchis terram Chanaan, posteritatem numerosissimam, innumerabilem valdeque potentem;[6] promisit tandem Christi adventum in mundum;[7] promisit Moysi panem de caelo, aquam de petra, eductionem populi ex Aegypto, transitum maris Rubri, ducatum per desertum, ingressum in terram promissionis, victoriam de populis Chananaeis;[8] promisit Davidi regnum;[9] promisit Salomoni magnum thesaurum sapientiae ingentesque divitias.[10] Sed nescio an vel excogitari possit hodierna hac maior promissio, datur enim veluti clavis omnium thesaurorum Dei, sicut alibi: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.*[11]

tertio, modus quo promittit,

Modus etiam promissionis magnus est, nam promissio divino veluti iuramento firmata, sicut promissio a Deo Abrahae facta: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus;*[12] sic ait: *Amen amen dico vobis,* in veritate, in veritate. Magnum est cum rex magnus promissionem suam iuramento confirmat, sicut rex David Bethsabee matri Salomonis iureiurando promisit regnaturum post se fore ipsum Salomonem.[13]

quarto, quibus promissio fit.

Sed tandem considerandum cuinam haec promissio fiat: *Dabit,* inquit, *vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia a Deo exivi.*[14] Nunc *credimus quia a Deo existi.* Facta est haec promissio fidelibus Christi vera fide et caritate praeditis: *Quia vos me amastis et credidistis.* Quare haec tam ampla tamque magna promissio ad fideles bonosque christianos vel maxime spectat.

5) Io 16, 24. 6) Cf. Gn 12, 1-3; 15, 5 sqq.; 16, 15-16; 22, 15-18; 28, 12-15. 7) Cf. Ibid. 49, 10. 8) Cf. Ex 3, 10; 13, 11 sqq.; 16, 12-15; 17, 5-6; 23, 22-31; 34, 1-3; 34, 11. 9) Cf. 1 Rg 16, 11-13. 10) Cf. 3 Rg 3, 11-14; 2 Par 1, 11-12. 11) Mc 11, 24. Vulg.: *Quaecumque orantes... evenient vobis.* 12) Gn 22, 16. 13) Cf. 3 Rg 1, 28-30. 14) Io 16, 27.

II. Est autem promissio haec magna quidem et universalis, sed tamen conditionata. Non enim simpliciter et absolute ait: Omne quod petieritis accipietis, sed: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* si petieritis, accipietis. Necessaria est oratio ad impetranda divina beneficia, quoniam sic Deus disposuit. Hinc Iacobus apostolus ait: *Non habetis eo quod non postulatis.* [15] Non est necessaria oratio respectu Dei, quasi ipse nesciat quid nobis opus sit, nam: *Scit Pater vester quia his omnibus indigetis;* [16] neque ad excitandum precibus affectum animi amoremque ipsius erga nos aut pietatem: *Ipse Pater amat vos.* Pater ipse est amantissimus et ipsi cura incumbit de nobis, hinc: Iacta cogitatum tuum in Domino. [17]

Necessaria est oratio ad impetranda Dei beneficia.

Si ergo scit Deus necessitates nostras, potest et vult nobis subvenire cumque amet nos, cupit omne bonum nostrum, quid opus est precibus? Et quidem Deus multa tribuit beneficia non rogatus. Quis enim rogavit Deum ut mundum crearet? ut providentia regeret et gubernaret? ut Custodes Angelos daret? Cuilibet homini dedit corpus, animam, vitam, sensus, rationem, bona naturae, multa etiam gratiae, ut fidem et Sacramenta, non rogatus. Aliquando etiam Deus rogatus quidem dat, sed supra preces, ut patet in Salomone, in Ezechia: ille tantum sapientiam petiit et cum ea etiam gloriam accepit; hic tantum vitam, sed cum vita etiam victoriam. [18] Sed ut plurimum rogari vult ut beneficia largiatur, quoniam ipsa oratio opus bonum est, opus magnae virtutis, Deo ipsi gratissimum, nobis vero summe utile et iucundum.

Deus optime novit necessitates nostras,

sed rogari vult ut sua beneficia largiatur.

Non enim solum actus religionis est, quae virtus inter morales suprema est, verum etiam actus aliarum virtutum cum moralium, humilitatis, patientiae et longanimitatis aliarumque, tum etiam theologicarum, fidei, spei et caritatis. Quare homini summe utile est, non solum ad impetrandum, verum etiam ad merendum augmentum gratiae et caritatis maioremque mercedem in caelo, ad purgandam animam a vitiis et peccatis, ut in publicano, [19] in filio prodigo, [20]

Oratio multarum virtutum actus est,

15) 4, 2. Vulg.: *Propter quod non postulatis.* 16) Mt 6, 32. 17) Cf. Ps 54, 23. Ex Liturgia Ecclesiae. Cf. Missale Rom., Graduale Dom. Tertiae post Pent. 18) Cf. 4 Rg 20, 1-6; Is 38, 1-6. 19) Cf. Lc 18, 10-14. 20) Cf. ibid. 15, 11 sqq.

ut in Isaia;[21] ad illuminandam mentem, ut in facie Moysi;[22] accendendum cor inflammandumque animum: *Nonne cor nostrum ardens erat?*[23] ad participandas, sentiendas gustandasque caelestes consolationes: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*[24] Sic vas mannae repositum fuit in sanctuario Domini,[25] in loco orationis. Sic per Isaiam capite 56 ait: *Consolabor eos in domo orationis meae.*[26] Sic nunquam est sine fructu oratio, semper enim meretur, licet non semper impetret. Et saepe multo melior est oratio ipsa gratia per eam impetrata vel impetranda multoque nobis utilior, licet nos ignoremus, maxime quando temporalia in oratione postulantur aut aliqua gratia non necessaria, imo minus utilis ad salutem, uti cum Paulus petiit liberari ab angelo satanae.[27]

Ideo homini summe utilis,

Hinc Dominus hodie explicat meritum orationis dicens: *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis; et non dico vobis quia ego,* idest quod ego *rogabo,* idest rogaturus sum *Patrem,* hoc est non erit necessarium ut ego pro vobis Patrem rogem, nam *ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.*

unde Dominus hodie exponit magnum orationis meritum.

III. Hinc manifestus est sectariorum error, qui negant meritum orationis, cum tamen Dominus etiam apud Matthaeum, 6 capite, manifestissime docuerit meritum orationis fidelium, qui non orant sicut hypocritae, ut honorentur ab hominibus, illi enim, inquit, *receperunt mercedem suam. Tu autem,* inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum et, clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*[28]

Sectarii negant meritum Christi;

Sciendum autem quod sicut Christus inter duos latrones crucifixus fuit,[29] ita fides vel semper reperitur inter duos extremos errores. Fuerunt olim Messaliani haeretici, dicti Eucharitae, Oratorii sive oratores, quoniam orationi multum tribuebant, dicentes per so-

alii ad extremam abeunt oppositam sententiam;

21) Cf. Is 6, 5-7. 22) Cf. Ex 34, 29 sqq. 23) Lc 24, 32. 24) Ps 33, 9. 25) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 26) Vr. 7. Vulg.: *Laetificabo eos,* etc. 27) Cf. 2 Cor 12, 7-9. 28) Vr. 6. Sectarii, qui negant meritum orationis, post Pelagianos et Viclefum, sunt Lutherani et Calviniani. Cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 4, *De bonis operibus,* lib. 1, cp. 3, col. 1007-1009. 29) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27; Lc 23, 33; Io 19, 18.

lam orationem hominem iustificari atque salvari, nec opus esse Sacramentis aut aliis virtutibus et bonis operibus;[30] sicut etiam inventi sunt qui docuerint posse orationem immutare consilium, rationem et ordinem divinae providentiae.[31] Nostri autem sectarii, huius temporis haeretici, in alio sunt extremo, ab aqua ad ignem, docent enim orationem minime necessariam, tum quia sola fides sufficit, tum quia omnia ex necessitate eveniant, ex immutabili decreto divinae praedestinationis et providentiae, et quoniam nullius est meriti apud Deum. Sed si ita est, ad quid Dominus ait: *Si quid petieritis Patrem, dabit vobis*? Ad quid tantopere intendit, multis etiam adhibitis parabolis, ad studium orationis?[32] Ad quid dixit: *Oportet semper orare et nunquam deficere*[33] ab oratione? *semper*, idest singulis diebus, si possibile esset singulis horis et momentis, in oratione perseverantissimos esse? Ad quid: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem*?[34] ubi loquitur Dominus veluti sumpta metaphora a rebus bellicis, sicut David cum ait: *Dixit ut disperderet eos, nisi Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.*[35] Cumque enim hostis obsessam civitatem potenter impugnat iamque facta muri fractura ad ingrediendum facillime nulloque negotio ingredietur, nisi ab iis qui intus sunt obsistatur ei; at si custos civitatis ei potenter obsistat et impetum hostium potenter reprimat, ingressum impediet omnemque hostium conatum frustrabit et civitatem salvabit, quae alioquin in hostium manum venisset, sic, ait, necessariam ad salutem orationem, maxime tentationum et periculorum tempore, sicut defensio civitatis in fractura muri.

Illi et isti refutantur ipsis Domini verbis.

Et mirum est quomodo novi hi evangelistae, qui nonnisi Evangelium se profiteri dicunt et evangelici aut potius evangelistae appellari volunt, sed per antiphrasim, instar aurearum muscarum, negent orationis necessitatem, cum Evangelium manifeste doceat quod *oportet semper orare*. Sed Evangelium Christi mutarunt in evangelium Epicuri et Mahumetis.

Docet Evangelium necessitatem orationis.

30) Cf. S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 57, (P. L. 42, 39); S. Bellarminus l. cit. Apud S. Augustinum legitur: *Massaliani* et: *Euchitae*. 31) Cf. S. Bellarminus l. cit.; S. Thomas *Sum. Theolog.*, 1, q. 9, a. 1; *Contra Gentes*, lib. 3, cp. 96. 32) Cf. Lc 11, 5-13; 18, 1-14. 33) Ibid. 18, 1. 34) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 35) Ps 105, 23.

Interiori homini oratio multo magis necessaria est quam exteriori lingua aut manus, quae instrumentum instrumentorum est; ita oratio virtus virtutum et gratia gratiarum iure dici potest, si rite fiat. Sicut enim manibus comparamus nobis omnia quae ad salutem corporis necessaria sunt, ita oratione comparamus omnia necessaria ad salutem animae, propterea monebat Paulus dicens: *Sine intermissione orate.*[36] Non sic Lutherus, non sic Calvinus, *non sic impii, non sic,*[37] nam *animalis homo non sapit quae sunt spiritus Dei.*[38]

qua comparantur omnia ad salutem animae necessaria.

IV. Praeterea, ut dixi, promissio haec conditionata est, ita ut habeamus hic et propositionem conditionalem et promissionem conditionatam: *Si petieritis Patrem in nomine meo,* idest per merita mea. Ubi habemus ad impetrandum aliquid a Deo necessarium esse nomen, idest meritum Christi, non autem orationem Christi. *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem,* ubi non negat se rogaturum, nam paulo ante dixerat: *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis,* et: *Advocatum habemus apud Deum;*[39] sed quod oratio ipsius non sit necessaria omnino, cum nostra sufficiat oratio, si tamen rite sit facta in nomine Christi.

Ad aliquid impetrandum a Deo necessarium est meritum Christi.

Declaravit conditionem hanc Iacobus apostolus dicens: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;*[40] et item: *Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, postulet autem in fide nihil haesitans et dabitur ei;*[41] sic: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* In nomine Christi petere est cum vivae fidei virtute petere, cum fide, inquam, meritorum Christi apud Deum. Antiqui Prophetae et iusti orabant Deum per merita sanctorum Patriarcharum Abrahae, Isaac et Iacob; nobis orandus est Deus per merita Christi, quae summa et infinita sunt apud Deum. Propterea semel et iterum ponitur nomen Christi in hodierno Evangelio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo; usque modo non petistis quidquam in nomine meo; In*

Orandum est cum viva fide meritorum Christi,

36) 1 Thess 5, 17. 37) Ps 1, 4. 38) 1 Cor 2, 14. Vulg.: *Non percipit.* etc.
39) 1 Io 2, 1. 40) 4, 3. 41) Ibid. 1, 5-6. Invertit ordinem verborum.

illo die in nomine meo petetis;[42] Christi enim nomen veluti clavis est ad reserandam serulam. Nullae enim sunt serulae arte fabrefactae, quae sine claviculis aperientur solo nomine. In Christi vero nomine is vere petit, qui Christum vere colit. Hinc ait: *Elegi vos et posui vos ut fructum afferatis et fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem, det vobis;*[43] itemque: *Si praecepta mea servaveritis et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis.*[44]

Docuit autem Dominus fide opus esse in oratione itemque humilitate, cuius causa publicanus descendit a templo in domum suam iustificatus magis quam pharisaeus;[45] ac praeterea perseverantia, quam docuit parabola hominis petentis ab amico tres panes,[46] et parabola viduae et iniqui iudicis;[47] petendaque vel maxime spiritualia esse, nam *si vos*, inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?*[48] Hoc autem est quod ait: *Ut gaudium vestrum sit plenum*. Nam temporalia non afferunt plenum gaudium, sed spiritualia et divina.

cum humilitate et perseverantia,

et petenda vel maxime spiritualia.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, sicut qui principi offert supplicem libellum postulans a principe aliquid nomine patris sui, qui de principe fuit optime meritus ipsique fidelissimus atque carissimus, maxime vero si tanquam heres petat iure hereditatis stipendia, quae patri a principe iure debentur; merita nanque patris apud principem, alioqui optime mentis et intentionis, supplicationem illam reddunt efficacem, ita ut facile et quam primum postulata obtineat. Hoc est quod ait: *Si quid petieritis Patrem in*, etc.

V. In hodierno Evangelio multa continentur christianae philosophiae mysteria, quae quidem obscure tradita esse dicuntur: *Haec in proverbiis locutus sum vobis; venit hora ut iam non in proverbiis loquar, sed palam de Patre* meo *annunciabo vobis.*[49] Ponitur hic proverbium pro parabola, idest obscura sententia. Hinc ait: *Non in*

In hodierno Evangelio multa continentur mysteria,

42) Io 16, 24. 26. 43) Ibid. 15, 16. 44) Ibid. vrr. 7. 10. Affert ordine inverso. 45) Cf. Lc 18, 10-14. 46) Cf. ibid. 11, 5-8. 47) Cf. ibid. 18, 2-5. 48) Ibid. 11, 13. 49) Io 16, 25.

proverbiis loquar, sed palam de Patre meo *annunciabo vobis.* Sic etiam Apostoli dicunt: *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis.* [50]

quae Christus discipulis non declaravit,

Sed hoc mirabile dictu est! Christus ait se in proverbiis locutum, idest mysteria fidei, per se difficilia, obscure tradidisse ac docuisse, Apostoli vero se clare omnia intelligere dicunt nullumque mysterium, hoc est proverbium reconditumque sermonem agnoscere; sed quoniam non intelligebant quae dicebantur a Christo. Tales sunt haeretici: omnia quae in Divinis Litteris traduntur illis facilia sunt, sed quoniam Divinas Litteras non intelligunt, hinc aiunt: *Ecce palam loqueris et proverbium nullum dicis.*

et duae promissiones: una spectat ad animi consolationem.

Duas promissiones habemus in hodierno Evangelio: altera spectat ad perfectam animi consolationem: *Ut gaudium vestrum sit plenum;* altera vero ad perfectum lumen intellectus: *Venit hora cum iam non in parabolis loquar, sed palam de Patre* meo *annuciabo vobis;* nam post resurrectionem suam *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas,* [51] et post ascensionem suam misit Spiritum Sanctum ac per Spiritum Sanctum locutus est eis manifeste illisque omnia Divinarum Scripturarum mysteria declaravit, dans eis gratiam interpretationis sermonum. Una harum promissionum est ad perficiendum animi affectum, altera ad perficiendam mentem et intellectum; utraque simul ad efficiendum totum interiorem hominem. Sed utraque facta est christianis Christum vere amantibus:

altera vero ad lumen intellectus;

Amat vos, quia vos me amastis et credidistis. Prius ponitur actus caritatis quam fidei, quia licet in homine fides praecedat caritatem, sicut sensus rationem, tamen caritas prior est dignitate, sicut ratio prior est sensu: *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas.* [52] Nec loquitur Dominus in his promissionibus de perfecta consolatione suorum in futura, sed in hac praesenti vita. Nam statim cum dixisset in secunda promissione: *Palam de Patre* meo *annunciabo vobis,* subiungit: *In illa die in nomine meo petetis.* In caelo autem Sancti nihil pro se petunt.

50) Ibid. vr. 29. 51) Lc 24, 45. 52) 1 Cor 13, 13.

Sicut autem duo promittit, unum spectans ad affectum, alterum vero ad intellectum, ita etiam duo requirit: amorem in affectu et fidem in intellectu in fidelibus suis: *Quia vos me amastis et credidistis.* Haec enim duo animum hominis reddunt Deo carum divinumque homini conciliant amorem: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis.* En meritum fidei et caritatis apud Deum. Non erit, inquit, opus ut ego pro vobis rogem, nam Pater amat vos, propterea exaudiet orationes vestras; amat autem vos, *quia vos me amastis et credidistis.* Sic ostendit meritum orationis fidelium Christi apud Deum ex viva fide et vera in Christum caritate.

sed duo etiam Christus requirit: amorem et fidem.

Sunt enim tres praecipui orationis fructus: satisfactio pro peccatis divinaeque irae placatio, meritum apud Deum gratiae et gloriae, ac tandem divinorum beneficiorum impetratio, sicut erant tria sacrificiorum genera: hostia pro peccato, holocaustum et hostia pacifica.[53] Erat autem sacrificium[54] quaedam realis opere ipso facta oratio. Hinc ait: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*[55] Actum autem orationis dicit manuum elevationem, nam Moyses elevatis manibus oravit.[56]

Tres sunt fructus orationis.

Docet autem hic Dominus meritum orationis fidelium ex fide et caritate, cum tamen novi evangelistae negent et inficiantur omne meritum orationis, sicut omne meritum operum bonorum. Reddens enim causam cur Deus exauditurus sit orationes fidelium ait: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis.* Christianus ergo fide et caritate in Christum praeditus, meretur apud Deum, ut suae ipsius orationes exaudiantur. Si autem fidelium Christi, cum eorum a Deo orationes exaudiuntur, potest plenum perfectumque esse gaudium in hoc mundo, quid erit in paradiso? *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Causa autem perfecti huius gaudii pia sanctaque oratio designatur.

Oratio ex fide et caritate magni est meriti apud Deum.

53) Cf. Lv 3, 1-11; 7, 1-21.
54) Ms.: *Sacrificio.*
55) Ps 140, 2.
56) Cf. Ex 17, 11-12.

Videtur autem veluti subarguere et negligentiae accusare Apostolos Dominus, dum ait: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite et accipietis.* Utinam non posset nunc etiam summo iure Christus in nobis summam orandi negligentiam accusare! [57]

57) Duabus paginis albis relictis, transit ad diem Ascensionis.

IN ASCENSIONE DOMINI

Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum et sedet, etc. [1]

I. Celebramus hodie sacratissimam solemnitatem divinissimumque mysterium ascensionis Christi, quo vel maxime ipsius divinitas declarata fuit. Propterea nunquam legimus vel ante vel post resurrectionem Christum ab Apostolis adoratum, nisi hodie; sic Lucas habet in calce Evangelii sui: *Elevatis manibus benedixit eis. Et factum est dum benediceret eis, recessit ab eis et ferebatur in caelum. Et ipsi adorantes eum, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno,* [2] sic enim graece est: *Adorantes eum;* prius enim Apostoli, licet Christum Dominum nostrum verum Filium Dei esse firma fide crediderint, tamen, quia nonnisi hominem videbant, cum eo tamquam cum homine conversabantur, propterea non adorabant. Sed hodie ipsa rei evidentia convicti, cum manifeste Christi divinitatem agnovissent, ascendentem in caelum adorarunt. Sic alibi Dominus ab ascensione sua argumentum sumpsit ad probandam divinam omnipotentiam suam. Nam cum Iudaeis dixisset daturum se carnem suam in cibum et sanguinem suum in potum illique dicerent: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Christus ait: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* [3] Sicut, inquit, possum in caelum ascen-

Hodie vel maxime divinitas Christi declaratur.

1) Pericope huius diei Mc 16, 14 sqq. Cf. Missale Rom. 2) 24, 50-52. 3) Io 6, 52. 62.

dere et ad Dei dexteram corpus meum collocare, ita possum carnem meam vobis dare ad manducandum. Sic igitur Christi hodierna in caelum ascensio evidens fuit ac veluti mathematica ad sensum patens divinitatis ipsius demonstratio.

Divini huius mysterii in S. Litteris habemus multas figuras.

II. Divini autem huius mysterii in Sacris Litteris habemus figuras, vaticinia et historiam. Quoad figuras praefigurata fuit Christi ascensio in raptu Enoch[4] et Eliae;[5] praefigurata in ascensu Moysi ad cacumen montis, ubi Deus erat et ibi facies ipsius Moysi splendore donata et glorificata fuit;[6] in ascensu in caelum Angeli, qui in humana forma apparuit parentibus Samsonis, ascendit autem in caelum in flamma ignis,[7] quemadmodum etiam Angelus qui Gedeoni apparuit;[8] praefigurata in ascensu parvae illius nubeculae, quam Elias vidit de mari in caelum ascendentem, quae statim totum occupavit caelum;[9] praefigurata in ingressu pontificis in sanctum sanctorum, post oblatum expiationis sacrificium, quo universus populus ab omni iniquitate, divino plane beneficio, expiabatur,[10] nam, ut Paulus *ad Hebraeos* docet, sanctum sanctorum repraesentabat caelum ipsum;[11] praefigurata etiam in deductione arcae testamenti magna cum solemnitate et laetitia omnium Israelitarum, duce rege David, in ipsum montem Sion,[12] ubi erat regia, nam arca illa typus erat et figura sacrae humanitatis Christi quatenus templum et locus divinitatis erat. Hoc ipsum etiam designavit ascensus Samsonis in cacumen montis, postquam egressus fuit de custodia Philisthaeorum;[13] Christus enim, postquam surrexit a mortuis, ascendit in caelum. Hoc ipsum designavit visio Ezechielis, Christum enim vidit supra igneum[14] currum et ipse totus instar ignis splendebat.[15] Ignis autem proprium est sursum ascendere. Allusum autem videri potest ad raptum ignis in caelum super igneum currum.

III. Praeter figuras autem habemus etiam vaticinia, nec tamen omnia, sed nonnulla tantum afferemus. De hodierno mysterio va-

4) Cf. Gn 5, 22-24. 5) Cf. 4 Rg 2, 11-12. 6) Cf. Ex 24, 15 sqq.; 34, 28 sqq. 7) Cf. Idc 6, 11-21. 8) Cf. ibid. 13, 3-21. 9) Cf. 3 Rg 18, 44-45. 10) Cf. Lv 16, 1 sqq. 11) Cf. 9, 11-12. 12) Cf. 2 Rg 6, 1-17. 13) Cf. Idc 16, 2-3. 14) Ms.: *Ignem*. 15) Cf. Ez 1, 4 sqq.; 10, 1-15.

ticinatus fuit patriarcha Iacob dicens: *Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda; ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena: quis excitabit eum?* [16] Nam ad hoc vaticinium allusum est in *Apocalypsi*, dum dicitur: *Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* [17] Christus est, quem omnes fideles electique Dei laudant et adorant, potens victor omnium inimicorum suorum, satanae, mortis et inferni. *Ad praedam, fili mi, ascendisti*, hebraice: *a praeda, fili mi, ascendisti.* Per praedam hoc loco, iuxta historicum sensum, regni consecutio intelligitur, ut David consecutus fuit ex valore et virtute, sicut leo praedam capit. Sicut etiam de Beniamino dicitur: *Beniamin lupus rapax, mane comedet praedam* suam *et ad vesperam dividet spolia,* [18] idest assequetur regnum tribus Beniamin, sicut in Saule, sed postea amittet. [19] Ait ergo: *A praeda, fili mi, ascendisti*, victis et superatis hostibus, potitus regno ascendisti ut praeda tua fruereris, sicut David regno potitus Ierosolymam ascendit ibique supra montem Sion regni sui sedem collocavit. [20] *Quis suscitabit eum?* idest quis poterit facere ut leo, qui capta praeda recumbens ea fruitur, timore aliquo perculsus surgat et praedam relinquat? Nam *leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit aspectum.* [21] Sic Christus perpetuo fruetur praeda sua; sic enim ascendit *in caelum et sedet a dextris Dei.* [22]

Habemus secundo, vaticinia,

de hoc enim vaticinati fuerunt patriarcha Iacob,

R e g i u s V a t e s saepe de divinissimo hoc mysterio vaticinatus fuit, nunc ostendens quisnam iste sit qui ascendit: *Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio. Attollite portas, principes, vestras*, etc. *Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum*, exercituum, omnipotens, *ipse est rex gloriae,* [23] idest rex infinitae maiestatis. Nunc modum quo ascendit: *Ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae.* [24] Aliquando comitatum: *Currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium; Dominus in eis, in Sina, in sancto. Ascen-*

Regius Vates,

16) Gn 49, 8-9. 17) 5, 5. 18) Gn 49, 27. Vulg.: *Et vespere.* 19) Cf. 1 Rg 10, 1 sqq.; 13, 13-14. 20) Cf. 2 Rg 5, 1-10. 21) Prv 30, 30. Vulg.: *Pavebit occursum.* 22) Mc 10, 19. 23) Ps 23, 7 sqq. 24) Ps 46, 6.

disti in altum, coepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus;[25] hoc enim vaticinium Paulus de Christi ascensione interpretatus est *ad Ephesios* scribens;[26] describit autem eum veluti triumphali curru in caelum subvectum, sicut Deus ipse, cuius instar triumphalis currus extitit arca testamenti, multo Israelitarum exercitu comitatus, tanquam rex triumphans, ingressus fuit terram promissionis[27] et tandem Ierosolymam conscendit ac in templum sibi paratum intravit.[28] De hoc mysterio idem ipse dum ait: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis;* et: *De torrente in via bibet, propterea exaltavit caput;*[29] nam: *Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc.[30]

Isaias. De hoc Isaias 52: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur,* sublimabitur, sive *elevabitur, et excelsus erit valde;*[31] alludere videtur ad illud: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos,*[32] idest super omnem creaturam sive corporalem sive spiritualem, visibilem aut invisibilem. De hoc item mysterio vaticinatus Isaias fuit capite 63 suarum *Revelationum* dicens: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae?*[33] Describit enim ibi ac veluti vivis coloribus depingit triumphum Christi, ita ut ipsius gloriam etiam Angeli admirati sint.

Ezechiel De hoc Ezechiel capite 11: *Ascendit gloria Domini de medio civitatis stetitque super montem, qui est ad orientem urbis,*[34] idest ad montem Oliveti; sic enim Lucas habet, quod hodie Dominus discipulos e civitate[35] Ierusalem eduxit eosque ad montem Oliveti conduxit, ac inde in caelum ascendit,[36] sicut *Actuum* 1 dicitur, quod, post Christi ascensionem, Apostoli *reversi sunt Ierosolymam a monte, qui vocatur Oliveti.*[37] De hoc Michaeas capite
et Michaeas. 2: *Ascendet iter pandens ante eos, divident et transibunt portam et ingredientur per eam et transibit rex eorum coram eis et Dominus in capite eorum,*[38] ubi is qui ascendit Dominus et rex appellatus

25) Ps 67, 18-19. 26) Cf. 4, 8-10. 27) Cf. Ios 3, 1 sqq. 28) Cf. 3 Rg 8, 1-6. 29) Ps 109, 1. 7. 30) Phil 2, 9. 31) Vr. 13. 32) Ps 96, 9. 33) Vr. 1. 34) Vr. 23. 35) Ms.: *Civitatem.* 36) Cf. 24, 50-51. 37) Vr. 12. 38) Vr. 13.

est et cum comitatu tanquam princeps et rex ascendisse dicitur. Illud autem: *Iter pandens*, hebraice est: *praeruptor*, idest victor.

IV. Praeter autem vaticinia divini huius mysterii, habemus historiam descriptam a Marco in hodierno Evangelio,[39] a Luca in calce Evangelii sui et in 1 capite *Actuum Apostolorum*. In historia autem, praeter factum, habemus etiam modum, finem, causam et effectum. Quoad factum: *Assumptus est*, inquit, *in caelum*, ait Marcus, quo verbo usus est etiam Lucas: *Usque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est;*[40] itemque Angeli: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum;* in Evangelio autem Lucas habet: *Cum benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in caelum;*[41] in *Actis* vero: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.*[42] Sicut aquilam dicimus volare et elevari in caelum, sic etiam Lucas ait: *Videntibus illis elevatus est,*[43] non quidem ab alio, sed sicut aquilam levari in altum dicimus. Hodie autem Christus tanquam aquila nobis praesentatur. Nam cum Christus sit caeleste illud divinumque ac supra modum mirabile animal apud Ezechielem, habens facies quattuor, hominis, vituli, leonis et aquilae,[44] Christus, ut homo, praesentatus nobis est in nativitate, ut vitulus in passione, ut leo in resurrectione et ut aquila in ascensione. Sicut igitur aquila propria virtute elevatur in altum, ita Christus; hoc est quod ipse ait: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo,*[45] idest nemo unquam potuit in caelum ascendere; sicut alibi dixit: *Quo ego vado vos non potestis venire.*[46] Et huius rei causas reddit, nam *vos*, inquit, *de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.*[47] Impotentiae huius duplicem assignat causam: alteram a natura: *de deorsum estis*, de terra formati, terra autem suapte natura non potest sursum ascendere; alteram a culpa: *de mundo hoc estis*, qui *totus in maligno positus*

Habemus tertio, historiam ex Marco et Luca,

in qua describitur factum ascensionis Christi.

Seipsum Christus elevavit, quia ipse Deus.

39) Cf. 16, 19. 40) Act 1, 2. 41) 24, 51. 42) 1, 11.
43) Ibid. vr. 9. 44) Cf. 1, 4-10. 45) Io 3, 13. 46) Ibid. 8, 21.
47) Ibid. vr. 23.

est,[48] propter culpam autem Angeli eiecti de caelo fuerunt, ideo *non potestis.* Christus autem potuit in caelum ascendere et propter divinam naturam et propter caelestem gratiam.

sed quia in humana natura, dicitur elevatus.

Quoniam vero Christus hodie secundum humanam naturam assumptus et elevatus in caelum est, recte dicitur: *assumptus, elevatus, ferebatur in caelum.* Sed quoniam non ab extrinseco principio, sed ab intrinseco, non sicut movetur rota inanimis aut lapis, sed sicut movetur animal dum graditur, piscis dum natat, avis dum volat, propterea dicitur quod ascendit in caelum, quod recessit, quod ivit in caelum. Sic ponitur factum et causa facti.

Describitur etiam modus

Modus etiam, quoniam *nubes suscepit eum ab oculis eorum;*[49] *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum;* ergo in gloria et maiestate comitantibus Angelis ascendit, sic enim venturus est. Ad hoc etiam spectat quod, *elevatis manibus* et benedicens eis, tanquam amantissimus pater dilectissimis filiis praecatus eis omne bonum, a Patre assumptus est. Elevat autem manus abiturus in caelum, sicut aquila alas expandit in sublime volatura; benedicit autem in signum amoris et paterni erga nos affectus ac caritatis.

et finis ostenditur:

Finis autem ostenditur dum dicitur: *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei.* Paulus etiam finem ascensionis Christi ostendit, dicens: *Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia,*[50] hoc est ad ostendendum se illum esse qui ait: *Caelum et terram ego adimpleo,*[51] et item: *Plena est omnis terra gloria eius,*[52] item: *Ut impleret omnia,* idest ut perfecte possideret omnia iuxta traditam sibi potestatem, nam ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*[53] Hinc Paulus ibidem ait, quod Ecclesia est *corpus eius et plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus implet, Ephesiis* 1.[54] Tandem, *ut impleret omnia,* sicut sol in altum elevatus mundum totum suo lumine replet perficitque. Hinc loquitur ibi Paulus de donis Spiritus Sancti, quem Christus post ascensionem suam misit Apostolis ut eos perficeret.[55] Hinc ait: *Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non*

Christus ascendit in caelum ut perfecte possideret omnia

48) 1 Io 5, 19. 49) Act 1, 9. 50) Eph 4, 10. 51) Ier 23, 24. Vulg.: *Impleo.* 52) Is 6, 3. 53) Mt 28, 18. 54) Vr. 23. Vulg.: *Adimpletur.* 55) Cf. ibid. 4, 11-13.

veniet ad vos.[56] Sed proprius sensus est, *ut impleret omnia* suo dominatu. Hinc enim 1 capite dicitur: *Resuscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in caelestibus, super omnem Principatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus et plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus implet.*[57] Sic alibi: *Exaltavit illum et dedit illi nomen quod est,* etc. Hoc est quod in Evangelio dicitur: *Assumptus est in caelum et sedet,* idest regnat *a dextris Dei* - sedere enim regnare est et regnum sedes dicitur: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum;*[58] sic sedisse dicitur Salomon super sedem patris sui, - divino, inquit, imperio et potestate aequalis Deo regnat in caelo. Hinc Paulus *1 Corinthiis* alludens ad illud: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam,* etc., ait: *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos suos,* etc.[59] Pro sedere posuit regnare, sic de Romanis Pontificibus legimus quod quisque tot annis sedit in pontificatu, idest Ecclesiam gubernavit. Quamvis autem Stephanus stantem Christum viderit,[60] tamen sedere dicitur propter quietem a laboribus, quasi rex, superatis hostibus, triumphator et acquisiti regni pacificus possessor.

et etiam ut Spiritum Sanctum Apostolis mitteret;

sed praecipue ut divino imperio et potestate aequalis Deo regnaret in caelo.

Sed quid est *ad dexteram sedet*? Num Christus maior est Patre, ut loco sedeat honoratiore? Minime, sed ut ostendatur per omnia Patri aequalis in gloria et maiestate imperiique auctoritate, quatenus Deus *a dextris Dei,* nam Deus omnem potestatem Filio dedit, sicut apud Danielem legimus.[61]

Effectus autem ascensionis fuit in Apostolis magna admiratio et magnum gaudium. Magna admiratio: *Cumque intuerentur,* ait Lucas in *Actis, in caelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis,* in signum utique magnae laetitiae, *qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis,* hoc est, quid admiramini *aspicientes in caelum?*[62] Magnum item gaudium; sic enim habet idem

Indicatur effectus, idest admiratio et magnum gaudium in Apostolis.

56) Io 16, 7. 57) Vrr. 20 sqq. 58) Lc 1, 32. 59) 15, 25. 60) Cf. Act 7, 55.
61) Cf. 7, 13-14. 62) 1. 10-11.

Lucas in Evangelio suo quod ipsi *adorantes eum, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.*[64] In eo autem quod ait: *adorantes eum*, indicat ascensionem operatam fuisse in animis Apostolorum veram cognitionem divinitatis Christi veluti experimentalem, ac per consequens veram religionem. Adoratio enim actus est religionis et verae pietatis in Deum; sicut autem adoratio indicat veram cognitionem, ita etiam gaudium verum amorem, magnum autem gaudium magnum amorem: *Regressi sunt* autem *Ierosolymam cum gaudio magno,* conspecta Christi exaltatione et gloria vere divina.

ALIA HOMILIA

Ascensio Christi est praecipuum mysterium fidei,

I. Habemus in hodierno Evangelio unum ex potissimis mysteriis christianae religionis praecipuumque fidei nostrae articulum, nempe ascensionis Christi in caelum: *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei.*[1] Fuit autem Christi ascensio magnum miraculum et magnum beneficium.

magnum miraculum

Magnum miraculum quoad factum, quoad modum et quoad terminum. *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei.* Assumptus veluti tractus in caelum, sicut ferrum a magnete, quod veluti naturae miraculum est. Habet homo in Sacris Litteris duo praecipua nomina: *adam,*[2] quod est terreus, *min adamah,* sicut latine dicitur homo ab humo, itemque *isc,* quasi *esc,* ignis, quasi igneus.[3] Christus verus est homo. Ante resurrectionem veluti *adam,* terrenus visus est homo; post resurrectionem autem, maxime vero in ascensione, visus est totus igneus, sicut Ezechieli apparuit.[4] Magnum miraculum, quia hodie adimpletum est illud: *Quid est homo quod memor es eius?... Minuisti eum paulo minus ab Angelis,* hebraice *a Deo, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius;*[5]

64) 24, 52.

1) Mc 16, 19. 2) Cf. Gn 1, 26-27; 2. 7. 15; Ps 8, 5; Ez 2, 1. 3. 6. 8. 3) Cf. Gn 2, 24; 3, 6. 16; 11, 3; Ps 1, 1. 4) Cf. Ez 1, 4 sqq. 5) Ps 8, 5-8.

quia homo hodie exaltatus est super omnes ordines Angelorum et Deo aequalis declaratus: *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei.*

Magnum item beneficium, quia aperuit hodie portas caeli, confirmavit fidem et veritatem Evangelii, abiit ad parandum nobis locum,[6] ut mitteret nobis Spiritum Sanctum, ad intercedendum iugiter pro nobis, ad procurandam salutem, felicitatem et consolationem nostram, veris, inquam, christianis. Hinc *exprobravit incredulitatem eorum;*[7] hinc ait: *Qui non crediderit condemnabitur;* hinc: *Praedicate Evangelium omni creaturae.* Fuit enim Christi ascensio veluti sigillum Evangelii ipsum confirmans et authenticum reddens: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*[8] Hinc ponuntur mirabilia opera et effectus fidei: *Signa autem eos qui crediderint haec sequentur.*[9] et magnum beneficium.

II. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Duo hic sunt scopuli, veluti inter Scyllam et Charybdim hic navigatur.[10] Nam hinc Anabaptistae statuunt suam haeresim de parvulis non baptizandis, quoniam Dominus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit.* Intelligunt enim quod, nisi quis prius actualem fidem habuerit, baptizari non possit, sicut Philippus Eunucho dixit: *Si credis ex toto corde, licet.*[11] At infantes non possunt ita credere, cum *fides* sit *ex auditu, auditus autem per verbum Christi;*[12] ipsi vero per aetatem intelligere adhuc non possunt, nec sunt capaces sermonis. Quare existimant quidem Anabaptistae Baptismum necessarium ad salutem, sed nonnisi adultis dari posse.[13] Error Anabaptistarum

Alter error Calvinianorum est. Hi enim hinc colligunt non esse Baptismum necessarium ad salutem, licet affirment dari posse infantibus, quoniam Dominus ait: *Qui non crediderit condemnabitur,* et alter Calvinianorum.

6) Cf. Io 14, 2. 7) Mc 16, 14. 8) Ibid. vrr. 15-16. Affert ordine inverso. 9) Ibid. vr. 17. 10) Alludit ad illud incerti auctoris: « Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim », de quo etiam Virgilius, *Aeneid.*, lib. 3, vrr. 420-421: « Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis - Obsidet »; et de iis dicitur, qui volentes periculum minus evitare, in maius incidunt. 11) Act 8, 37. 12) Rom 10, 17. 13) Cf. S. Laurentius a Br., *Hypotyposis*, part. 1, pag. 155; part. 2, pag. 110. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 3, *De Baptismo*, lib. 1, cp. 8, col. 240-241.

non autem dicit: qui non baptizatus fuerit,[14] quae quidem antiqua fuit haeresis. Fuere nanque haeretici, quos Tertullianus libro *De Baptismo* scelestissimos appellat, qui dicebant non esse Baptismum ad salutem necessarium, cum fides satis sit.[15]

Refutantur Anabaptistae.

III. Sed paucis videndum quam mirabilis sit novorum horum ac divinissimorum theologastrium sapientia. *Qui crediderit,* inquit, *et baptizatus fuerit, salvus erit.*[15a] Ergo qui non crediderit simpliciter, non poterit baptizari; non ergo infantes. Quomodo sequitur? Qui non crediderit: quid? quibus? Utique vobis praedicantibus, id quod vos praedicabitis. Nam: *Ite,* inquit, *per universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae,*[16] idest omnibus gentibus, sicut apud Matthaeum legimus: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.*[17] Loquitur ergo de iis quibus praedicandum fuerit Evangelium. Num parvulis infantibusque praedicandum erat? Stultitia fuisset. Non loquitur ergo nisi de adultis, qui, audita Evangelii praedicatione, sua sponte credere voluissent et potuissent. Si noluisset adultus, in confesso est, non est cogendus ad Baptismum; si vult credere et sua sponte fidem Christi suscipere, baptizari potest; sin autem, non potest. Cum ergo nonnisi de adultis hic agatur, qui capaces sunt fidei per praedicationem, quomodo huc spectant infantes? Nam mira est inter Matthaeum et Marcum consonantia: *Docete,* inquit, *omnes gentes, baptizantes eos... Docentes eos servare omnia.*[18] Haec nonnisi adultis mysteria tradi possunt. Loquitur ergo Christus de Baptismo adultorum, non de parvulorum. Quomodo ergo ad infantes hoc trahitur?

Praeterea non agit hic Christus de necessitate Baptismi, de qua dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* Ioannis 3,[19] et: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* ut Paulus *ad Titum* scribit,[20] sed agit de effectu Baptismi rite suscepti. Aliud est autem dicere: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* et aliud est dicere: nemo

14) Cf. S. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Baptismo,* lib. 1, cp. 4, col. 220-221.
15) Cf. cp. 13, (P. L. 1, 1214-1215). 15a) Ms.: *Condemnabitur,* loco: *Salvus erit.*
16) Mc 16, 15. Vulg.: *Euntes in mundum,* etc. 17) 28, 19. Vulg.: *Euntes docete,* etc.
18) Mt 28, 20. 19) Vr. 5. 20) 3, 5.

potest baptizari, nisi prius actu crediderit, sicut aliud est dicere: qui habet arma et equum potest ire ad bellum, et aliud: nemo potest ire ad bellum, nisi habuerit simul arma et equum. Hinc docet Dominus non sufficere solam fidem sine Baptismo ad salutem, non autem quod actualis fides omnino necessaria sit ad suscipiendum Baptismum.

Non solum igitur impie, verum etiam inepte et stolide loquuntur Anabaptistae, nunquam enim in Divinis Litteris legimus non posse baptizari infantes. Sancta Ecclesia catholica ab initio semper baptizavit infantes. Docuit Christus, Matthaei 19,[21] Marci 10,[22] Lucae 18,[23] parvulorum esse regnum caelorum, hoc est eos capaces esse regni caelestis; at *nisi quis renatus fuerit.* Ergo possunt baptizari, sunt capaces Baptismi sicut regni; possunt infantes suscipere in Novo Testamento sacramentum fidei, sicut in Veteri circumcisionem; potest proprio et actuali merito eos gratia Christi salvare, sicut potuit eos sine proprio et actuali demerito[24] Adami culpa damnare, nam, ut Paulus *ad Romanos* docet, potentior fuit Christus ad salvandum quam Adam ad damnandum.[25]

IV. Nunc videamus divinam Calvinianorum sapientiam. Non est, inquiunt, Baptismus ad salutem necessarius. Cur non? Quia Christus ait: *Qui autem non crediderit, condemnabitur;* non autem dixit: qui autem non fuerit baptizatus. Ergo quia non replicavit secundum membrum, non est necessarium? Dico, si dixisset: qui autem baptizatus non fuerit, condemnabitur; sicut alias dixit: *Nisi quis renatus fuerit,* nulla facta in ea propositione mentione de fide, num statim dicendum fuisset non esse fidem necessariam, quia salutem tribuit Baptismo? Sed manifestum est plura requiri ad aedificandum quam ad destruendum, plura ad salutem quam ad perditionem. Nam ad vitam hominis requiritur caput, cor, sanguis, spiritus, ad mortem defectus unius; ad salutem mandatorum omnium observatio, ad damnationem unius tantum praecepti transgressio, unius tantum virtutis, nempe caritatis, defectus, licet omnes aliae

Refutantur Calviniani.

21) Cf. vr. 14. 22) Cf. vr. 14. 23) Cf. vr. 16. 24) Ms.: *Eos* iterum ponitur.
25) Cf. 5, 15-17.

praesto sint. Hoc voluit dicere Christus, propterea unum tantum membrum replicavit: *Qui autem non crediderit.* Nam fides basis et fundamentum est salutis; sine fundamento quomodo stabit aedificium? Si dicas: domus, quae bonum habet fundamentum et tectum potest inhabitari; quae autem fundamentum non habet, non potest habitari, sed corruet, quid necesse est addere etiam tectum? Si enim nullum habet fundamentum, quomodo tectum habebit? Non construitur aedificium, nisi posito prius fundamento. Propterea ait: *Qui non crediderit condemnabitur;* nam adultus sine fide baptizari non potest. Agit autem hic Dominus de adultis, qui per praedicationem suscipiunt Christi fidem. Nec est novum in Divinis Litteris ut, positis prius duobus membris, postea unum tantum resumatur: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te;* postea: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit,* etc.;[26] num negare voluit Dominus eos omnia reliquisse? Sic in *Genesi*: *In principio creavit Deus caelum et terram*: duo sunt membra, sed tantum unum resumitur: *Terra autem erat inanis et vacua;*[27] an non etiam caelum sine ornatu et luce erat?

Sed quid volumus summos docere theologos omnium maxime gnosticos? Sunt vero ita sapientes et docti, ut iusti, nempe putative. Sufficiat nobis id quod Petrus docuit *1 Epistola,* capite 3, nempe non magis nos nunc modo salvari posse sine Baptismo, quam olim tempore diluvii sine arca, extra quam nemo salvatus fuit et superstes a diluvio mansit.[28] Et si Baptismus necessarius non est, ad quid Philippus tam propere Eunuchum iam credentem, sed vix tantillum de mysteriis christianae fidei instructum, baptizavit? Ad quid Petrus in die Pentecostes interrogatus a Iudaeis compunctis corde: *Quid faciemus, viri fratres?* respondit: *Poenitemini et baptizetur unusquisque vestrum,*[29] et statim illo die circiter tria hominum millia baptizavit?[30] Sufficiat quod Paulus ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,* etc.[31]

26) Mt 19, 27-28. 27) 1, 1-2. 28) Cf. vr. 20. 29) Act 2, 38. Vulg. *Poenitentiam agite,* etc. 30) Cf. ibid. vr. 41. 31) Reliqua pars paginae alba relinquitur.

V. In hodierno Evangelio, quod spectat ad miraculum, ostenditur primum veritas miraculi. Elias raptus fuit in caelum, uno tantum vidente, Eliseo discipulo; [32] Christus vero assumptus in caelum est coram multis testibus, nam: Cum haec dixisset, *postquam locutus est eis, assumptus est in caelum;* [33] *Videntibus illis,* ait Lucas in *Actis, elevatus est; cumque intuerentur in caelum euntem illum... quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* [34] Coram multis testibus summae integritatis et fidei voluit Dominus in caelum ascendere. Nemine vidente incarnatus fuit, nemine vidente a mortuis surrexit, licet post resurrectionem per dies quadraginta discipulis suis saepe apparuerit; [35] at multis videntibus voluit in caelum ascendere, ut fides huius articuli, quae totius fidei basis et fundamentum est, firmissima stabilitate constaret. Nam Spiritus Sanctus, inquit, *arguet mundum de iustitia, quia ad Patrem vado;* hoc, inquit, unico ascensionis meae in caelum argumento convincet me verum esse Messiam, salvatorem mundi: *Quia ad Patrem vado et iam non videbitis me,* [36] idest perpetuo apud eum mansurus; nam: *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei,* [37] perpetuo apud Deum manet.

Ostenditur veritas miraculi ascensionis Christi,

Veritatem autem huius miraculi adventus Spiritus Sancti confirmavit, nam cum assumptus, inquit, fuero a vobis, mittam vobis Spiritum veritatis: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* [38] Sic vos *baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies;* [39] *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* [40] Descendit vere, iuxta promissum, Spiritus Sanctus in Apostolos. [41] Ergo Christus vere in caelum ascendit, unde Spiritum Sanctum mittere in Apostolos potuit. Hinc ostenditur Christi divinitas, nam ex sessione sua ad dexteram Dei, ex illo Davidis loco: *Dixit Dominus Domino meo,* [42] ostendit Dominus Iudaeis divinitatem suam, cuius causa a David Dominus appellatus fuit. [43]

confirmata etiam ab adventu Spiritus Sancti,

Ostenditur etiam veritas ab effectibus et operibus subsecutis, nam ait: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino coope-*

32) Cf. 4 Rg 2, 6-12. 33) Mc 16, 19. 34) 1, 9-10. 35) Cf. ibid. vr. 3. 36) Io 16, 10. 37) Mc 16, 19. 38) Io 16, 7. 39) Act 1, 5. 40) Lc 24, 49. 41) Cf. Act 2, 1-4. 42) Ps 109, 1. 43) Cf. Mt 22, 44-45.

ab effectibus et operibus subsecutis.

rante et sermonem confirmante sequentibus signis.[44] Praedicaverunt enim Apostoli et discipuli Christi divinam hanc veritatem et divinis miraculis confirmarunt, accepto Spiritu Sancto; imo potius Deus per eos confirmavit: *Domino cooperante et sermonem confirmante,* etc.[45]

44) Mc 16, 20. 45) Pagina alba relicta, transit ad Dominicam sequentem infra octavam Ascensionis.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me et vos testimonium, etc. [1]

I. Promittitur in hodierno Evangelio adventus Spiritus Sancti ad confirmandam veritatem fidei christianae contra diras immanesque persecutiones, de quibus ait: *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo.* [2] Quare, sicut olim accidit domui Elisei prophetae - cum enim circumdata esset exercitu Syrorum, qui venerant ad capiendum Prophetam et evertendam domum, statim affuit caelestis exercitus ad eam propugnandam et defendendam virumque Dei servandum: *Mons,* inquit, *plenus erat equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei, 4 Regum* 6,[3] - ita plane videmus Ecclesiam Christi fidemque christianam inter duos exercitus: inter exercitum mundanarum persecutionum ad perdendam eam et exercitum divinorum favorum ad eam servandam. Duo ibi exercitus: alter terrenorum hominum, alter caelestium Angelorum; duo etiam hic: alter mundanarum persecutionum, alter divinarum consolationum.

Christus promittit Spiritum S. ad confirmandam veritatem fidei contra persecutiones,

Loquitur autem prius de consolationibus in hodierno Evangelio Dominus, postea de persecutionibus: *Cum venerit Paracletus,* consolator, *quem ego mittam vobis a Patre,* a sinu Patris, a Deo

sed prius loquitur de consolationibus.

1) Pericope huius diei Io 15, 26-16, 1-4. Cf. Missale Rom. 2) Io 16, 2. 3) Vr. 17.

ipso, quem ego divina qua polleo auctoritate mittam vobis, *Spiritum veritatis*, idest Spiritum verum, veracem, qui auctor est omnis veritatis, *qui a Patre procedit*, qui divina natura constat, verus Deus de vero Deo, sicut fluvius a fonte, *ille testimonium perhibebit de me*, tanquam testis summae auctoritatis, omni exceptione superior.

Spiritus S. testis est summae auctoritatis.

Cum enim tria requirantur in teste: ut sit omni exceptione superior, cognitio veritatis quam testatur, integritas animi probitasque, ut sit bonus vir, et tandem auctoritas spectataque dignitas personae, in hoc divino teste sunt omnia haec in summo gradu, nam Spiritus est veritatis, spiritus sanctitatis et spiritus Deitatis, verus Deus unius eiusdemque cum Deo sicut naturae ita etiam potentiae, sapientiae et bonitatis. Quare ipsius gravissimum futurum est testimonium summae auctoritatis et fidei.

II. Sed quid opus fuit novo hoc testimonio? Fides Christi testimonium habuit habetque a Moyse, hinc ait: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit;* [4] itemque ab omnibus Prophetis: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum;* [5] a Scripturis omnibus: *Scrutamini Scripturas*, quia ipsae *testimonium perhibent de me;* [6] *Incipiens a Moyse et omnibus Scripturis, interpretabatur illis;* [7] testimonium ab Angelis in nativitate [8] et in resurrectione; [9] testimonium a Ioanne Baptista: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum;* [10] testimonium a miraculis: *Opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me;* [11] testimonium ab Apostolis: *Eritis mihi testes... usque ad ultimum terrae;* [12] *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis;* [13] testimonium a Patre in Iordane [14] et in monte transfigurationis: *Hic est Filius meus dilectus;* [15] ab ipso etiam Spiritu Sancto in baptismo. [16]

Fides Christi multa habet testimonia,

4) Io 5, 46. 5) Act 10, 43. 6) Io 5, 39. 7) Lc 24, 27. 8) Cf. ibid. 2, 6-14. 9) Cf. Mt 28, 1-7; Mc 16, 5-7; Lc 24, 4-7; Io 20, 11-13. 10) Io 1, 7. 11) Ibid. 10, 25. 12) Act 1, 8. 13) Io 15, 27. 14) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 11; 3, 22. 15) Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 16) Cf. Mt 3, 16 sq.; Mc 1, 9-10; Lc 3, 21-22.

Quid opus fuit novo adhuc testimonio, et tali tantoque testimonio?

Sed sicut magnum altumque aedificium loco non satis solido fundatum opus habet magno profundoque fundamento, quod totam aedificii molem sustinere possit, ita plane fides christiana, cum instar magni sit aedificii, opus habuit solidissimis fundamentis. Hinc in *Apocalypsi* legimus civitatem duodecim fundamenta habentem, [17] et in *3 Regum* mare magnum duodecim aeneis bobus sustentatum. [18] Praedicat fides christiana mysteria summe difficilia: Deum unum et trinum, Deum hominem factum et usque ad mortem crucis humiliatum: *Domine, quis credidit auditui nostro et brachium Domini cui revelatum est?* [19] Et tamen mysteria haec erant ad salutem summopere necessaria, nam: *Sine fide impossibile est placere Deo;* [20] *Non est aliud sub caelo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* [21] nisi in nomine isto. Est sicut serpens exaltatus unicum remedium contra venena ignitorum serpentium. [22] Sunt etiam mysteria summa fide digna, propter summam Christi dignitatem et meritum: *Nemo* autem *potest dicere Dominus Iesus,* hoc est in Christum credere corde eumque ore confiteri et invocare, *nisi in Spiritu Sancto.* [23] Sine fide non potest Christus, ut par est, cognosci, amari, coli, adorari: *Dignus est* autem, etc. [24] Et tandem in mundo summa erat indispositio ad fidem Christi suscipiendam, tum propter caecitatem mentis summamque divinarum rerum ignorantiam, tum propter animi perversitatem cordisque malitiam, cui vitia non virtutes placebant, cum totus mundus caro esset, sicut in diebus Noe. [25] Cum igitur opus esset tam arduum tamque difficile Christi fidem Ecclesiamque in mundo fundare, veluti si rex extra suum regnûm in ditione inimici regis, et quidem potentissimi, vellet arcem fundare inexpugnabilem multis opus esset - sicut Carolus Quintus, invictissimus imperator, in Africa arcem aedificavit, quae Goletta dicebatur... [26]

sed opus fuit hoc novo testimonio, quia mysteria fidei sunt maxime difficilia,

et tamen necessaria ad salutem,

et, ex adverso, mundus est maxime indispositus ad ea suscipienda.

17) Cf. 21, 14. 18) Cf. 7, 23-25. 44. 19) Is 53, 1. 20) Hebr 11, 6. 21) Act 4, 12. 22) Cf. Nm 21, 6-9; Io 3, 14. 23) 1 Cor 12, 3. 24) Apc 5, 12. 25) Cf. Gn 6, 3. 26) Cf. Alf. Ulloa *Vita dell'invittissimo e sacratissimo Imperatore Carlo V*, pag. 137-143. Reliqua subtacentur.

Multa fecit Deus ut in populo hebraeo fidem fundaret;

Mundus satanae regnum erat: *Venit princeps mundi huius;*[27] Ecclesia autem arx inexpugnabilis: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam,*[28] sicut turris David, quae aedificata erat cum propugnaculis, omni armatura fortium munita;[29] talem autem ac tantam molem in regno inimici fundare multa requirebat; sic usu comparatum est: magna navis multis opus habet nautis, magna triremis multis remigibus, ubi naviculae unus sufficit nauta et cymbae unus remex. Misit Deus Moysen ad praedicandam Hebraeis in Aegypto divinam religionem divinasque promissiones patribus factas;[30] ad probandam veritatem legationis suae magna eum sanctitate ac mirabili potestate donavit, ut hisce duobus argumentis praedicationis suae veritatem confirmaret. Post Moysen misit Prophetas, qui legationis suae et doctrinae veritatem, non solum vitae sanctitate et miraculorum operatione, verum etiam divinarum legum auctoritate probabant; sic etiam Ioannem Baptistam misit qui, etsi nullum miraculum fecit,[31] ipse tamen totus miraculum fuit, conceptione, nativitate et vita.[32]

tandem Christum misit, Christus autem Apostolos,

Noluit enim Deus ut Iudaei quibuscumque prophetis temere fidem adhiberent, sed perspectis verorum Prophetarum notis in lege praescriptis; sed perspectis notis lege praescriptis, credere ex divino mandato tenebantur;[33] sic cum Christum misit in mundum, voluit ut multis argumentis probaret doctrinae suae veritatem et vitae divina sanctitate et miraculorum divinissimorum operatione et Divinarum Scripturarum auctoritate et Ioannis Baptistae ac Apostolorum suorum testificatione. Misit Christus Apostolos ad praedicandum Evangelium, sed ut ipsi quoque probarent doctrinae suae veritatem vitae sanctitate, miraculorum operatione, auctoritate Divinarum Scripturarum, auctoritate Christi et auctoritate Spiritus Sancti. Ecclesia item catholica hisce mediis semper fere fidei catholicae veritatem probavit, addita Sanctorum Patrum ab initio antiquissima traditione et Sacrorum Conciliorum Doctorumque Sanctorum auctoritate, propterea dicta est *columna et firmamentum veritatis.*[34]

qui sanctitate et miraculis fidem probarent.

27) Io 14, 30. 28) Mt 16, 18. 29) Cf. Ct 4, 4. 30) Cf. Ex 3, 2-10.
31) Cf. Io 10, 41. 32) Cf. Lc 1, 11-20. 57 sqq.; 3, 1-18; 7, 28. 33) Cf. Dt 18, 15 sqq.
34) 1 Tim 3, 15.

Stulte novatores iactant se a Deo missos ad reparandam Ecclesiam.

III. Nunc novi isti evangelistae, qui se a Deo ad reparandam renovandamque Ecclesiam missos iactant et nugantur, tamquam falsi prophetae Baal[35] a satana missi ad decipiendas animas, quibus mediis probant se missos a Deo? Propria tantum auctoritate, quoniam sic intelligenda et interpretanda Scriptura est. Unde sciam? Quid cogit ut credam? Omnes haeretici ita loquuntur. Num omnibus credendum est? Ita Lutherus, ita Zuinglius, ita Calvinus. Cui magis credendum? Proferenti Scripturas. Sed etiam satanas Scripturas protulit.[36] Fides Scripturarum ad salutem necessaria est, non intelligentia; non quaero novam Scripturarum intelligentiam, sufficit antiqua totius Ecclesiae et Sanctorum Patrum, nec quaero quomodo possit intelligi Scriptura. Nam cum multis abundet ambiguis sententiis verbisque aequivocis, potest multipliciter intelligi; sed quaero quomodo debeat intelligi, nempe ut semper ab Ecclesia catholica Sanctisque Patribus intellecta est.

pro suo enim lubitu Scripturam interpretantur.

Hic latet anguis. Capitis sui phantasmata inanesque chimaeras pro Sacris Scripturis volunt nobis vendere novi evangelistae Epicuri. Credo ego firma fide Scripturis; at ita intelligendas esse, ut ipsi intelligunt, non credo. Credebant Sancti Patres Nicaeni concilii Divinis Scripturis quas Ariani adducebant, ut probarent Christum creaturam esse minorem Deo, sed non ita ut Ariani intelligebant; aliud enim est credere, aliud intelligere Scripturas.

Aliis testimoniis opus est ut eis credatur,

Aliis testimoniis opus est, si volunt ut credamus eis: *Ille testimonium perhibebit de me et vos testimonium perhibebitis.* Praeter testimonia Divinarum Scripturarum et testimonium vitae sanctissimae, quae duo sufficere potuissent, sicut in Ioanne, praeter etiam testimonium miraculorum, addere etiam voluit testimonium Spiritus Sancti et testimonium Apostolorum, qui fuerunt testes oculati: *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*[37] Sic Petrus post Christi ascensionem: *Oportet... testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum,* etc.;[38] *Dedit eum manifestum fieri... testibus praeordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam surrexit a mortuis;*[39] *Nos testes sumus;*[40] *Non possumus*

quae sola fides Christi proferre potest.

35) Cf. 3 Rg 18, 19-40. 36) Cf. Mt 4, 3-10; Lc 4, 9-11. 37) Io 15, 27. 38) Act 1, 21-22.
39) Ibid. 10, 40-41. 40) Ibid. 2, 32; 3, 15.

quae audivimus et vidimus non loqui;[41] *Quod vidimus oculis nostris, quod audivimus et manus nostrae contrectaverunt... testamur et annunciamus vobis.*[42]

Fides Christi testimonium habet etiam a persecutionibus,

IV. Sic igitur multis divinis favoribus fides Christi in mundo fundata firmataque est; sed multis etiam mundanis persecutionibus agitata impugnataque, sicut navis Petri in medio mari, orta tempestate, ita ut pene operiretur fluctibus:[43] *In mundo pressuram habebitis;*[44] *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo.*[45] Sic praedixit Apostolis magnas gravesque persecutiones, quas passuri erant in mundo, quales etiam ipse Christus ante eos passus fuit usque ad mortem.

quas ipse praedixerat obventuras.

Praedicit autem eis persecutiones et causas persecutionum: *Absque synagogis facient vos.*[46] excommunicabunt vos, habebunt vos Iudaei tanquam ethnicos et publicanos, homines impios, Deo inimicos execrabiles satanae ministros; arcebunt a locis sacris cultui et orationi dicatis, tamquam filios perditionis et homines incorrigibiles, nam alioqui quorum spes erat melioris frugis in synagogis ipsis sumebantur punitiones et ibi veluti publice correctiones fiebant et publice poenitentiae dabantur. In tres enim usus synagogae institutae erant: primo ad orandum, unde oratoria etiam dicebantur, hinc Dominus ait de hypocritis, quod in synagogis orabant;[47] secundum ad usum verbi Dei, hinc Christus *erat praedicans in synagogis*[48] Galilaeae; tertio ad puniendum delinquentes in legem: *In synagogis suis flagellabunt vos;*[49] *Ex eis flagellabitis in synagogis vestris.*[50] Excludi autem a synagogis magnum erat probrum, veluti cum nunc apud nos aliquis publice excommunicatur. Nec id solum, inquit, verum etiam interficiemini, et ita interficiemini, ut *omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare,* idest gratissimum sacrificium se offerre *Deo;* interficiemini tamquam impii inimici Dei, homines exleges, religionis eversores, hominum perversores ac se-

41) Ibid. 4, 20. 42) 1 Io 1, 1-3. 43) Cf. Mt 8, 24. 44) Io 16, 33. 45) Ibid. vr. 2. 46) Ibid. 47) Cf. Mt 6, 5. 48) Cf. Mc 1, 39. 49) Mt 10, 17. 50) Ibid. 23, 34.

ductores pessimi, Deo summopere inimici et exosi. *Haec* autem *facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me.*[51] Assignat talium tantarumque persecutionum causas: zelum falsum religionis, *non secundum scientiam,*[52] et ignorantiam, defectum cognitionis veri Dei et Christi, veri Filii Dei: Nam *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;*[53] ita: *Haec facient vobis quia non noverunt Patrem neque me.*

Mirum non est si Apostoli persecutiones passi sunt,

V. Et quidem mirabile est cur tanto odio mundus in Apostolos [insurrexerit], cum nedum essent[54] agnorum instar innocentissimi, verum etiam angelica divinaque sanctitate praediti et insuper hominibus supra modum utiles, sanando infirmos, illuminando caecos, mortuos etiam resuscitando, tamquam caelestes quidam medici, qui ab hominibus solent maximo in pretio haberi, et tandem divina erant dignitate et auctoritate donati, erant enim nuntii et legati Dei ad homines, sicut olim Prophetae: *Pro Deo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.*[55] Solent autem magnorum principum legati honorari et honeste tractari. Sed cum tales etiam Prophetae omnes fuerint, multas tamen et graves passi fuere a popularibus suis persecutiones, ob eam fere solam causam, quam Christus expressit aliquando dicens: *Me odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt;*[56] nam propter hanc causam Zacharias, sacerdos et pontifex, lapidatus fuit[57] et Ieremias gravissimas persecutiones sustinuit.[58] Verum est quod comicus ait:

« Convivium amicos, veritas odium parit ».[59]

Apostoli autem missi sunt non solum ad arguenda mundi vitia et peccata, verum etiam ad evertendam funditus radicitusque evellendam antiquam avitamque idolorum religionem plantandamque

51) Io 16, 3. 52) Rom 10, 2. 53) 1 Cor 2, 8. Invertit ordinem. 54) Ms.: *Esset.* 55) 2 Cor 5, 20. Vulg.: *Pro Christo,* etc. 56) Io 7, 7. 57) Cf. 2 Par 24, 20-22; Mt 23, 33. 58) Cf. Ier 38, 1 sqq. 59) Terentius *Andria,* act. 1, sc. 1, vr. 41. Textus: « Obsequium amicos ».

missi enim erant ad evertendum regnum diaboli, idest idololatriam

novam fidem, fundandam novam religionem, ad inferendum diis Gentium, hoc est daemonibus, bellum, nam: *Omnes dii gentium daemonia;* [60] *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* idest adversus homines, *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* [61] Sic daemones ipsi, contra quos Apostoli bellum indixerant, in eos insurrexerunt et gentes contra eos excitarunt, quemadmodum equites in bello adversus hostes equos incitant. Daemones erant veluti equites, mundani autem homines tamquam equi in bello hoc. Quare diaboli opera cum primis gentes in Apostolos et discipulos Christi insurrexerunt et ad mortem usque summa crudelitate, summo odio persecuti sunt.

ad furorem in cordibus gentium radicatam.

Deinde, ut Dominus hic ait, occidentes Apostolos arbitrabantur *obsequium se praestare Deo.* Nam cum verum Deum veramque religionem ignorarent falsosque deos pro vero adorarent, existimantes suam religionem veram esse, armati zelo religionis Apostolos tamquam Dei inimicos et religionis impios eversores persequebantur cum Iudaei tum etiam Gentiles. Nam de Iudaeis legimus, quod multi eorum voto se astrinxerunt nunquam sumpturos se cibum, nisi prius Paulum tamquam Dei et legis divinae inimicum occidissent. [62] Legimus etiam tumultum Ephesiorum in Asia contra Paulum et Barnabam propter zelum religionis Dianae, Ephesiorum deae. [63] Zelus religionis est homini veluti naturalis, sicut et ipsa religio, sicut zelus honoris et honoris appetitus.

Deus in electis suis zelum religionis vel maxime requirit,

VI. Et Deus quidem in electis suis vel maxime requirit zelum religionis, sicut *Deuteronomii* 13 legimus, iubet enim omnem falsum prophetam de medio tollendum esse omnemque hominem, qui a vera religione recedit et alicui hoc ipsum persuadere audet, lapidibus obruendum, et si qua civitas hoc fecerit, ut tota simul flammis exuratur ac funditus eversa, in tumulum perpetuum relicta,

60) Ps 95, 5. 61) Eph 6, 12. 62) Cf. Act 23, 12. 63) Cf. ibid. 19, 23-29.

nunquam amplius reaedificaretur.[64] O utinam ardens hic verae religionis zelus in catholica Ecclesia, maxime vero in ecclesiasticis Praesulibus et principibus christianis, repertus fuisset, cum novi hi haeretici, Lutherus, Zuinglius et Calvinus, exorti sunt! Non enim tantas excitassent tragoedias tanta cum pernicie animarum et iactura catholicae religionis in multis civitatibus, regionibus, provinciis, regnis orbis christiani. Sed sicut Dominus ait, quod *filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt,*[65] ita, proh pudor! multo zelantiores extitere olim ethnici et nunc Iudaei et Turcae suarum religionum, licet falsarum, quam christiani catholicae religionis, quae sola et unica vera est religio, sicut arca Noe unus salutis locus.[66] Sed sicut causa talium tantarumque persecutionum tunc fuit, quia *non noverunt Patrem neque me,* ita etiam nunc eamdem ob causam magnus est christianae religionis neglectus, quia *non noverunt Patrem neque me;* propterea regnat adhuc satanas, regnat mundus, regnat caro, regnant vitia et peccata, quia *non noverunt Patrem neque me.* Hoc est quod per Oseam legimus: quia *non est scientia,* idest cognitio *Dei in terra,* propterea *maledictum et mendacium... adulterium et furtum inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit.*[67] Videmus, inquit, veluti diluvium peccatorum in mundo, ad instar noetici diluvii, quia non cognoscunt homines Deum.

cuius defectus in causa fuit tantae iacturae religionis

et animarum ruinae in orbe christiano.

VII. Habemus in hodierno Evangelio duo: promissionem divinarum consolationum et praedictionem mundanarum persecutionum. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre,* haec est promissio divinarum consolationum; nam propterea Spiritus Sanctus simpliciter Paracletus, idest consolator, appellatur, quoniam *Deus* est *totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*[68] *Absque synagogis facient vos, et venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo,* haec praedictio

64) Cf. 13, 1 sqq. 65) Lc 10, 8. 66) Cf. Gn 6, 5 sqq. 67) 4, 1-2. Vulg.: *Furtum et adulterium inundaverunt,* etc. 68) 2 Cor 1, 3-4.

tribulationum mundanarum est. Habemus hic desertum et manna, amarissimas aquas Mara et lignum eas divinitus dulces reddens;[69] habemus tenebras terrenas et lucem caelestem: *Rursum post tenebras spero lucem,*[70] post nubila Phoebus.[71]

69) Cf. Ex 15, 23-25; 16. 12 sqq. 70) Ioh 17, 12. 71) Modus proverbialis antiquissimus et usitatus. Quattuor paginis albis relictis, transit ad Festum Pentecostes.

IN FESTO PENTECOSTES

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, etc. [1]

I. Videtur Dominus in hodierno Evangelio verbis ornare munus donumque caeleste a Deo missum hodie Ecclesiae fidelium Christi. Ornatur autem tribus titulis, nam appellatur *Paracletus*, idest consolator, appellatur *Sanctus* et appellatur *doctor: Docebit vos omnem veritatem.* [2] Est autem mirabilis simpathia et consonantia inter lectionem Evangelii hodierni et Epistolae, [3] nam in utraque agitur de Spiritu Sancto; sed in Evangelio habemus promissionem, in Epistola adimpletionem promissionis; in Epistola donum, in Evangelio ornamentum doni caelestis: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater*, qui est legatus Dei, nuncius divinus tamquam legatus a latere. Hic promittitur Spiritus Sanctus, qui quidem saepe in Divinis Litteris promissus est; nec tantum promissus, verum etiam multis titulis ornatus. A Moyse, *Exodi* 31, dictus est *Spiritus Dei*, sicut etiam *Genesis* 1, [4] sed additum est Spiritum hunc sapientiae, intellectus, scientiae et artis spiritum esse. [5] Ab Isaia dictus est *Spiritus sapientiae, scientiae*, etc., [6] a David Spiritus bonus: *Spiritus tuus bonus deducet me*, etc., [7] Spiritus rectus, Spiritus Sanctus, Spiritus principalis, [8] idest inter omnes spirituales substantias principem locum tenet, a Zacharia Spiritus gratiae et miserationis. [9]

Multis titulis ornatur in hodierno Evangelio Spiritus Sanctus,

a Christo Ecclesiae promissus et hodie datus.

1) Pericope huius diei Io 14, 23 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Io 16, 13. 3) Cf. Act 2, 1-11. 4) Cf. vr. 2. 5) Cf. vrr. 2-5. 6) 11, 1-2. 7) Ps 142, 10. 8) Cf. Ps 50, 12-14. 9) Cf. 12, 10.

II. Promittitur autem magnum miraculum et magnum beneficium donumque divinum. Magnum miraculum, quo vix mirabilius excogitari potest. Hinc hodie Iudaei, viso hoc miraculo, stupebant et mirabantur dicentes: *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram,* etc.[10] Magnum miraculum, quia hodie per adventum Spiritus Sancti Apostoli veluti deificati sunt. De uno Moyse legimus cui dixit Deus: *Constitui te deum Pharaonis,*[11] licet postea de aliis Prophetis, maxime principalibus, dictum sit: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes,*[12] propter divinarum virtutum participationem. Nam Moysi Deus divinam potentiam communicavit ad operanda miracula, sapientiam ad docendum populum divina fidei mysteria, sanctitatem ad aedificandum populum exemplis vitae sanctissimae; potentia autem, sapientia et bonitas sive sanctitas sunt veluti proprietates Dei. Hodie autem per adventum Spiritus Sancti Apostoli et discipuli Christi divinis hisce virtutibus cumulatissime donati sunt: potentia in operandis miraculis, etiam maioribus iis quae Christus operatus fuit: *Qui credit in me, opera quae ego facio... et maiora horum faciet,*[13] sicut Petrus;[14] similiter sapientia ad instruendum populum: *Docebit vos omnem veritatem; Ille vos docebit omnia.*

Magnum miraculum est donum Spiritus Sancti.

sicut patuit in Apostolis.

Magnum miraculum fuit sapientia Salomonis divinitus accepta,[15] sed multo maius infinitis pene partibus hodiernum hoc. Nam per Spiritum Sanctum Apostoli hodie et omnem plenitudinem sapientiae et scientiae rerum divinarum acceperunt et simul etiam omnia genera linguarum, ut divina mysteria omnibus gentibus praedicare et manifestare possent. Salomon donum sapientiae a Deo accepit, non autem donum linguarum, nec donum miraculorum, nec donum prophetiae aliaque huiuscemodi, quibus hodie Apostoli cumulatissime repleti sunt, sicut ait: *Repleti sunt omnes Spiritu*[16] *Sancto.*[17] Tandem quoad sanctitatem et bonitatem, hodie Apostoli tanta gratiae plenitudine per Spiritum Sanctum repleti sunt, ut etiam Angelis gratia et sanctitate sint superiores effecti, sicut nunc in caelo apud Christum sunt super Angelos sublimati et Christi consessores effecti.

qui hodie repleti sunt sapientia et scientia,

gratia et sanctitate

10) Act 2, 7-8. 11) Ex 7, 1. 12) Ps 81, 6. 13) Io 14, 12.
14) Cf. Act 5, 15. 15) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 16) Ms.: *Spiritus.*
17) Act 2, 4.

Sic facti sunt Deo similes; hinc Petrus ait 2 *Epistola*, 1: *Magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae,* [18] sicut luna participat naturam solis, ferrum ignitum naturam ignis.

Magnum miraculum fuit hodiernum, non quod ignis contra naturam de caelo descenderit, licet hoc etiam miraculum fuerit, sicut quod ignis arderet in rubo et non combureret, [19] quod non calefaceret sanctos iuvenes in fornace [20] — nam licet miraculum hoc fuerit, alias tamen huiuscemodi miracula visa sunt: descendit ignis de caelo ad sacrificia consumenda in die dedicationis tabernaculi mosaici, *Levitici* 9; [21] itemque in die consecrationis templi Salomonis, ut in 2 *Paralipomenon* legimus, [22] et ad preces Eliae ad consumendas carnes sacrificii; [23] itemque ad perdendos centuriones cum militibus, quos impius rex miserat ad capiendum virum sanctum, [24] — sed hoc miraculum, quod ac si ignis hic ille fuisset, de quo scriptum legimus: *Deus noster ignis consumens est,* [25] divino hoc igne super eos descendente, veluti deificati sunt et divinae naturae participes et consortes effecti, repleti spiritu Christi, sicut septuaginta seniores spiritu Moysi [26] et Eliseus spiritu Eliae. [27] Revera hodiernum hoc opus miraculum miraculorum dici potest, nam homines constituit operatores [28] maximorum ac divinissimorum miraculorum. Hinc Gentiles quidam Paulum et Barnabam Apostolos, viso miraculo, tamquam veros Deos, qui de caelo descendissent, divinis honoribus colere voluerunt, [29] sicut Nabuchodonosor Danieli incensum et sacrificia obtulit. [30]

ac veluti deificati

et maximorum miraculorum operatores constituti.

III. Sed non tantum miraculum, verum etiam beneficium et quidem magnum ac revera divinum habemus hodie; beneficium supra modum utile et necessarium tum Apostolis tum universae Ecclesiae. Utile quidem, propterea ait Christus: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos;* [31] utile, quoniam Spiritus est sapientiae et intellectus, dans homini iudicium et ingenium ad recte iudicandum et acute inveniendum; Spiritus est consilii per summam prudentiam et

Est etiam divinum beneficium utilissimum, propter dona singularia Apostolis data;

18) Vr. 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa nobis,* etc. 19) Cf. Ex 3, 2. 20) Cf. Dn 3, 19-23. 49-50. 21) Cf. vr. 24. 22) Cf. 7, 1. 23) Cf. 3 Rg 18, 36-39. 24) Cf. 4 Rg 1, 9-12. 25) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 26) Cf. Nm 11, 25-26. 27) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 28) Ms.: *Operatorum.* 29) Cf. Act 14, 8-12. 30) Cf. Dn 2, 46. 31) Io 16, 7.

usum rerum; et fortitudinis,[32] dans homini robur animi et cor veluti leonis; Spiritus scientiae, idest cognitionis practicae rerum utilium et necessariarum, ac tandem Spiritus pietatis et timoris Domini, idest verae pietatis, religionis, virtutis et sanctitatis, sine qua prope nihil valent omnia superiora. Sic hominem perficit quoad utramque animae et animi nostri portionem, intellectum, inquam, et voluntatem.

ac summe necessarium,

Nec solum utile beneficium est hoc donum, sed etiam necessarium, sicut aqua, sicut ignis, sicut aer. Hinc promissus est in aqua,[33] datus est in igne: descendit in spiritu vehementi.[34] Sunt autem haec maxime necessaria, maxime spiritus ad respirandum, et ventus magnae navi ad navigandum, imo sicut anima ad vivendum. Hinc Dominus insufflavit in Apostolos et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum,*[35] ut esset veluti anima animae nostrae, nam operatur Spiritus Sanctus in anima, sicut anima ipsa in corpore, mirabiles effectus.

nam ad plantandam fidem in mundo opus erat divina sapientia et sanctitate;

Egit hodie cum Apostolis Deus, sicut olim egit cum Beseleel et Ooliab, quos divino spiritu replevit divinaque sapientia et arte, ut divinum sanctuarium aedificarent, cum prius fabrilem artem nunquam exercuissent, sed divino munere in momento facti fuere peritissimi summique artifices.[36] Apostolus ait: *Ut sapiens architectus fundamentum posui.*[37] Erant Apostoli constructuri Sanctam Ecclesiam universum per orbem, propterea prius divina sapientia donati sunt. Ad praedicandam plantandamque fidem Christi in mundo multa opus erat sapientia divinaque virtute contra satanam regnumque ipsius. Hinc ait: *Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, de iustitia et de iudicio.*[38] Sic elucet in hoc opere divina providentia, quae nunquam non suppeditat quae ad salutem nostram necessaria sunt.

item beneficium iucundum

Est item beneficium hoc iucundum, propterea Spiritus Sanctus appellatur *Paracletus,* idest consolator: *O quam... suavis est, Domine, Spiritus tuus;*[39] manna de caelo est, beneficium magnum, si consideremus donum ipsum, donationem et donatarium, nempe cui donatur, et effectus qui ex eis sequuntur. Effectus autem huius doni

32) Ms.: *Fortitudinem.* 33) Cf. Io 1, 33. 34) Cf. Act 2, 2. 35) Io 20, 22. 36) Cf. Ex 31, 1-6. 37) 1 Cor 3, 10. 38) Io 16, 8. 39) Sap 12, 1.

sunt: purgatio, illuminatio, perfectio, reddit enim hominem perfectum virtutibus et sanctitate vitae; mutat hominem in virum alterum, sicut de Saul legimus;[40] sed specialiter operatur in nobis effectum aquae et ignis, refrigerat et calefacit.

ob effectus quos Spiritus S. operatur.

IV. Sciendum autem esse nobis Spiritum hunc ad salutem summopere necessarium. Nam, ut Paulus ait: *Qui non habet Spiritum Christi, hic non est eius;*[41] *Si spiritu facta carnis mortificaveritis.*[42] An autem homo revera spiritum Dei habeat, sine quo non potest vivere ut verus christianus in statu salutis, sicut nec sine anima ut verus homo in mundo, ex his effectibus cognoscendum est, nempe ex effectibus aquae et ignis. Sunt enim in homine caro et spiritus, homo interior et exterior, portio animi inferior ad mundana et superior ad divina. Calet, ardet animus Divino hoc Spiritu destitutus ad mundana, terrena, temporalia bona, friget autem quam maxime ad aeterna, caelestia, divina. Spiritus autem Sanctus tamquam aqua caelestis refrigerat ardorem concupiscentiae, ita ut mundana haec ex alto contemnat, sicut Paulus ait: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*[43] Ardere autem facit animum ad divina, hinc idem aiebat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*[44] Nunc videat quisque an sentiat frigus hoc istumque calorem in anima sua.

Donum Spiritus Sancti necessarium est ad salutem, est enim vita animae.

refrigerat ardorem concupiscentiae terrenorum et ardere facit ad caelestia.

Cognoscitur etiam ex prompta animi devotione ad exequenda divina mandata: *Ponam Spiritum meum in medio vestri et faciam ut in praeceptis meis ambuletis;*[45] *Spiritus tuus bonus deducet me.* Navis, licet magna et valde onusta, per mare facillime natat ac veluti volat, flante aura secunda et vento propitio, sine quo navigare non potest; velox cursus navis signum est venti vehementis. Sicut irruens Spiritus Domini in Saul mutavit eum in virum alterum, non quidem quoad substantiam corporis aut animae, sed quoad animum et spiritum, dedit enim ei cor, animum, mentem, spiritum rege dignum; cum electus divinitus esset in regem, factus ex pri-

Hoc ipsum egit hodie in discipulis Christi.

40) Cf. 1 Rg 10, 6-10. 41) Rom 8, 9. Vulg.: *Si quis Spiritum Christi*, etc. 42) Ibid. vr. 13.
43) Phil 3, 8. 44) Ibid. 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens*, etc. 45) Ez 36, 27.

nam purificavit corda eorum

vato homine, ex pastore animalium, rex, ut optimum regem ageret, dedit ei Dominus cor et animum vere regium; hoc ipsum egit Spiritus hodie cum Apostolis et electis Christi discipulis: mutavit eos in viros alteros, fecit eos viros mirabiles, constituit ex terrenis caelestes, ex mundanis divinos, exuit eos veteri homine, imagine terreni hominis, induit autem novo homine, imagine hominis caelestis. *Primus homo [de] terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Sicut portavimus imaginem*, etc. [46] Purificavit divinus hic ignis corda discipulorum Christi, sicut ignis argentum aut aurum: aufer rubiginem ex argento et egredietur vas purissimum: *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.* [47] Fit autem purificatio mentis per divinum hunc ignem: *Si abluerit*, inquit Isaias, *Dominus sordes filiarum Sion... in spiritu iudicii et spiritu ardoris.* [48] Spiritus iudicii spectat ad intellectum, spiritus autem ardoris ad affectum; spiritus iudicii ad cognitionem, spiritus ardoris ad amorem, ad caritatem; sic purificatur animus hominis.

et replevit caelesti lumine et ardore,

Implevit corda eorum Spiritus Sanctus hodie spiritibus vere caelestibus, angelicis, divinis, propterea ait: *Factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum.* [49] Replevit caelesti lumine et ardore, caelesti sapientia et doctrina, propterea *apparuerunt illis linguae ignis*, qui *sedit supra singulos eorum, et repleti sunt Spiritu Sancto,* [50] spiritu Christi, sicut Eliseus spiritu Eliae. Perfecit eos Spiritus Sanctus, nam *Dei perfecta sunt opera.* [51] Fecit Deus Beseleel et Ooliab artifices opificesque sanctuarii, sed perfectos artifices et quoad theoriam et quoad practicam; hinc legimus quod implevit eos Dominus spiritu Dei, sapientia, intellectu, scientia et arte. Nam ad perfectum artificem quattuor haec requiruntur: sapientia, idest iudicium ad dispositionem rerum optimam; intellectus, idest ingenium ad inventionem; scientia, idest cognitio rerum spectantium ad artem, uti in artifice cognitio metallorum, in gemmario cognitio lapillorum, etc., ac tandem quoad practicam ars, idest artificiosa operatio, industria, diligentia optima ad operandum, aptitudo et dispositio. Sic Spiritus Sanctus

46) 1 Cor 15, 47. 49. 47) 1 Petr 1, 7. 48) 4, 4. 49) Act 2, 2.
50) Ibid. vrr. 3-4. 51) Dt 32, 4.

instituit Apostolos perfectos homines, perfectos principes, duces et magistros.

Multa requiruntur ad constituendum perfectum hominem quoad mentem, quoad animum, quoad vitam, quoad mores, quoad conversationem cum Deo et cum hominibus irreprehensibilem; sed multo plura ad constituendum perfectum magistrum, perfectum ducem, perfectum principem et praelatum. Apostoli autem futuri erant magistri caelestis doctrinae, fidei, vitae et morum; opus erat summa eruditione et divina sanctitate vitae; futuri erant duces exercitus Christi contra satanam et mundum, qui *totus in maligno positus est;*[52] futuri principes Ecclesiae, summi pastores et Episcopi. Multis opus erat ut ad talia tantaque munera obeunda apti essent et idonei. Hinc datus est multiplex spiritus. Hoc est quod apud Isaiam legimus: *Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis,* etc.[53]

eosque constituit homines perfectos, magistros ac Praelatos Ecclesiae.

V. Cum Spiritus Sanctus non minus necessarius sit ad christianam vitam, qua nobis sobrie, iuste et pie vivendum est,[54] ut in sanctitate et iustitia serviamus Domino omnibus diebus nostris,[55] quam anima ad naturalem humanam vitam ducendam, neque enim possibile est ut corpus sine spiritu et anima vivat opereturque, multi tamen adeo sunt Divino hoc Spiritu destituti, ut vix sciant an Spiritus Sanctus sit, sicut de quibusdam Ephesiis in *Actis Apostolorum* legimus, quibus cum Paulus dixisset: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* responderunt: *Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus.*[56] Necessarius est Spiritus Sanctus ad salutem vitamque christianam, nam, *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto;*[57] maxime vero spiritus fidei, spei et caritatis, qui hominem reddit mundi, carnis et satanae victorem: *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra. Quis est* enim *qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Christus Filius Dei?*[58] itemque: *Quis nos separabit a caritate Christi?*[59]

Dolendum sane multos esse hoc Divino Spiritu destitutos,

52) 1 Io 5, 19. 53) 11, 2. 54) Cf. Tit 2, 12. 55) Cf. Lc 1, 74-75.
56) Act 19, 2. 57) 1 Cor 12, 3. 58) 1 Io 5, 4-5. 59) Rom 8, 35.

Sciendum vero quod omnis homo necesse est ut spiritu aliquo plenus sit. Qui Spiritum Dei non habet, necesse est ut habeat spiritum mundi huius et satanae, nam hoc est quod de Saule legimus, quod cum discessisset ab eo Spiritus Domini propter admissam inobedientiae culpam, invasit eum spiritus malus et exagitabat eum.[60] Qui autem spiritu satanae et carnis plenus est, Spiritum Dei non potest accipere, sicut vas plenum liquore aliquo non potest alium liquorem capere, nisi evacuetur. Sic Deus ait: *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.*[61] Mundum dixit hominem mundi amatorem, carnalem, animalem. Sicut caecus non potest videre, surdus audire, mutus loqui, mortuus vivere, sic mundus Spiritum Sanctum *non potest accipere, quia,* inquit, *non videt eum nec scit eum,* quia caecus est, lumen caeli videre non potest; *vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.*[62] Cognoscetis experimentali cognitione, sicut: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*[63]

qui enim Spiritum Dei non habet, necesse est ut habeat spiritum mundi et satanae.

Sed si mundus non potest Spiritum Sanctum accipere, nos, qui secundum carnem mundumque vivimus, quomodo possumus Spiritum Sanctum habere? Et si Spiritum Sanctum non habemus, quomodo possumus christiane vivere? Et si christiane non vivimus secundum voluntatem Dei, quomodo possumus salvari?

Multa miracula Spiritus S. in Apostolis hodie operatus est.

VI. Spiritus Sanctus in Apostolis hodie multa operatus fuit miracula, sed praecipue in anima divinam quamdam sanctitatem; in mente infusionem divinae sapientiae, intelligentiam omnium Divinarum Scripturarum, altissimam cognitionem Dei omniumque divinorum mysteriorum, ita ut in ictu oculi eos summos theologos effecerit; in corde divinam quamdam fortitudinem animique magnitudinem roburque insuperabile; flammam ardentissimae caritatis in Deum et proximum; zelum ardentissimum divini honoris et praeterea praesagium futurorum per spiritum prophetiae; in lingua et ore genera omnia linguarum, ita ut de repente linguis omnium gentium loquerentur. Quam autem difficile sit homini iam provectae aetatis vel unam tantum extraneam linguam apprehendere et loqui, novit qui expertus utrumque est. Apostoli autem, cum prius propriam

60) Cf. 1 Rg 16, 14. 61) Io 14, 16. 62) Ibid. vr. 17. 63) Ps 33, 9.

linguam nonnisi barbare nossent et loquerentur, more hominum de infima plebe, cum fere omnes piscatores essent, de repente coeperunt omnia linguarum genera perfecte callere et loqui. Hinc stupebant Iudaei: *Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*[64] Tandem in manibus operationem divinorum miraculorum, ut miracula operarentur, sicut Moyses, sicut Elias, imo sicut Christus ipse, et maiora etiam quam Christus; et insuper perfectas actiones et operationes omnium virtutum; quisquis enim redditus est perfectum exemplar omnium exemplarium divinarumque virtutum, maxime vero patientiae in adversis, severitatis in affligenda et maceranda carne, caritatis in procuranda hominum salute, et pietatis ac religionis, cum fere in perpetua oratione vitam ducerent. Fuit semper ipsorum vita summa innocentia et puritate exemplari etiam et divina sanctitate ornata.

ALIA HOMILIA

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, etc. [1]

I. Divinae huius operationis causae assignantur. Efficiens Pater ponitur, sed Filius non excluditur, nam alibi ait: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit,*[2] et: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*[3] At vero una cum efficienti causa ponitur etiam causa motiva meritoria, cum dicitur: *Quem mittet Pater in nomine meo.*[4] Inter incarnationem et Spiritus Sancti missionem hoc inter cetera discriminis est - post discrimen personale, nam ibi Filius, hic Spiritus Sanctus missus est, - quod incarnationem nullum praecessit meritum, neque enim homo potuit tale tantumque opus mereri, cum infinitum sit donum: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,*[5] ad infinitum autem meritum virtus requiritur infinita, quae in creatura reperiri non po-

Assignantur causae missionis Spiritus Sancti:

efficiens et meritoria,

64) Act 2, 7-8. 11.

1) Io 14, 26. 2) Ibid. 15, 26. 3) Ibid. 16, 7. 4) Ibid. 14, 26. 5) Ibid. 3, 16.

test. At missionem Spiritus Sancti praecessit meritum Christi infinitum, propter infinitam Christi virtutem et caritatem, nam Deus erat et homo, propterea ait: *Quem mittet Pater in nomine meo,* idest propter merita mea. - Causa materialis Spiritus Sanctus ponitur, in Divinis Litteris tantopere decantatus; causa formalis, modus missionis; causa finalis: *Docebit vos omnia et suggeret vobis omnia.* [6]

materialis et formalis

Sed non una haec tantum causa est. Multiplex in Sacris Litteris assignatur et quidem una in ipso Paracleti nomine indicatur: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus,* idest consolator loco Christi; *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis;* [7] quoniam multas gravesque passuri erant persecutiones et pressuras in mundo, opus habebant consolatione, ut possent sustinere; item cum ait: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Ad hoc refertur illud: *Donec induamini virtute ex alto,* [8] et illud: *Baptizabimini Spiritu Sancto.* [9] Praeterea causa finalis est: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio;* [10] itemque: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annunciabit vobis,* [11] et illud: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* [12] sive deducet vos in omnem veritatem; itemque: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri;* [13] *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* [14] Sic legimus de Stephano quod, cum esset plenus Spiritu Sancto, *non poterant* Iudaei *resistere* et contradicere *sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* [15]

et finalis, quae multiplex est.

II. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus.* Quoniam novo modo missus est Spiritus Sanctus, novo etiam titulo ornatus est. Saepe datum legimus Spiritum Sanctum ab initio, nam etiam Adam Spiritu Sancto plenus prophetavit, [16] sic Spiritu Sancto pleni fuere Patriarchae atque Prophetae, sic Deus tulit de spiritu Moysi et dedit septuaginta senioribus, [17] sic dedit Eliseo spiritum Eliae, [18] sic Danielem

Novo titulo ornatur hodie Spiritus Sanctus.

6) Ibid. 14, 26. 7) Ibid. vr. 16. 8) Lc 24, 49. 9) Act 1, 5. 10) Io 16, 8. 11) Ibid. vr. 14. 12) Ibid. vrr. 12-13. 13) Lc 21, 15. 14) Mt 10, 20. 15) Act 6, 10. 16) Cf. Gn 2, 23-24. 17) Cf. Nm 11, 16-26. 18) Cf. 4 Rg 2, 9-15.

legimus spiritu Dei plenum,[19] sic Ioannem Baptistam plenum Spiritu Sancto *adhuc ex utero matris suae;*[20] sed nunquam legimus datum tanta cum copia et abundantia donorum caelestium divinorumque charismatum, nunquam tali modo, tam publice, tam manifeste, tam mirabiliter, tanta cum operatione virtutum et miraculorum. Sicut igitur novo modo venit, ita etiam novo titulo ornatus; nunquam enim in Veteri Testamento *Paraclitum* legimus appellatum.

appellatur enim Paraclitus,

Nec tamen vanus est titulus; hinc enim Apostoli Spiritu Sancto pleni, *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati;*[21] sic etiam legimus quod *frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis.*[22] Hinc saepe legimus gaudium Spiritus Sancti: *Regnum Dei... iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto;*[23] *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax;*[24] itemque: *Excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti;*[25] sic laeti erant in fornace tres sancti adolescentes, quia Angelus de caelo ad eos consolandos descenderat.[26]

quia consolatorem agit.

Spiritus Sanctus a Christo, praeterquam quod Paraclitus dictus est et Spiritus veritatis, dictus est etiam virtus ex alto: *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto;*[27] itemque sapientia: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt,* etc.;[28] *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri,*[29] alludens ad duo miracula singularia in Scripturis: alterum Samsonis, alterum Salomonis; in Samsone fuit miraculum fortitudinis,[30] in Salomone miraculum sapientiae.[31] Fortiores facti sunt Apostoli Samsone, sapientiores Salomone. Cum via virtutis, idest divinarum legum integra observatio, summopere necessaria sit ad salutem: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata,*[32] cumque via virtutis propter naturae corruptionem ardua sit et plurimum difficilis, vitia enim delectant, virtutes insipidae et amarae videntur - hac de causa cum virtutes laudemus, omnes in vitiis tamen vivimus, vitiorum illecti dulcedine, - Spiritus Sanctus facit iugum divinae legis suave et onus leve,[33] ut

Spiritus veritatis et virtutis,

quia replet caelesti sapientia et fortitudine,

19) Cf. Dn 4, 6. 20) Lc 1, 15. 21) Act 5, 41. 22) Ibid. 2, 46. 23) Rom 14, 17. 24) Gal 5, 22. 25) 1 Thess 1, 6. 26) Cf. Dn 3, 19-23. 49-51. 27) Lc 24, 49. 28) Ibid. 21, 15. 29) Mt 10, 20. 30) Cf. Idc 15, 1-15; 16, 1 sqq. 31) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 32) Mt 19, 17. 33) Cf. ibid. 11, 30.

facillime divina servemus mandata, etiam cum voluptate, hoc est quod ait: *Ponam spiritum meum in medio vestri et faciam ut in praeceptis meis ambuletis.* [34]

removet impedimenta virtutum,

Homo natus est ad virtutem sicut avis ad volandum, equus ad currendum; sed avis sine pennis alisque bene dispositis, non volat, nec equus claudus currere potest, imo vix et cum difficultate ambulare; ablatis autem impedimentis, avis etiam cum voluptate volat et equus currit. Removet Spiritus Sanctus ab homine impedimenta virtutum, idest amorem saecularium rerum et carnalia desideria, *quae militant adversus animam.* [35] Hinc Beata Agatha quasi ad epulas invitata ibat ad martyrium, quia mundana omnia nihili faciebat, sed divina toto pectore diligebat, hinc aiebat: Gratias tibi ago, Domine, «quia abstraxisti a me amorem saeculi».[36] Difficile admodum videtur Deum ex toto corde diligere, sed *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* [37] operatur in nobis Spiritus Sanctus id quod verbum Christi operatum fuit in languido curato in piscina. [38]

dat vitam animae et instruit ad sancte vivendum.

Est Spiritus Sanctus in corde et anima nostra, sicut anima in corpore nostro, cui dat vitam, sensum, motum, sanitatem, robur, vitae etiam praesentis dulcedinem et voluptatem. Sicut autem habitare animam in corpore vitales sensus et motus actionum ostendunt, ita habitare Spiritum Sanctum in anima ostendit vita spiritualis et actiones virtutum, maxime vero abstinentiae et patientiae in se, caritatis et misericordiae in proximum, pietatis et ardentis devotionis in Deum, sobrie, iuste et pie vivendo. [39] Ad haec enim Spiritus Sanctus saepe movet mentem, instruit docetque intellectum, movet et accendit affectum.

Spiritus Sanctus infinitum donum est.

III. Spiritus Sanctus appellatur donum. Et revera magnum est, immensum et infinitum donum, quoniam Spiritus Sanctus verus Deus est. Quoniam vero multi olim fuerunt, et nunc etiam sunt, haeretici qui Spiritus Sancti inficiati sunt [40] et adhuc inficiantur

34) Ez 36, 27. 35) 1 Petr 2, 11. 36) Breviarium Rom., die 6 Febr., respon. VII, habet: «Tulisti a me». 37) Rom 5, 5. 38) Cf. Io 5, 5-9. 39) Cf. Tit 2, 12. 40) Veteres haeretici: Apollinaristae et Macedoniani, damnati in Synodo Romana IV (a. 380). cf. Denzinger-Bannwart op. cit., n. 58-61. 74-82. Quoad recentiores cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Christo*, lib. 1, cp. 13, col. 294-296.

divinitatem, opere pretium erit eam ex Divinis Litteris demonstrare.

Ostendiluı divinitas Spiritus Sancti, quia in Scripturis Deus appellatur,

Ostenditur autem Spiritus Sancti divinitas tum quia in Sacris Litteris appellatur Deus, 2 *Regum* 23: *Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam... dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel,*[41] et *Actuum* 5: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.*[42] Hinc cum in Testamento Veteri Deus dicatur locutus per Prophetas,[42a] P e t r u s ait, quod non *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines,*[43] et cum, I s a i a e 6, Deus locutus sit Vati,[44] *Actuum* ultimo Spiritus Sanctus locutus dicitur.[45]

et tribuuntur divina attributa et opera,

Praeterea attribuuntur Spiritui Sancto divina attributa potentiae, hinc appellatus est virtus: *Quoadusque induamini virtute ex alto,* nam, ut legimus *Sapientiae* 7, omnem habet virtutem.[45a] Attribuitur sapientia, hinc dicitur Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem, et P a u l u s : Nemo scit quid sit in Deo, *nisi Spiritus Dei,*[46] itemque: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*[47] Attribuitur bonitas: *Spiritus tuus bonus deducet me,*[48] cum tamen *nemo bonus nisi solus Deus;*[49] propterea[50] simpliciter Spiritus Sanctus dicitur. Attribuitur immensitas: *Quo ibo a Spiritu tuo et quo a facie tua fugiam?*[51] Attribuuntur opera Dei. Opus Dei opus creationis: *Spiritus Dei ferebatur super aquas;*[52] *Spiritus Domini ornavit caelos,* inquit I o b 26,[53] et: *Spiritus Domini fecit me,* 33;[54] *Spiritu oris eius omnis virtus eorum;*[55] *Emitte Spiritum tuum et creabuntur.*[56] Opus providentiae et regiminis, maxime Ecclesiae Dei: *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, Actuum* 20.[57] Opus item iustificationis, nam: *Iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri,* ait P a u l u s *1 Corinthiis* 6.[58] Praeterea, quia sicut Ecclesia dicitur templum Dei, ita etiam templum Spiritus Sancti; hinc etiam *Romanis* 8 dicitur Spiritus Sanctus inhabitare in fidelibus.[59] Amplius, quia nunquam cum creaturis coniungi-

et nunquam creaturis coniungitur tanquam res creata,

41) Vrr. 2-3. 42) Vrr. 3-4. 42a) Cf. Hebr 1, 1. 43) 2 Petr 1, 21. 44) Cf. vrr. 9-10. 45) Cf. vr. 26. 45a) Cf. vr 23. 46) 1 Cor 2, 11. 47) Ibid. vr. 10. 48) Ps 142, 10. 49) Lc 18, 19. 50) Ms.: *Propter.* 51) Ps 138, 7. 52) Gn 1, 2. 53) Vr. 13. 54) Vr. 4. 55) Ps 32, 6. 56) Ps 103, 30. 57) Vr. 28. 58) Vr. 11. 59) Cf. vr. 11.

tur Spiritus Sanctus tanquam res creata, sed cum Creatore; hinc ait: *Baptizantes... in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;*[60] et sicut Pater dicitur misisse Christum, ita etiam Spiritus Sanctus: *Et nunc Dominus Deus misit me et Spiritus eius,* Isaiae 48,[61] et Zachariae 2;[62] item: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me;*[63] sic: *Requiescet super eum Spiritus Domini.*[64] Ostenditur Spiritus Sanctus maior Christo homine, nam etiam ipsius opera conceptus est: *Spiritus Sanctus superveniet in te;*[65] *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*[66]

Imo maior Christo homine declaratur.

Sed ex hodiernis operibus ostenditur Spiritus Sancti divinitas tanquam causa ex effectibus, arbor ex fructibus; opera enim quae hodie in Apostolis operatus est, nonnisi divinitatis opera esse possunt. Hinc Paulus *1 Corinthiis* 12 de his agens ait: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus;* ac tandem, enumeratis divinis hisce operationibus, concludit: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*[67] Sic *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum;* sic: *Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax.* Non potest autem nisi Deus in animo hominis operari et in ipsum supernaturales virtutes infundere. Cum igitur Spiritus Sanctus verus sit natura Deus, infinitum plane est hodiernum donum.

Sed ex hodiernis operibus cognoscitur tanquam causa ex effectibus.

Descendit[68] Spiritus Sanctus super Apostolos non sicut super Christum in columba,[69] integro animali, sed in linguis dispertitis tanquam ignis,[70] quia solus Christus habuit omnia simul integra dona Spiritus Sancti, discipuli vero non item, sicut docet Paulus *1 Corinthiis,* 12 capite.[71]

60) Mt 28, 19. 61) Vr. 16. 62) Cf. vrr. 9. 11. 63) Is 51, 1; Lc 4, 18. 64) Is 11, 2. 65) Lc 1, 35. 66) Mt 1, 20. 67) Vrr. 4. 6. 11. 68) Stylo valde latiore. 69) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22. 70) Cf. Act 2, 3-4. 71) Tribus paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA SECUNDA INFRA HEBDOMADAM PENTECOSTES

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, etc. [1]

I. Agitur in hodierno Evangelio de amore divino et de amore humano: *Sic Deus dilexit mundum*, et: *Dilexerunt homines magis tenebras;* [2] sed divinus amor ostenditur causa salutis: *Ut omnis qui credit... non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [3] humanus autem amor causa perditionis: *Hoc est autem iudicium*, idest causa damnationis - nam dixerat: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet*, idest damnet *mundum, sed ut salvetur mundus per eum,* [4] - *hoc* igitur *est iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;* [5] sic: *Qui amat animam suam perdet eam.* [6] Ita habemus duo imperscrutabilia. Nam imperscrutabile est cor humanum, ubi sedes amoris est, at multo magis cor divinum: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles*, etc. [7] Quoad primum, ostenditur divinus erga nos amor, sed magnus et mirabilis, et ostenditur a magnis et mirabilibus effectibus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*. Mirabilis supra modum sententia, mysteria continens ineffabilia.

Agitur hodie de amore divino et humano.

et ostenditur primo magnitudo divini erga nos amoris.

II. Habemus hic in primis duo amoris miracula, ut ita dicam: miraculum videtur Dei erga nos amor, itemque hominum amor erga tenebras. Primum miraculum causa est omnium bonorum nostrorum, secundum vero causa est omnium malorum. Magnum miracu-

Magnum miraculum est divinus amor erga mundum;

1) Pericope huius diei Io 3, 16-21. Cf. Missale Rom. 2) Io 3, 19. 3) Ibid. vr. 16. 4) Ibid. vr. 17. 5) Ibid. 3, 19. 6) Ibid. 12, 25. 7) Rom 11, 33.

lum divinus erga nos amor. Hoc Sanctus Iob mirabatur dicens: *Quid est homo quia reputas eum? aut quid apponis ergo eum cor tuum?*[8] Similiter Regius Vates: *Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius;*[9] et alio etiam in loco: *Quid est homo quia magnificas eum? aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.*[10] Ex cognitione maiestatis divinae et conditionis humanae oritur haec admiratio. Non est miraculum ut Deus diligat, sicut nec quod ignis calefaciat; sicut enim ignis natura lucidus et calidus est, ita Deus natura praeditus est cognitione veri et amore boni; sed miraculum esset si ignis naturalis arderet in aqua; non est miraculum quod homo diligat pulcram mulierem, sed quod homo, maxime vero princeps, adamet mulierem pauperem, deformem, sordidam eamque ita amet ut depereat; hoc esset miraculum. Ita plane ut Deus diligat mundum, qui *totus in maligno*, etc.[11]

Deus, tam ineffabiliter naturam humanam adamavit.

Si princeps magnus, ut Assuerus aut Cyrus, nec minus sapiens quam dives et potens, ut Salomon, mulierem deformem, pauperem, ignobilem sordidamque adamaret ac deperiret, dici forte posset eum magia aliqua dementatum esse ac maleficiatum ab aliqua saga, aut lamia, sive strige, per malas artes et fascinationes. At Deus summa, infinita, aeterna, immutabilis sapientia est, sicut lux solis, hinc dictus est *pater luminum, apud quem non est transmutatio nec obumbratio;*[12] et tamen naturam humanam, quae hoc loco mundus dicta est, vitiis et peccatis deformatam, pauperem, vilem, sordidam, sicut per metaphoram apud Ezechielem, capite 16 legimus,[13] Deus magis adamavit quam Adam Evam, Iacob Rachelem, Isaac Rebeccam, Abraham Saram, David Bethsabee, Assuerus Esther, quam Samson Dalilam: *Sic Deus dilexit mundum,* sic ineffabiliter, ut nec humana lingua, licet Pauli aut Salomonis, nec angelica, licet Gabrielis aut Michaelis, nec ipsius Christi lingua pro dignitate explicare potuit. Non dicitur sicut dominus servum fedelissimum, qua-

8) 7, 17. 9) Ps 8, 5-8. 10) Ps 143, 3-4. Vulg.: *Quia innotuisti ei.* 11) 1 Io 5, 19. 12) Iac 1, 17. 13) Cf. 1, 4-6.

lis fuit in domo Abrahae Eliezer,[14] sicut Pharao amavit Iosephum;[15] nec dicitur sicut amicus amicum amantissimum, sicut Ionathas dilexit Davidem;[16] nec dicitur sicut homo amat mulierem quam deperit quacumque de causa; nec dicitur sicut pater amantissimus aut mater diligit unicum filium pulcherrimum, gratiosissimum, virtutibus ornatissimum et amantissimum; nec dicitur sicut homo amat seipsum, vitam suam, honorem suum, bona sua; nam divinus hic amor omnes alios superat amores: *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non recordetur filii uteri sui? Sed si ipsa oblita fuerit, ego non obliviscar tui; ecce* enim *in manibus descripsi te;*[17] *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,*[18] idest pro iis quos diligit.

ut pro ea vitam Filii sui daret;

Sed a magnitudine doni vult ut cognoscamus magnitudinem amoris. Est autem donum hoc magnum adeo, quod ineffabile est; hinc ait Samaritanae: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam,*[19] salientem in vitam aeternam.[19a] Paulus alludens ad hoc ait: *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos,*[20] Deus Filium suum misit, et item: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[21]

a magnitudine autem doni magnitudo amoris cognoscitur.

III. Multa dona Dei legimus facta hominibus. Nam populo suo dedit terram promissionis, Moysi dedit principatum populi, Aaroni pontificatum synagogae summumque sacerdotium, Davidi dedit regnum Israelis, Salomoni regnum cum summa felicitate et gloria magnoque sapientiae dono; Adamo dedit mundi totius imperium: *Dominetur piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae,*[22] dedit paradisum deliciarum cum ligno vitae;[23] Petro dedit summum totius Ecclesiae principatum pontificemque optimum maximum instituit, datis clavibus regni caelestis,[24] latroni paradisum dono dedit.[25]

Multa dona Deus hominibus largitus est,

14) Cf. Gn 15, 2-3; 24, 2-9. 15) Cf. ibid. 41, 37-45. 16) Cf. 1 Rg 18, 1. 17) Is 49, 15-16. Vulg.: *Ut non misereatur filio*, etc. 18) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*, etc. 19) Ibid. 4, 10. 19a) Cf. ibid. vr. 14. 20) Eph 2, 4. 21) Rom 8, 32. 22) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit*, etc. 23) Cf. ibid. 2, 7-9. 24) Cf. Mt 16, 18-19. 25) Cf. Lc 23, 42-43.

sed maius hodierno excogitari nequit;

Sed maius dono hoc hodierno excogitari non potest. Christus enim infinitus est thesaurus omnium bonorum Dei, nam: *Compendio redegit omnia in Christo, sive quae in caelis sive quae in terris omnia in ipso.*[26] Donum hoc infinitis partibus maius est mundo, maius Ecclesia, maius paradiso, quoniam aequale Deo: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;*[27] Deus autem maior est mille mundis, nam unico verbo posset mille mundos innumerosque creare. Sic dilexit mundum, ut homines ab aeterno elegerit, praedestinaverit, in corde impressos sculptosque tenuerit, sicut summus pontifex supra cor gestabat sculpta nomina tribuum Israel.[28] Sic inquit: *Caritate perpetua dilexi te;*[29] *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*[30]

unde cum potuisset ad amoris magnitudinem demonstrandam

Sed voluit Christus divini erga nos amoris magnitudinem a vivis, certis et manifestis effectibus[31] nobis demonstrare. Potuisset dicere: *Sic dilexit,* ut propter hominem mundum universum crearit. Ad quid enim Deus caelum et terram cum omnibus quae in eis continentur creavit? Si his opus habuisset, ab aeterno, non in tempore creasset. Sed quia propter hominem creavit, hinc post omnia hominem condidit et condita universa dono dedit: *Dominamini piscibus maris universaeque terrae.* Ad quid omnia regit et moderatur aeterna providentia sua? Ad quid universa, quae natura fieri dicimus et generari, producit? Propter hominem.[32] Omnes creaturae caeli et terrae effectus sunt divini huius erga hominem amoris. Ad quid hominem ad imaginem et similitudinem suam formavit[33] et ad aeternam felicitatem et vitam in caelo destinavit? Quia *dilexit.* Ad quid Angelos in nostram custodiam destinavit? *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis?*[34] Quia *dilexit* Sic amor in causa fuit ut elementa mixta caeli, astra, Angeli ipsi homini deservirent. Tandem ad quid legem, Prophetas, Sacras Litteras, Sacramenta, Ecclesiam ipsam, ipsum etiam paradisum instituit? Quia *dilexit.* Ad quid ipse toties hominibus apparuit, homines visitatum venit, nedum nuntios destinavit, litteras misit, munera etiam, quae solent esse apud homines indicia magni amoris, sed ipsemet etiam

innumera alia beneficia Ecclesiae collata recensere,

26) Eph 1, 10. Ex graeco. Vulg.: *Instaurare omnia,* etc. 27) Phil 2, 6. 28) Cf. Ex 28, 6-21; 39, 2-14. 29) Ier 31, 3. 30) Eph 1, 4. 31) Ms.: *Voluit* iterum ponitur. 32) Ms.: *Hominum.* 33) Cf. Gn 1, 26-27. 34) Ps 90, 11.

homines visitare voluit? Quia amavit. Ad quid dedit Spiritum Sanctum Patriarchis, Prophetis, Apostolis ad summam hominum utilitatem? Quia amavit. Ad quid secreta sua sanctis Prophetis et per eos universae Ecclesiae revelavit? Quia amavit. Haec, inquam, omnia aliaque innumera Christus dicere potuisset ad magnitudinem divini erga nos amoris manifestandam exprimendamque.

Sed omnia haec tacuit, tacitus praeterivit. Unum tantum dixit: *Ut Filium suum Unigenitum daret.* Ex hac una re cognitus fuit verus Abrahami erga Deum amor, quia proprio filio suo unico et dilectissimo propter Deum non pepercit;[35] divinus amor in pectore et corde ipsius filialem amorem longe superavit atque excessit. Ita hic comparatur divinus erga nos amor, cum amore erga Christum; sicut ibi positus appensusque veluti in statera et bilance fuit amor Abrahami erga Deum cum amore maximo erga Isaac, unicum et dilectissimum filium, ita hic in bilance appenditur amor Dei erga mundum cum amore erga Christum, unicum et dilectissimum Filium, de quo ipse semel et iterum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[36] Ait ergo: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.*

hoc unum tantum enunciavit.

IV. Indicatur amor Dei erga nos quod paternus sit amor, quod sicut Abraham duos filios habuit, Isaac et Ismael, ita Deus Christum et mundum; sed mundus est sicut Ismael filius ancillae, ex natura creata, Christus sicut filius liberae,[36a] ex increata natura. Paternus est Dei erga hominem amor, quia veluti naturalis quidem, sed spontaneus tamen et rationalis, non necessarius, sicut quo Deus seipsum diligit et Christum Filium. In omnibus animalibus terrae reperitur amor maternus erga prolem, sed paternus tantum in hominibus ratione praeditis. Sicut autem amor patris erga filium et perpetuus est et naturalis, sed spontaneus, ita amor Dei erga hominem.

Amor Dei erga nos paternus est, ideo veluti naturalis.

Praeterea est amor Dei in eo etiam similis paterno amori, quoniam pater etiam absque ullo intuitu aut spe alicuius utilitatis filium diligit. Est quidem aliquando filius patri necessarius itemque utilis, sed etiam si nihil omnino aut necessarius aut utilis sit, uti in infan-

Amor patris erga filium est amor gratuitus,

35) Cf. Gn 22, 1-12. 36) Mt 3, 17; 17, 5; Lc 9, 35. 36a) Cf. Gal 4, 22-23.

tia, diligit tamen eum et quidem vehementer. Ita Deus hominem diligit absque ulla necessitate aut utilitate.

Et praeterea quia pater diligit filium etiam absque ullo merito aut extrinseca causa amoris; non sic servum, non sic amicum, non sic uxorem, nam servum diligit propter bonitatem et diligentiam, amicum propter fidem et iura amicitiae, uxorem propter pulcritudinem, honestatem, virtutem; sed filium mox natum diligit absque ullo merito, sed quia filius est.

Imo, quod magis est, diligit pater filium etiam cum multis demeritis, ut in Davide cum Absalone manifestum fuit, filium etiam seditiosum, impium, parricidam diligebat;[37] sic experientia docet patres diligere filios multis etiam vitiis notatos, omni amore et dilectione indignos, quoniam causa amoris in ipso patre est ipsa nempe natura, qua filium genuit. Ita Deus hominem etiam peccati ratione indignissimum diligit salutemque ipsius vehementer desiderat, licet sit homo absque ullis meritis, imo cum multis demeritis: *Cum adhuc inimici essemus... Christus pro nobis mortuus est,*[38] quoniam ex sua nos diligit bonitate: *Apparuit* enim *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.*[39]

quia pater pluris aestimat filium quovis thesauro.

Est item amor patris in filium amor aestimationis. Nam pater filium pluris aestimat quam quemvis thesaurum, nec vitam filii venderet ad mortem pro quovis thesauro. Sic Deus maximi facit hominem. *Sic Deus dilextit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* En comparatio: *ut daret,* inquit, non servum fidelem, non amicum, non patriarcham aliquem aut prophetam, non Angelum aut Archangelum, sed *Filium,* non adoptivum, sed naturalem, nam filius adoptivus alterius hominis filius est naturalis, sed *ut Filium suum,* non quidem unum ex multis, veluti si Iacob filium Ioseph dedisset, sed Filium suum *Unigenitum,* sicut Abraham Isaac unicum filium dedit ad mortem. Hoc enim est hic dare, tradere ad mortem, tradere in cruce exaltandum. Nam coniungitur haec cum illa sententia: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum,* etc.[40] Sic enim *Deus dilexit*

Talis amor Dei erga hominem, nam pro eo dedit Filium suum

37) Cf. 2 Rg 18, 1 sqq. 38) Rom 5, 8-9. Vulg.: *Peccatores essemus*, etc. 39) Tit 3, 4-5. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 40) Io 3, 14-15.

mundum, ut Filium suum Unigenitum daret; sic Paulus: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* [41]

Magnum fuisset amoris indicium, si filium dedisset in principem, rectorem et gubernatorem. Nam si rex potentissimus unicum filium mitteret in provinciam aliquam longe dissitam, ut eam administraret regeretque, ubi nonnisi per proreges, ministros regis prius respublica fuerat administrata, magnum esset amoris indicium erga provinciam regnumque illud; magnum item amoris indicium, si in ducem et imperatorem misisset ad protectionem et defensionem, veluti si infestata illa provincia ac misere ab hostibus vexata rex, milite collecto et exercitu constituto, ad illius defensionem et salutem unicum filium mitteret in ducem et imperatorem illius exercitus et belli periculis illum exponeret; magnum, inquam, esset rarissimi amoris indicium; sic dedit Deus populo Moysen in ducem et imperatorem, Aaronem in pontificem, David in regem. Sed Filium non ita dedit mundo, sed in Redemptorem per mortem crucis. O rem mirabilem! *Quis audivit unquam tale? Aut quis vidit huic simile?* [42] Unicum filium dare in mortem ad dandam servo vitam? *Admiramini et obstupescite, quia opus factum est quod nemo credet cum narrabitur.* [43] *Quis credet auditui nostro? Brachium Domini cui revelatum est?* [44] *Sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Sic arsit divinus ignis in aqua, magnum miraculum. [45]

non in principem.

sed in Redemptorem per mortem Crucis.

V. Ostenditur autem divini huius amoris summa tum necessitas tum utilitas cum dicitur: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Necessitas, ne pereat homo; utilitas, *ut habeat vitam aeternam;* necessitas, ne perirent, sicut qui ab ignitis serpentibus morsi et vulnerati fuerant; propterea enim serpens exaltatus fuit, ut esset tamquam necessarium antidotum, potentissimum et efficacissimum divina virtute contra venena mortifera ignitorum serpentium. [46] Nam genus humanum propter venenum antiqui serpentis subiacebat sententiae damnationis et mortis. Hinc ait Christus: *Qui incredulus est Filio, non habet vitam... sed ira Dei manet*

Ostenditur divini amoris summa necessitas

41) Rom 8, 32. 42) Is 66, 8. 43) Hab 1, 5. 44) Is 53, 1. Vulg.: *Quis credidit,* etc. 45) Cf. 3 Rg 18, 34-38. 46) Cf. Nm 21, 6-9.

super eum, Ioannis 3,[47] et: Qui credit in me, *in iudicium non venit, sed transit a morte ad vitam,* idest a statu perditionis in statum salutis, Ioannis 5.[48] Propterea ait hodie: *Qui credit* in me, *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei,*[49] sicut qui non respiciebat in serpentem exaltatum iam erat in statu perditionis et desperatae salutis, per aspectum autem serpentis transibat a statu perditionis in statum salutis. Natura nascimur filii irae;[50] nonnisi per Christum possumus in Dei gratiam transire. Sic etiam Deus populo suo manna de caelo pluit ne fame perirent;[51] sic Filium suum Unigenitum dedit mundo ne pereat. Sic indicatur necessitas.

et summa utilitas.

Sed habeat vitam aeternam. Haec summa utilitas. Nam constituitur per fidem homo heres et filius Dei, frater et coheres Christi; liberatur a servitute satanae sub statu peccati et perditionis, filius Dei constituitur. Magnum et mirabile servum de captivitate liberare et principem constituere, sicut Pharao egit cum Ioseph,[52] Nabuchodonosor cum Daniele,[53] Assuerus cum Mardochaeo.[54] Si quis sciret et intelligeret quidnam sit mors perpetua et vita aeterna, quid infernus, quid paradisus, intelligeret sciretque quidnam sit: *Ne pereat, sed habeat vitam aeternam,* intelligeret sciretque quale et quantum sit hoc beneficium, hoc donum divini erga nos amoris.

Sic Deus dilexit: continent haec verba multa mysteria fidei,

VI. *Sic Deus dilexit mundum.* Continet divina haec sententia multa christianae fidei sacramenta: mysterium divinae bonitatis et providentiae, mysterium Sanctissimae Trinitatis, nam hic ponitur Pater, Filius et Divinus Amor, qui est Spiritus Sanctus, articulus inferni et paradisi, ubi animae praesupponitur immortalitas: *Ne pereat, sed habeat vitam aeternam;* sed praecipue mysterium Incarnationis et Passionis Christi. Incarnationis, quod Christus sit verus, naturalis et proprius Filius Dei. Hinc semel, iterum et tertio hoc replicatur in hodierno Evangelio: *Ut Filium suum Unigenitum daret; Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum; Non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.*[55] Hic articulus

47) Vr. 36. Vulg.: *Non videbit vitam,* etc. 48) Vr. 24. 49) Ibid. 3, 18. 50) Eph 2, 3. 51) Cf. Ex 16, 13 sqq. 52) Cf. Gn 41, 39-44. 53) Cf. Dn 2, 47-48. 54) Cf. Est 6, 6-11. 55) Io 3, 17-18.

multis miraculorum apertissimis demonstrationibus probatus fuit, praeter divina Prophetarum oracula et Dei ipsius testimonia in Iordane et in monte transfigurationis. Hinc Ioannes ait: *Haec scripta sunt ut credatis, quoniam Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis.*[56]

Alterum est mysterium Passionis et mortis Christi in serpente exaltato. Ex his duobus elucet divinus erga nos amor: *Sic Deus dilexit mundum*, etc. Nam cum Christus verissimus sit unicus et dilectissimus Filius Dei, quae alia causa Deum impulit ut Christum in mundum mitteret, nisi ut mundum salvaret, etiam si mori eum pro salute mundi oporteret et multa graviaque hac de causa pati? *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Hinc dictus est Salvator mundi: Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*[57] Sed, o utinam divinum hunc crederemus amorem!

passionis etiam et mortis Christi, quae ostendunt divinum erga nos amorem.

VII. Multa cupit homo in mundo, sed super omnia amari, quoniam ex amore oriuntur omnia fere bona et beneficia: patet in parentibus, qui vere et ex animo diligunt filios, unde factum ut unus pater aptus sit ad pascendos multos filios, multi autem filii vix unum parentem alere possunt. Cum autem homo vel maxime amoris sit cupidus avidusque, natura maxime cupit et delectatur principum amore, favore, gratia. Hinc beati reputantur illi qui vel maxime sunt in gratia maiorum principum, regum, imperatorum, Pontificum, maxime Papae. Cum autem testimonio Christi, qui summa veritas est, nec fallere aut falli potest, intelligamus Deum, qui summus est princeps, *Rex regum et Dominus dominantium,*[58] unde est quod vix quisquam divinum hunc amorem curamus, flocci ac nihili pendimus?

Cum homo maxime cupidus sit principum amoris.

divinus amor nihili penditur.

Neque enim divinus hic amor universalis est et non singularis, sicut amor regis in regnum, sed non in singulas personas regni. Imo Paulus ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me.*[59] Hoc ostendit Dominus in parabola centum ovium et decem drachmarum.[60] Utinam non increduli simus! Hinc

Deus nos singulos infinite amat

56) 20, 31. 57) Ibid. 4, 42. 58) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 59) Gal 2, 20. Vulg.: *Tradidit semetipsum.* 60) Cf. Lc 15, 4-10.

oritur quod divinum hunc erga nos amorem non recognoscimus, non recompensamus, cum tamen sciamus quod omnis qui amat redamari desiderat. Hinc Deus super omnia amorem a nobis requirit: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus requirit a te, nisi ut... diligas eum?* [61] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* [62] *Fili mi, praebe mihi cor tuum.* [63]

et nonnisi redamari desiderat.

Magnum esset et mirabile si princeps, postquam aliquem ex servis suis multis magnisque beneficiis cumularit et pro viribus exaltarit, ab eo nihil aliud requireret, nisi ut servus fidelis esset et ut ipsum redamaret. Quid si hoc Pharao Ioseph dixisset, Nabuchodonosor Danieli, Assuerus Mardochaeo, imo Esther quam reginam coronarat? [64] Et tamen *dilexerunt homines magis tenebras* creaturarum *quam lucem* divinae bonitatis; magis tenebras vitiorum et peccatorum suorum, quam lucem iustitiae, sanctitatis, verae virtutis; magis tenebras ignorantiae et errorum haeresumque, quam lucem veritatis et fidei, veraeque religionis et pietatis. Hoc miraculum est, ut ignis non ardeat in arido ligno, oleo et pinguedine resperso, ardeat autem in aqua, in glacie, aut magis et multo magis in aqua et glacie quam in ligno et oleo. Nam obiectum amoris est bonitas, sicut obiectum visus lumen. Mirabile esset non videre in lumine. [65]

61) Dt 10, 12. Vulg.: *Petit a te*, etc. 62) Ibid. 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 63) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi*, etc. 64) Cf. Est 2, 15-18. 65) Sex fere paginis albis relictis, transit ad feriam sequentem.

FERIA TERTIA INFRA HEBDOMADAM PENTECOSTES

Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed, etc.[1]

I. Habemus in hodierno Evangelio obscuram parabolam et luculentam declarationem: *Hoc proverbium dixit eis Iesus; illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis*:[2] haec est obscura parabola; *Amen amen dico vobis quia ego sum ostium ovium*:[3] haec est declaratio luculenta. In parabola loquitur Dominus de pastore, de fure et latrone, de ovibus, de ovili, de ostio et ostiario. Cum tamen haec omnia Christus in parabola proposuerit, in elucidatione non omnia declaravit, nihil enim dixit de ostiario; hinc aliqui Doctorum, ut Chrysostomus, per ostiarium intelligunt Moysen,[4] alii Spiritum Sanctum.[5] Nec declaravit quid per oves intelligendum sit; hinc aliqui, ut Augustinus, per oves intelligunt electos et praedestinatos,[6] alii omnes fideles in Christum credentes, vere catholicos.[7] Nec declaravit quid proprie per ovile intelligendum. Nam si per oves intelliguntur electi et praedestinati, erit ovile horum congregatio; si autem fideles in Christum credentes, erit ipsa Ecclesia; sed

Habemus hodie parabolam eiusque declarationem.

Variae sunt interpretationes de ostiario, de ovibus et de ovili.

1) Pericope huius diei Io 10, 1-10. Cf. Missale Rom. 2) Io 10, 6. 3) Ibid. vr. 7. 4) Cf. *In Ioannem*, hom. 59, (P. G. 59, 324); Theophylactus *Enarrat. in Evan. Ioannis*, ibid. 124, 06; Euthymius Zigabenus *Comment. in Ioannem*, ibid. 129, 1322. 5) Cf. Theophylactus *Enarrat. in Ioannem*, ibid. 124. 66; S. Beda *In Ioannis Evang. Expositio*, (P. L. 92, 766); Lyranus et Tirinus h. 1. 6) Cf. *In Ioannem, tract.* (P. L. 35, 1725-1726); Ammonius Alex. *Comment. in S. Ioannem*, (P. G. 85, 1439-1459); S. Beda *In S. Ioannis Evang. Exposit.*, ibid. 92, 765-766. 7) Cf. S. Io. Chrysostomus *In Ioannem*, hom. 59, (P. G. 59, 324-325); S. Cyrillus Alex. *Comment. in Evang. Ioannis*, lib. 6, ibid. 73, 1022; Theophylactus *Enarrat. in Evang. Ioannis*, ibid. 124, 71; S. Augustinus *Sermones in Evang. Ioannis*, serm. 137, (P. L. 38, 756); S. Beda *In S. Ioannis Evang. Expositio*, ibid. 92, 763-765; Rupertus Abbas *Comment. in Ioannem*, lib. 9, ibid. 169, 608.

non compertum an Ecclesia in terris militans, an Ecclesia in caelo triumphans. Amplius, non declaravit quid proprie per furem et latronem intelligendum sit, an diabolus ipse, an vero haereticus, pseudopropheta, vel antichristus. Duo tamen liquido visus est explicuisse, nempe quid per ostium intelligendum sit: *Ego*, inquit, *sum ostium;* et iterum: *Ego sum ostium*[8] ovium, nec tamen indubitata claritate, nam Chrysostomus per ostium Divinas Scripturas intelligit.[9]

de latrone, ostio

Alterum est quid per pastorem. Nam *ego,* inquit, *veni ut vitam habeant et abundantius habeant; Ego sum pastor bonus.*[10] Sed non est clarum an per pastorem hunc intelligendus sit solus Christus, qui unicus et summus pastor est, *princeps pastorum,*[11] an vero omnis bonus pastor et Episcopus.

et de pastore,

Ubi ergo est illa talis ac tanta Divinarum Scripturarum facilitas claritasque a nostris haereticis tantopere, sed sua ipsorum repugnante conscientia, decantata? Scribae et Pharisaei, ad quos parabolam hanc Dominus direxit, eam non intellexerunt. Opus fuit ut ipsemet Christus eam declararet; et tamen a Christo auctore declarata adhuc non intelligitur. Ad eam intelligendam pro veritate sudarunt et adhuc sudant multorum doctissimorum tantissimorumque virorum summorumque theologorum ingenia.

quia Divina Scriptura clara non est.

II. Est autem parabola haec veluti apologia quaedam Salvatoris, qua a calumniis Iudaeorum sese defendit. Existimabant illi Christum esse falsum Messiam, propterea paulo ante dixerat Ioannes, quod iam *conspiraverant Iudaei ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret.*[12] Hinc caecus miraculo illuminatus, eiectus ab eis fuerat a synagoga, quoniam confessus fuerat eum esse prophetam.[13] Docebant igitur perire omnes Christum sequentes, quoniam illorum opinione falsum Messiam, imo falsum prophetam ac Salvatorem sequebantur. Haec erat ipsorum in Christum calumnia, a qua Christus, proposita hac parabola, per apologiam se defendit et purgat, ostendens imo perire omnes qui

Haec parabola est veluti apologia de vero Messia,

8) Io 10, 7. 9. 9) Cf. *In Ioannem*, hom. 59, (P. G. 59, 323-324). 10) Io 10, 10-11. 11) 1 Petr 5, 4. 12) 9, 22. 13) Cf. ibid. vrr. 17-34.

ipsum non sequuntur, cum ipse sit verus Messias revera a Deo missus.

Hoc autem dicit intrare per ostium, missum esse a Deo divina auctoritate, sicut Moyses et veri Prophetae Dei, sicut Aaron ingressus in pontificatum fuit, David in regnum Israelis. Sic ait: *Qui intrat per ostium* divinae auctoritatis et ordinationis, qui revera missus et destinatus a Deo est, hic *pastor est ovium*, hic verus est Messias, Salvator mundi; *qui* autem *non intrat per ostium* divinae ordinationis, qui a Deo missus non est, sed non vocatus a Deo assumere satagit sibi honorem per dolum aut per vim, sicut Theodas et Iudas Galilaeus, ut legimus *Actuum* 5,[14] *fur est et latro.*[15] Sic ait: *Omnes quotquot venerunt* ante me, *fures sunt et latrones.*[16] Utique qui venerunt dicentes se esse Christum verum Messiam.

asserit enim Christus illum se verum pastorem esse a Deo missum.

Huic, inquit, vero pastori, *ostiarius,* idest Spiritus Sanctus, *aperit* tollendo omne impedimentum quod fidei obstare posset, *et oves vocem eius audiunt,*[17] idest qui ab eo praeordinati sunt, in eum credunt. Unde ait: *Oves meae vocem meam audiunt; vos autem non creditis, quia non estis ex ovibus meis.*[18] Sic *Actuum* 13 legimus quod *crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.*[19] Non dicit tamen quod tantum praeordinati ad vitam aeternam crediderunt, nam multi etiam non praeordinati credunt; sed nemo praeordinatus est, qui non sit aliquando crediturus et Christi fidem suscepturus. Pastor igitur in hac parabola Christus est, verus Messias; fures et latrones pseudochristi; oves fideles, maxime electi, praeordinati ad fidem, ad gratiam, ad vitam; ovile Ecclesia; ostium divina auctoritas et ordinatio, Deus ipse omnia disponens, sicut rex in regno ostium est ad officia et magistratus regni, Papa in Ecclesia ostium ad dignitates ecclesiasticas, ad Episcopatus et Cardinalatus. Hinc ait: *Ego sum* ipsum *ostium,*[20] quoniam revera, non solum verus homo a Deo missus, sed etiam verus Deus erat. Non sic Moyses a Deo missus aut quivis alius propheta Dei.

Per ostiarium significatur Spiritus Sanctus.

per oves fideles omnes.

per ovile Ecclesia.

per ostium divina auctoritas et ordinatio.

III. Quare scopus hodierni Evangelii videtur esse id quod alibi Ioannes ait: *Haec scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est*

14) Cf. vrr. 36-37. 15) Io 10, 1. 16) Ibid. vr. 8. 17) Ibid. vr. 3. 18) Ibid. vrr. 26-27. Affert ordine inverso. 19) Vr. 48. 20) Ms.: *Hostium.*

Intrare credere est;

Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.[21] Sed tamen obscure hic hoc asseritur: *Per me si quis introierit, salvabitur.* Neque enim declaratur quidnam ingressus hic significat: *Per me si quis introierit salvabitur,* cum postea dicatur: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*[22] Si intrare credere est, fidem et religionem christianam suscipere, exire erit eam relinquere, apostatam, haereticum fieri, sicut Lutherus fecit. Sed ibi ingredi est ovem Christi fieri; hic vero ingredi et egredi de loco in locum transire, a pascuis externis ad pascua interna, a pratis in caulam, sicut aliud est aliquem ingredi in monasterium, idest, monachum fieri, aliud monachum ingredi et egredi, idest intus et extra monasterium conversari et necessaria aut utilia negotia tractare. Sic ingredi et egredi aequivoca verba sunt. Cum ait: *Per me si quis introierit, salvabitur,* intelligit quod alibi dixit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me,*[23] idest nemo gratiam Dei aeternamque salutem consequi potest, nisi per fidem et merita mea, nam: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus,* dixit Paulus, cum dixisset quod Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire,*[24] hoc est Christum per fidem cognoscere, in Christum credere. *Per me si quis introierit salvabitur,* alludit ad caecum illuminatum, qui in Christum crediderat: *Tu credis in Filium Dei? Credo, Domine; Et procidens adoravit eum.*[25] Per fidem ergo et religionem fit ingressus in ovile salutis.

ergo fit ingressus in ovile per fidem et merita Christi.

Ego sum ostium. Pastor et ostium Christus, sed pastor quia homo, sed divinus, ostium, quia Deus, sed humanus, homo factus. Per ostium auctoritas Dei Patris intelligitur, sed *Ego,* inquit, *et Pater unum sumus.*[26] Propterea ait: *Ego sum ostium,*[27] quia cum Patre unum sum.

Pastor et ostium Christus est, quia homo Deus

IV. Proponitur in hodierno Evangelio parabola difficilis et explicatio parabolae non satis facilis, sicut in *Sacra Genesi* visio scalae caelestis et significatus ipsius; sed tamen non significatus totius visionis. Nam vidit scalam, vidit Angelos ascendentes et descendentes,

21) 20, 31. 22) Ibid. 10, 9. 23) Ibid. 14, 6. 24) 1 Tim 2, 4-5. Vulg.: *Omnes homines vult... veritatis venire.* 25) Io 9, 36. 38. 26) Ibid. 10, 30. 27) Ms.: *Hostium.*

vidit Deum innixum scalae.[28] Cum autem mysterium visionis huius aperit: *Non est hic aliud,* inquit, *nisi domus Dei et porta caeli.*[29] Quid autem Angeli illi per scalam ascendentes et descendentes significarent non aperit. Per scalam, inquit, significatur domus Dei, locus divinae habitationis: *Vere Dominus est in loco isto. Quam terribilis,* idest quam venerabilis *est locus iste! Non est hic,* scilicet locus, *aliud, nisi domus Dei;* sed de Angelis altum silentium. Ita, inquam, hodie proponitur parabola difficilis, nec tota declaratur et insuper in ipsa declaratione non parva est difficultas: *Ego sum ostium ovium.* Sed in parabola agebat de ostio pastorum, de ostio per quod ingreditur verus pastor, quo a fure et latrone dignoscitur, non de ostio per quod oves ingrediuntur. Deinde non declarat quisnam sit fur et latro, sed *omnes,* inquit, qui *venerunt ante me fures sunt et latrones,* unde orta fuit haeresis Manichaeorum qui Moysen et Prophetas, qui ante Christum fuerunt, non recipiebant totumque Vetus Testamentum respuebant tanquam opus diaboli, quoniam hic Christus dixit: *Omnes quotquot venerunt ante me fures sunt et latrones.*[30] Si omnes, ergo et Moyses et Prophetae et Patriarchae. Sic solum Testamentum Novum recipiebant,[31] cum tamen dictum Salvatoris intelligendum sit de omnibus qui venerunt non missi, sicut pseudoprophetae, ut apud Ieremiam capite 23 legimus,[32] et qui venerunt nec per ostium intrarunt, sed per dolum aut vim, aut de omnibus qui venerunt in nomine Christi dicentes quisque se esse verum Messiam. Sed *non audierunt eos oves,*[33] idest veri catholici, Sancta Ecclesia Catholica non audit fures et latrones, non credit pseudochristis, pseudoprophetis, haereticis, qui pleni sunt spiritu erroris.

In ipsa explicatione parabolae non parva est difficultas;

per fures et latrones Christus intelligit quotquot venerunt non missos,

et se Christum esse iactabant.

V. Agitur in hodierno Evangelio de Christo sub metaphora ostii et pastoris, de vera Christi Ecclesia sub metaphora ovilis securi a periculis, clausi, muris altis circumdati, cum ostio et ostiario, qui non aperit nisi iis quos cognoscit. Agitur de veris christianis sub metaphora ovium, de periculis ovium a furibus et latronibus: *Fur*

De multis agitur in hac parabola.

28) 28, 12-13. 29) Ibid. vr. 17. 30) Ms: *Latrone.* 31) Cf. S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos,* ps. 146, (P. L. 37, 1907); serm. 1 cp. 1, ibid. 38, 23; serm. 152, ibid. col. 822. 32) Cf. vrr. 1 sqq. 33) Io 10, 8.

non venit nisi ut furetur et mactet et perdat; itemque de securitate et felicitate ovium: *Per me,* inquit, *si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet; ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.*[34]

Christus ipse est ostium et pastor;

Quoad primum Christus ostium dicitur et pastor; nec solum ostium nec solum pastor, sed utrumque simul; sed ostium per fidem, quae salutis principium et fundamentum est, pastor per gratiam donaque Spiritus Sancti et divina beneficia ad spiritualem vitam conservandam necessaria. Sicut autem Deus respectu mundi huius duo habet epiteta, nempe Creatoris et Servatoris, quia ipsum sua potentia creavit et sua providentia servavit et servat, divina potentia fuit veluti ostium per quod omnis creatura intravit in universum, providentia autem est veluti cura pastoralis; sicut etiam parens uterque respectu filiorum duos habet, ut ita dicam, titulos, nempe genitoris et educatoris; generatio veluti ostium est per quod homo in hunc mundum ingreditur, educatio pastoris est opus; ita Christus respectu Ecclesiae duo habet epiteta: ostium est per spiritualem regenerationem, qua ipse, ut sponsus Ecclesiae, filios ex ea suscipit gignitque, sicut Paulus ait: *Per Evangelium in Christo Iesu ego vos genui.*[35] Hac enim de causa Apostoli in *Apocalypsi* dicti sunt portae et fundamenta caelestis Ierusalem,[36] idest Sanctae Ecclesiae, propter fidem et praedicationem Evangelii, qua fundata est Christi Ecclesia in mundo et per quam multi infidelium conversi sunt ad Christum,[37] ingressi in ovile. Sic Ecclesia habet unam portam et duodecim portas, sicut populus Israel habuit unum patrem, Iacob, et duodecim patres, filios Iacob, duodecim tribuum Patriarchas.[38] Sic una porta Christus, sicut unus pater Iacob, duodecim portae Apostoli post Christum, sicut duodecim patres tribuum Patriarchae post Iacob, nam filii et successores posterique eorum fuerunt populus Dei, heredes paternarum benedictionum. Porta dicitur Christus per novam doctrinam Novi Testamenti; portae etiam Apostoli, quia novam doctrinam invexerunt, praedicarunt, fundarunt in mundo. Paulus autem, licet apostolus revera fuerit et maximus cum Petro apo-

dicitur autem ostium, quia ipse principium est spiritualis generationis

et novam doctrinam invexit.

34) Ibid. vr. 10. 35) 1 Cor 4, 15. Vulg.: *In Christo Iesu per Evangelium,* etc. 36) Cf. 21, 10-14. 37) Ms.: *Christi.* 38) Cf. Gn 49, 1-28.

stolus, non dictus est porta aut fundamentum civitatis huius, quia non novam doctrinam praedicavit, sed illam eamdem quam Apostoli prius praedicaverant. Ait ergo: *Ego sum ostium*, idest principium et auctor salutis; *per me si quis introierit*, amplectendo doctrinam quam praedico, credendo mihi sicut caecus hic illuminatus, *salvabitur*, ingredietur in arcam Noe,[39] in locum salutis.

Nec tantum ponitur principium vitae spiritualis, sicut pater principium est vitae filiorum, verum etiam servator. Hinc ait: *Ego sum pastor bonus; Veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* Sic Paulus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[40] Ponitur autem pastor bonus, idest providentissimus, qui non tantum providet necessaria pascua ovibus suis, tum intra caulam, ubi foenum pro ovibus asservari solet ut nocte oves edant, tum etiam in pratis: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet*, verum etiam abundanter providet: *Ut vitam habeant et abundantius habeant.* Est igitur Christus ostium per fidem, quae salutis initium est, per quam renascimur filii Dei: *Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius;*[41] sic: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*[42]

et quia huius vitae servator est,

providens quae necessaria sunt ad salutem.

Designant autem duo haec Christi epiteta non sufficere ad salutem aeternam consequendam fidem tantum, quae salutis initium est, sed necessariam esse etiam caritatem et gratiam. Non sufficit ovi per ostium in ovile intrare; requiritur etiam pascua invenire. Sic Ioannes ait, quod credentibus Christus *dedit potestatem filios Dei fieri*, supernaturali generatione.

Ad salutem praeter fidem requiritur caritas et gratia.

VI. Agitur praeterea de vera Christi Ecclesia sub metaphora ovilis. Ostenditur autem quidnam sit, nempe locus salutis: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur;* locus pascuae: *Pascua inveniet;* locus abundantiae divinarum gratiarum: *Ut vitam habeant et abundantius habeant;* locus clausus et bene custoditus

Agitur de Ecclesia sub metaphora ovilis bene clausi

39) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 40) Tit 3, 5-7. 41) Io 1, 12. 42) Ibid. 3, 5.

propter pericula furum et latronum, non apertus et liber. Sic alibi vinea dicta est, sed sepe et maceria clausa optimeque custodita;[43] sic civitas muro et antemurali circumdata et bene munita;[44] sic arx inexpugnabilis, ita ut portae inferi adversus eam praevalere non possint.[45] Ita ovile hoc murum habet, ostium habet, per quod solum patet aditus, ostiarium habet qui ostium diligenter custodit. Non vult ergo pastor oves suas liberas manere, ut quocumque magis libuerit ire possint. Quis enim pastor hanc libertatem ovibus suis permittit?

et a pastore custoditi,

Ubi est ergo haec libertas, ut aiunt, conscientiarum hoc saeculo tantopere a novatoribus praedicata, imo tantopere usitata et haereticis permissa a principibus? Quis unquam princeps talem popularibus suis libertatem permittat, ut pro libito exleges vivant? quis dominus servis? quis pater filiis? quis maritus uxori? Et Christus optimus princeps, Dominus, Pater, sponsus, hanc permittet subditis suis, servis, filiis, Ecclesiae sponsae suae, ut christiani exleges sint et pro libito credant vivantque, sicut filii Belial, absque ullo divinae legis iugo?[45a] Ad quid ergo clausura ovilis huius? ad quid ostium? ad quid ostiarius? Imo ad quid pastor, qui educit eas et ante eas vadit, ut recta et secura via ducat? Libertas haec conscientiarum apertissima via est ad atheismum omnisque religionis et pietatis interitum, ut homo penitus nihil credat, nisi quae oculis videt et manu tangit, ut vivat more bestiarum brutorumque animalium, ductu sensuum pro carnis libito. Hoc est evangelium novorum horum evangelistarum, quod pater spirituum infernalium dictavit. Hanc[46] libertatem nunquam novit Christi Ecclesia; Christus ad iugum vocat, licet suave, sed iugum tamen, ad onus, licet leve,[47] onus tamen. Sed missa haec faciamus.

unde reprobatur ea quae appellatur libertas conscientiae.

Ostenditur Christi Ecclesia unum ovile sub uno pastore cum uno ostio unoque ostiario, cui tamen fures et latrones insidiantur aliunde ascendentes, ut furentur et mactent et perdant. Sic omnes haeretici, satanae ministri, catholicae Ecclesiae semper insidiati fue-

Christi Ecclesia unum ovile est cum uno ostio

43) Cf. Is 5, 1; Mt 20, 1; Mc 12, 1; Lc 20, 9. 44) Cf. Is 26, 1. 45) Cf. Mt 16, 18.
45a) Cf. Idc 19, 22. 46) Ms.: *Hinc.* 47) Cf. Mt 11, 30.

re semper impugnarunt, sed expugnare non valuerunt: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.*[48]

unoque ostiario.

VII. Agitur de fidelibus Christi sub metaphora ovium, de quibus dicitur quod pastoris vocem audiunt, quia vocem eius cognoscunt, itemque quod sequuntur eum. Omnia aperta sunt in caeco illuminato, qui in Christum crediderat, cuius causa haec dicta sunt: *Credo, Domine,* in Filium Dei; *et procidens adoravit eum.* Oves Christi sunt qui Christi fidem et religionem tenent, qui per fidem Christum agnoscunt Filium Dei[49] summumque Dominum esse, quique Christo obediunt et mores vitamque imitantur. Sic alibi ait: *Cognoscunt me oves meae, vocem meam audiunt et sequuntur me.*[50]

Sub metaphora ovium agitur de fidelibus Christi;

Non est autem ovis Christi quae non est de grege Christi, subiecta Christo per fidem, per obedientiam, per disciplinam. Quomodo ergo sola requiritur fides ad verum bonumque christianum constituendum? *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum,* tamquam verum Dei Filium verumque Messiam et verum Deum, sicut adorarunt eum Magi,[51] adorarunt Apostoli,[52] maxime in die Ascensionis,[53] adorant eum nunc omnes Angeli, omnesque Sancti et electi Dei in caelo.

oves Christi sunt qui in eum credunt, ei obediunt eumque imitantur.

VIII. Agitur de periculis ovium: *Fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat,*[54] utique oves. Hinc Petrus ait: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide;*[55] sic Christus Apostolis: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;*[56] sic: *Rogavi pro te,* Petre, *ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*[57]

Sub metaphora furis agitur de periculis ovium.

Et tamen docere audent novatores non posse hominem, qui semel fidem accepit, fidem amittere?[58] Quomodo ergo Paulus docet quod *radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide?*[59] Quomodo quod *repellentes bonam conscien-*

In hac vita fides amitti potest,

48) Ibid. 16, 18. 49) Ms.: *Dominum*, loco: *Dei*. 50) Io 10, 14. 27. 51) Cf. Mt 2, 1-12. 52) Cf. ibid. 28, 17. 53) Cf. Lc 24, 51-52. 54) Io 10, 10. 55) 1 Petr 5, 8-9. 56) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 57) Lc 22, 32. 58) Ita Calvinus. Cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 4, *De Iustificatione*, lib. 3, cp. 14, col. 876. 59) 1 Tim 6, 10.

quare orandum et vigilandum est.

tiam, circa fidem naufragaverunt? [60] Quomodo multi ex catholicis facti sunt haeretici? Quomodo Hymenaeus et Philetus, ut Paulus ait, *a veritate exciderunt?* [61] Quomodo Christus de multis ait quod *ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt?* [62] Nam multi, etiam ex discipulis eius, abierunt retrorsum. [63] Quamdiu igitur sumus in hac vita mortali, versamur in periculis salutis; quare vigilandum et orandum est, ut a periculis eruamur.

Agitur de securitate et felicitate ovium in ovili Christi.

IX. Tandem agitur etiam de securitate et felicitate ovium in hoc ovili Christi. Nam ad securitatem habet ovile murum, habet ostium, habet ostiarium. Ad felicitatem autem una cum securitate habet pastorem optimum, diligentissimum, nam *educit eas... et ante eas vadit;* [64] pastorem etiam providentissimum, nam: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet; Veni ut vitam habeant et abundantius habeant,* sicut Paulus *ad Thessalonicenses* ait: *Sic ambuletis ut abundetis magis.* [65] Sunt autem pascua haec tam copiosa, de quibus Regius Vates: *Dominus regit me,* idest pastor meus, *et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit;* [66] et Ezechiel capite 34: *In pascuis uberrimis pascam* oves meas *et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel; ego pascam oves meas et ego* [*eas*] *accubare faciam, dicit Dominus Deus.* [67] Pabulum est Divina Scriptura dum legitur, pabulum verbum divinum dum in concione auditur, pabulum lectio librorum spiritualium et Sanctorum Doctorum theologorumque volumina, dum vel Divinas Litteras exponunt vel docent atque declarant mysteria fidei, aut vitae spiritualis veraeque christianae dant praecepta; pabulum sancta oratio in contemplatione et meditatione operum Dei, mysteriorum fidei, divinorum beneficiorum simulque mandatorum Dei divinarumque tum promissionum tum minarum; pabulum caelestis influxus et immissio divinarum consolationum, maxime in spiritualibus exercitiis; pabulum tandem perceptio augustissimi et divinissimi Sacra-

ubi, praeter optimum pastorem, pascua copiosa inveniuntur.

60) Ibid. 1, 19. Vulg.: *Bonam conscientiam repellentes,* etc. 61) 2 Tim 2, 17-18. 62) Lc 8, 13. 63) Cf. Io 6, 67. 64) Ibid. 10, 3-4. 65) 1 Thess 4, 1. 66) Ps 22, 1-3. 67) Vrr. 14-15.

menti. Sic, inquit, *pascua inveniet, ut vitam habeant et abundantius habeant.* Sic Deus copiose et abundanter pavit oves suas in deserto. [68] *Potens est Deus,* inquit Paulus, *omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* [69]

Qui in Ecclesia potestatem usurpat, fur est.

Qui non intrat per ostium, utique in ovile, in Ecclesiam Dei, qui non fuerit vocatus tanquam Aaron, [70] qui non fuerit missus sicut Moyses, [71] qui non fuerit electus sicut David, [72] *ille fur est et latro,* fur per dolum, latro per vim et potentiam, sicut Abimelech intravit in principatum populi, [73] sicut Absalom regnum sibi usurpare voluit. [74] Salomon ut verus pastor ingressus fuit in ovile per ostium, quia a patre hereditario iure rex institutus fuit. [75]

ut omnes haeretici.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, [76] ut Lutherus et Calvinus, dicentes se missos extraordinarie, [77] ut omnes haeretici loquuntur. Sed in Novo Testamento nullam legimus extraordinariam missionem. Paulus enim non missus, sed vocatus extraordinarie fuit; nam missus fuit ad Ecclesiam: *Vade in civitatem et dicetur tibi quid te oporteat facere.* [78]

Agitur tandem de signis veri et falsi pastoris.

X. Agitur in hodierno Evangelio de signis veri et falsi pastoris, idest doctoris; nam posuit Deus in Ecclesia pastores et doctores. Sic Petrus, cui Dominus dixerat: *Pasce oves meas, pasce agnos meos,* [79] ait *prima Epistola,* capite 5, senioribus Ecclesiae: *Pascite qui in vobis est gregem Dei,* quasi *forma facti gregis ex animo;* [80] et Paulus *Actuum* 20 ait senioribus Ecclesiae: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* [81] Sic Paulus perversos doctores, idest haereticos, lupos rapaces appellavit; Dominus autem hodie fures et latrones, post pauca vero et lupos dixit: *Videt lupum venientem... et fugit, et*

68) Cf. Ex 16, 13 sqq. 69) 2 Cor 9, 8. 70) Cf. Ex 28, 1. 71) Cf. ibid. 3, 10. 72) Cf. 1 Rg 16, 1-12. 73) Cf. Idc 9, 1-6. 74) Cf. 2 Rg 15, 1-10. 75) Cf. 3 Rg 1, 28-48. 76) Io 10, 1. 77) Cf. S. Laurentius a Br. *Hypotyposis,* part. 1, pag. 62-63; part. 3, pag. 42. 78) Act 9, 7. Vulg.: *Ingredere civitatem,* etc. 79) Io 21, 15. 17. Affert ordine inverso. 80) Vrr. 2-3. 81) Vrr. 28-30.

lupus rapit et dispergit oves;[82] sicut alibi dixit cavendum *a falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*[83] Dat igitur in hodierno Evangelio Dominus signa ad cognoscendum verum pastorem a falso, ut sciamus quisnam sit verus, quis falsus pastor. In lege a Moyse, *Deuteronomii* 13[84] et 18,[85] data sunt signa ad dignoscendos veros prophetas a falsis, saepe enim accidit ut magna similitudo sit inter canes custodes ovium et lupos.[86]

82) Io 10, 12. 83) Mt 7, 15. 84) Cf. vrr. 1-10. 85) Cf. vrr. 15 sqq.
86) Tribus paginis albis relictis, transit ad Festum SS. Trinitatis.

IN FESTO SS. TRINITATIS

Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio doctrinam fidei et doctrinam morum. Ad doctrinam fidei spectat articulus divinae in Christo potestatis et omnipotentiae: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* ad doctrinam fidei articulus Baptismi: *Baptizantes eos,* et tandem articulus Trinitatis in Deo: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* [2] Ad doctrinam vero morum: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis;* iterumque ad doctrinam fidei redit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* [3] nam ad doctrinam fidei spectat perpetua Christi praesentia in Sancta Ecclesia usque ad iudicii magni diem, et per consequens quod Ecclesia Christi usque ad illud tempus permansura in mundo sit, nam: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* [4] Et ipsius etiam Christi docetur aeternitas, Christus enim veluti spiritus et caput est corporis Ecclesiae; non potest corpus vivum ac perpetuo incorruptum et immortale manere, nisi talis sit spiritus, qui dat ei vitam, tale sit caput unde habet omnem influxum virtutis.

Habemus hodie doctrinam fidei et doctrinam morum.

II. Quoad doctrinam fidei recte coniungitur articulus divinitatis Christi cum articulo Trinitatis, nam ab articulo Trinitatis pendet

1) Pericope huius diei Mt 28, 18. Cf. Missale Rom. 2) Mt 28, 19. 3) Ibid. vr. 20. 4) Ibid. 16, 18.

Articulus divinitatis Christi coniungitur cum articulo Trinitatis,

articulus divinitatis Christi. Si enim Deus, sicut unus natura est et essentia, ita etiam unus esset hypostasi et persona, non posset Christus, qui Filius Dei in Sacris Litteris appellatur et a Deo in mundum missus dicitur, verus esse Deus;[5] neque enim Deus, si una tantum persona est, potest esse Pater et Filius sui ipsius, neque sui ipsius princeps et legatus. Cum igitur Christus in Sacris Litteris et legatus Dei in hunc mundum missus dicatur et verus Filius Dei Primogenitus[6] et Unigenitus[7] simulque verus Deus appelletur, necesse est in Deo plures esse personas, ut una Pater sit, alia Filius, una mittens, alia missus. Quare divinitas Christi est veluti demonstratio quaedam a posteriori pluralitatis personarum in Deo. Propterea in hodierno Evangelio prius agitur de divinitate Christi et postea de Trinitate Personarum in Deo: *Data est mihi omnis potestas.* Non dicitur a quo, sed alibi dictum est: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,*[7a] et alibi: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit et ad Deum vadit.*[8]

divinitas enim Christi est veluti demonstratio pluralitatis Personarum in Deo.

Data est mihi omnis potestas: alludit ad illud: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[9] Interpretatur Paulus *1 Corinthiis* 15: *Procul dubio praeter eum qui subiecit ei omnia,*[10] et *Hebraeis* 2: In eo autem quod dicit, *omnia, nihil reliquit non subiectum ei;*[11] propterea ait: *Data est mihi omnis potestas.* Alludit ad illud Danielis 7: *Aspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus caeli [quasi] filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit... et dedit ei potestatem et honorem et regnum... Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum, quod non corrumpetur.*[12] Alludit ad illud Isaiae: *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis,*[13] idest regem omnipotentem, Christum, nam de Christo interpretatus est Ioannes Evangelii sui capite 12 oraculum illud.[14] Alludit ad Deum visum in humana specie in summitate scalae, ministrantibus Angelis,[15] et ad hoc alludit Paulus dicens: *Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi*

Christus sibi tribuit omnem potestatem et auctoritatem Dei,

5) Cf. Io 3, 17; 5, 37; 6, 58; 10, 36; Rom 8, 3; Gal 4, 4, et alibi saepissime. 6) Cf. Hebr 1, 6. 7) Cf. Io 1, 14, 18; 3. 16. 18; 1 Io 4, 9. 7a) Mt 11, 27. 8) Io 13, 3. 9) Ps 8, 6-8. 10) Vr. 27. 11) Vr 8. Vulg.: *Nihil dimisit*, etc. 12) Vrr. 13-14. 13) 6, 5. 14) Cf. vr. 41. 15) Cf. Gn 28, 12-13.

nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, etc.[16] Alludit etiam Dominus ad illud Isaiae: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis, multiplicabitur imperium eius*, hebraice: *magnitudinis imperii, et pacis*, sive felicitatis, *non erit finis super solium David et super regnum eius, ut confirmet illud amodo et usque in sempiternum.*[17] Dixerat autem: *Factus est principatus*, sive imperium *super humerum eius;* nunc declarat qualis futurus erat hic princeps et imperator, nempe admirabilis, miraculum mundi, sapientissimus, qui nullius eget consilio, sed qui consiliator est, Deus fortis, Deus potens, idest verus Deus, Pater aeternitatis, princeps pacis sive felicitatis, magnitudinis autem et felicitatis huius imperii non est terminus, hoc est: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*, idest omnis potestas et auctoritas Dei. Hoc enim est: *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei.*[18] Duo sunt quae tribuuntur Christo: omnipotentia et aeternitas, quae sunt proprietates Dei, solus enim Deus omnipotens est et aeternus. Sic tribuitur Christo vera divinitas; et tamen loquitur ibi Isaias de Filio, ait enim: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis.*[19]

omnipotentiam quoque et aeternitatem.

III. Christi divinitas tantopere praedicata et demonstrata in Sacris Litteris, est tanquam evidens et sensata demonstratio pluralitatis personarum in Deo. Ostenditur enim mysterium hoc ex divinis apparitionibus Patriarcharum, oraculis Prophetarum, sententiis Apostolorum, sed maxime omnium ex Christi persona. Deum esse unum, et natura ipsa docet docuitque semper universa philosophia, docet Scriptura, docuit semper theosophia; sed Deum esse Trinum, altius mysterium est, quam ut natura cognoscat et philosophia assequi speculando potuerit; mysterium est mere theologicum, divinitus revelatum, ineffabile quidem et incomprehensibile, sed non minus verum et credibile. Divina enim mysteria eo sunt credibiliora, quo sunt incomprehensibiliora et ineffabiliora, quo-

Deum unum esse ipsa naturalis ratio docet,

sed esse trinum nonnisi revelatione cognosci potest.

16) Phil 2, 9-10. Vulg.: *Donavit illi nomen*, etc. 17) 9, 6-7. 18) Mc 16, 19.
19) 9, 6.

niam natura ipsa Dei tota ineffabilis et incomprehensibilis est, sicut lux solis eo visibilior est quo infirmis oculis minus videri potest.

De Trinitatis mysterio habemus in Veteri Testamento symbola et imagines,

Ostenditur autem, ut dixi, mysterium hoc utcumque divinis apparitionibus, nam in tribus Angelis apparuit Deus Patriarchae Abrahae,[20] et Isaiae Deus in medio duorum Seraphim.[21] Adduntur apparitionibus mysteria trium summorum ac sanctissimorum Patriarcharum; itemque propitiatorii divini in medio duorum cherubim ex una eademque massa auri purissimi.[22] Ad hoc item symbola et imagines, quibus[23] Deus ignis,[24] lux,[25] sol,[26] fons aquae vivae[27] dictus est, et anima hominis imago et similitudo Dei.[28] Oracula vero Prophetarum fere immensa sunt. Nam M o y s e s, qui unitatis Dei fuit maximus assertor et acerrimus propugnator contra insipientiam totius fere mundi ac omnium gentium idololatrarum, cum tamen Deum primo nominavit in Sacris Litteris, plurium numero, *Elohim*,[29] idest D e o s dixit, quasi mundus a pluribus diis creatus sit, et saepissime Deum ita appellat; aliquando etiam *Elohim chaiim*, Deos viventes.[30] Deum etiam introducit plurali numero loquentem: *Faciamus hominem;*[31] *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis;*[32] *Descendamus et confundamus linguam eorum,*[33] *Pluit Dominus... ignem a Domino.*[34]

oracula Prophetarum in *Genesi*

Praeterea quod Dii errare sive peregrinari fecerunt Abraham a domo patris sui,[35] quod Dii apparuerunt Iacob in Bethel,[36] imo cum tradit praeceptum de unitate Dei, ibi etiam ponit pluralitatem: *Audi Israel: Dominus Deus noster Deus unus est,*[37] hebraice *Iehovah* Deus, *Dii nostri Deus unus.* Ita I o s u e successor Moysi: *Non poteritis servire Domino, quoniam Deus sanctus ipse,*[38] hebraice *chi Elohim kedoscim hu, quoniam Dii sancti ipse.* Sic I e r e m i a s 23: *Pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum,*[39] hebraice *verba Deorum viventium, Domini* sive Dei *exercituum*, idest Dei omnipotentis.

et in *Iosue*.

20) Cf. Gn 18, 1-2. 21) Cf. Is 6, 1-3. 22) Cf. Ex 25, 17-20; 37, 7-9.
23) Ms.: *Qua*, loco: *Quibus*. 24) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 25) Cf. 1 Io 1, 5.
26) Cf. Mal 4, 2. 27) Cf. Ier 2, 13. 28) Cf. Gn 1, 26-27. 29) Ibid. 1, 1.
30) Paulo inferius ab ipso Sancto Auctore loca citantur. 31) Gn 1, 26. 32) Ibid. 3, 22.
33) Ibid. 11, 7. 34) Ibid. 19, 24. 35) Cf. Ibid. 12, 1. 36) Cf. Ibid. 28, 13.
37) Dt 6, 4. Vulg.: *Dominus unus est.* 38) 24, 19. 39) Vr. 36.

ex modo loquendi S. Scripturae,

Sic innumera sunt Prophetarum oracula. Unde populus, cum Eliae opera eductus fuisset ad Dei veram cognitionem, exclamare coepit: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus,*[40] hebraice: *Iehovah hu Elohim, Iehovah hu Elohim, Deus ipse Dii, Deus ipse Dii.* Ubi primum nomen *Iehovah* apud hebraeos ita singulare est, ut plurale nec habeat nec habere possit, sicut nomen proprium Dei, veluti apud gentiles nomen Iovis, quoniam Deus natura et essentia adeo unus est, ut non possint esse plures dii; alterum vero nomen, ut nomen appellativum et commune, et singulare et plurale. Nam et *Eloah* reperitur quod singulare est, et *Elohim* quod est plurale.

ubi saepe Deus ter nominatur.

Ad hoc mysterium instruendum saepe Deus ter nominatur: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes,*[41] hebraice: *Deus, Deus tuus, Deus zelotes.* Sic Iosue 22: *Fortissimus Deus Dominus,* hebraice: *Deus, Deus, Deus ipse novit.*[42] Sic: *Deus Deorum Dominus locutus est,*[43] hebraice: *Deus, Deus, Deus locutus est.* Sic apud Isaiam[44] *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum,*[45] idest Deus omnipotens. Sic *Numerorum* 6 in benedictione sacerdotis ad populum ter nominatur;[46] et Regius Vates: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.*[47] Sic cum ait: *Verbo Domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus,* idest exercitus *eorum.*[48] Sic saepe Divina Scriptura loquitur de tribus Personis. Isaiae 48 loquitur Deus dicens: *Non a principio in abscondito locutus sum; ex tempore antequam fieret ibi eram; et nunc Dominus misit me et spiritus eius.*[49] Hoc ipsum Zachariae 4 capite.[50] Sic legimus saepe Filium Dei et spiritum Dei. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te;*[51] *Adorate Filium, ne forte irascatur et perdatis viam, quoniam cum exarserit vel modicum ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.*[52]

Sed singulariter hoc mysterium a Christi divinitate demonstratur

IV. Sed singulariter divinum hoc mysterium a Christi divinitate demonstratur: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Sicut David rex omne regnum suum cum omni auctoritate dedit

40) 3 Rg 18, 39. 41) Ex 20, 5. Vulg.: *Fortis, zelotes.* 42) Vr. 22. 43) Ps 49, 1. 44) Ms.: *Isaias.* 45) 6, 3. 46) Cf. vrr. 24-26. 47) Ps 66, 7 sq. 48) Ps 32, 6. 49) Vr. 16. 50) Ms.: 2 *capite;* sed in eo capite sensus citatus non reperitur; reperitur autem in cp. 4, 6, et etiam 7, 12. 51) Ps 2, 7. 52) Ibid vrr. 12 sqq. Ex hebraico.

Salomoni filio, ita Deus Pater Christo Unigenito suo. Sic ait Paulus: *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula; qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit;*[53] et alibi dixit: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*[54] Divinitas autem Christi manifestissime manifestata est in Sacris Litteris, oraculis et miraculis, quod sit verus Filius Dei verusque Deus. Ita Ioannes *1 epistola,* capite 5: *Ut simus in vero Filio eius; hic est verus Deus et vita aeterna.*[55]

in S. Scriptura apertissime conclamata,

Cum igitur non sit nisi unus et solus natura verus Deus, et Christus oraculis et miraculis declaratus ac demonstratus sit verus Filius Dei verusque natura Deus, ergo in una deitate, in uno vero natura Deo, sunt plures personae: Deus Pater et Filius ei consubstantialis, coaeternus et coaequalis. Hoc enim est quod probat totum Ioannis Evangelium ab initio usque ad finem, quod Christus sit verus Filius Dei verusque natura Deus, omnium conditor. Ex Christi ergo divinitate ostenditur manifeste in Deo pluralitas personarum.

Christus enim praedicatur verus Filius Dei Patris eique consubstantialis, coaeternus et coaequalis;

Sicut autem ex Incarnatione Verbi ostenditur persona Filii distincta a Patre, itemque ex operatione Christi in hoc mundo, qua humanum genus redemit, Ecclesiam fundavit et rexit, sicut Pater mundum potentia sua creavit et providentia gubernavit, ita ex missione et operatione Spiritus Sancti in sanctificatione hominum et deductione ad vitam aeternam, post Christum ostenditur tertia Persona. Sic ergo ait: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* idest in nomine vivi et veri Dei, qui Unus et Trinus est: Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

deinde ostenditur etiam tertia persona Spiritus Sancti.

Nam in Sacris Litteris et Pater ostenditur verus Deus et Filius verus Deus et Spiritus Sanctus verus Deus. Nam: *Spiritus* Domini *ornavit caelos,* inquit Beatus Iob capite 26;[56] itemque: *Spiritus Dei fecit me et spiraculum Omnipotentis vivificavit me,* capite 33;[57] itemque: *Spiritu oris Dei facti sunt omnes exercitus caelorum,*

53) Hebr 1, 2-4. 54) Rom 9, 5. 55) Vr. 20. 56) Vr. 13. 57) Vr. 4.

In Sacris Litteris Deus appellatur tum Pater tum Filius tum Spiritus Sanctus.

ait Regius Vates;[58] itemque 2 *Regum* 23: *Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam, dixit Deus Israel,*[59] Spiritum Sanctum appellat Deum Israel. Sic Isaias: *Spiritus Domini requiescet super eum, Spiritus sapientiae et intellectus,* etc.,[60] idest auctor et fons sapientiae, intellectus, etc,; horum autem auctor non potest nisi Deus esse. Sic: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me,*[61] Christus autem nonnisi a Deo missus est. Sic: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi;*[62] et: *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est;*[63] sic: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.*[64] Sic aliis[65] innumeris locis ostenditur Spiritus Sancti divinitas in Sacris Litteris.

Cum igitur nonnisi unus sit Deus, tres personae unus Deus sunt.

Cum igitur et Pater Deus sit et Filius Deus sit et Spiritus Sanctus Deus sit, nec sit nisi unus solus et verus Deus - ut multis in locis Divina Scriptura manifeste dicit et docet: *Dominus ipse est Deus et non est alius praeter eum, Deuteronomii* 4;[66] *Videte quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me,* 32;[67] *Ego primus et ego novissimus; absque me non est Deus,* Isaiae 44;[68] *Ego Dominus et non est amplius, extra me non est Deus,* 45;[69] *Ego sum Deus et non est ultra Deus, nec est similis mei,* 46;[70] sic Deus unus dicitur, sicut unus est sol, sicut unus homo creatus fuit: *Non est bonum hominem esse solum*[70a] - cum igitur natura unus sit numero verus Deus et Pater sit verus Deus, Filius verus Deus, Spiritus Sanctus verus Deus, tres igitur Personae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus sunt verus Deus, sicut in sole lux, fontalis radius et calor unus sol; similiter in igne virtus, lux, calor.

V. Mirabile autem videtur quod in prima deitatis ac Trinitatis operatione, quam in Sacris Litteris legimus, mirabili quodam Spiritus Sancti artificio Trinitas ipsa veluti expressa reperitur, sicut in

58) Ps 32 (hebr. 33), 6. Ex hebraico. 59) Vrr. 2-3. 60) 11, 2. Vulg.: *Requiescet super eum Spiritus Domini,* etc. 61) Is 61, 1; Lc 4, 18. 62) Lc 1, 35. 63) Mt 1, 20. 64) Act 5, 3-4. 65) Ms.: *Alii.* 66) Vr. 35. 67) Vr. 39. 68) Vr. 6. 69) Vr. 5. 70) Vr. 9. 70a) Gn 2, 18. Vulg.: *Esse hominem solum.*

Mysterium Trinitatis annunciatur in opere creationis enarrando,

radio solis imago ipsius. Nam vox ברא, *creavit*, hebraice tres tantum continet litteras: *aleph beth resc*, quorum *aleph* quidem prima littera est nominis אב, quod significat Patrem, *beth* prima littera nominis בן sive בר, quod significat Filium, et *resch* prima littera est nominis רוח, quod significat Spiritum; imo, ex ipsa voce, cum tribus tantum litteris constet, formantur duo integra nomina Patris et Filii. Fuit enim prima illa actio veluti imago quaedam in radio divini solis, imo potius radius divini solis imaginem referens.

Haec est fides catholica, quae Deum natura unum Trinum in Personis praedicat;

Non docet catholica fides cum ethnicis deorum pluralitatem, neque cum Hebraeis solitariam unitatem, sed unitatem essentiae et pluralitatem Personarum, sicut philosophia docet in rationali anima unitatem substantiae et pluralitatem potentiarum, et mathematica in triangulo unitatem figurae et pluralitatem angulorum. Sic Deus natura unus, Personis Trinus praedicatur. Sic in fide Divinae Trinitatis baptizatur homo, ut christianus fiat, credens ex toto corde in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum.

nec cogit haec fides ut mysterium intelligatur, sed ut credatur.

Nec cogit nos fides ut intelligamus, sed ut credamus divinissimum hoc mysterium. Nam, quoad intelligentiam, vix Angeli naturali acumine capiunt talis tantique mysterii magnitudinem. Neque enim inventus fuit Angelus in caelo qui posset aperire librum et solvere septem signacula eius,[71] nec Seraphim poterant Dei faciem contemplari propter splendoris magnitudinem, nam *plena est omnis terra gloria eius,*[72] sicut mundus solis splendore impletur, propterea duabus alis velabant facies suas,[73] *lucem* enim Deus *habitat inaccessibilem.*[74] Hinc etiam, quod spectat ad intelligentiam, nec Patriarchae sanctissimi Abraham, Isaac et Iacob perfectam habuerunt Dei cognitionem. Ait enim: *Apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai,* hebraice *Iehovah, non indicavi eis;*[75] ubi indicat ipsum Moysen divinitus assecutum fuisse maiorem Dei cognitionem quam Patriarchae, non tamen maiorem

71) Cf. Apc 5, 1-3. 72) Is 6, 3. 73) Cf. ibid. vrr. 1-2. 74) 1 Tim 6, 16.
75) Ex 6, 3.

aut perfectiorem fidem. Nam aliud est fides, aliud cognitio mysteriorum Dei.

VI. Coniungit autem Christus hodie cum doctrina fidei doctrinam morum: *Docentes eos servare omnia.* Prius: *Docete omnes gentes,* hic est fidei catechismus, instructio catechumenorum ad fidem, postea: *Docentes eos servare omnia.* Sicut enim in formatione hominis naturali duo in primis formantur: cerebrum in capite et cor in pectore, illud ad cognitionem, hoc autem ad motum et operationem, ita ad formationem hominis spiritualem duo in primis necessaria sunt: fides et caritas operatrix bonorum. Sicut etiam Deus ad constituendum hominem corpus et animam simul copulavit et tamdiu homo est quamdiu haec copula durat, ea nanque per mortem dissoluta, non est amplius homo, ita accidit in homine spirituali regenerato per Baptismum. Hoc est quod Iacobus Apostolus ait: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus,* idest sine operatrice caritate *mortua est;* [76] hoc item quod Ioannes ait: *Qui dicit se nosse Deum et mandata eius non custodit, mendax est, in hoc veritas non est,* [77] et Paulus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant;* [78] Sic etiam Dominus: *Quid vocatis me: Domine, Domine, et non facitis quae dico?* [79] *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores;* [80] qui enim *auditor est et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum,* etc.; [81] et Dominus hominem hunc comparavit viro insipienti, aedificanti domum super arenam; virum autem, qui simul fidem habet et opera, viro sapienti aedificanti domum suam supra solidam petram. [82] In sanctuario Domini simul positae fuerunt duae tabulae legis, [83] nam divina lex duo docet: quid credendum intellectu et quid operandum perfecta animi voluntate. Non sunt haec separanda; simul cum libro legis posita fuit virga Dei operatoria, fructifera. [84] *Docentes eos servare omnia,* nam: *Si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* [85] Sic, in-

Cum doctrina fidei coniungit Christus hodie doctrinam morum;

nam ad formationem hominis spiritualis fides sola non sufficit, requiritur etiam caritas,

idest intellectu credere et perfecta voluntate operari.

76) 2, 26. 77) 1 Io 2, 4. 78) Tit 1, 16. 79) Lc 6, 46. 80) Rom 2, 13. 81) Iac 1, 23. 82) Cf. Mt 7, 24-27; Lc 6, 47 sqq. 83) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 84) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 85) Iac 2, 10.

quit, suscepto Baptismi sacramento, christianis servanda sunt *omnia quaecumque mandavi vobis,* et: *Ecce ego vobiscum sum,* ita ut *qui vos audit,* me audiat, *et qui vos spernit, me* [86] spernat; *an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus?* [87]

86) Lc 10, 16.

87) 2 Cor 13, 3. Septem paginis albis relictis, transit ad Festum Corporis Christi.

In Festo Corporis Christi

Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus qui etc.
De singularissimo et divinissimo sacramento cuius a sancta Ecclesia catho-
lica summa cum veneratione hodierna solemnitas dedicata est, duo ad-
maxime in hodierno evangelio traduntur a Christo. alterum est veritas
alterum utilitas. veritas quo ad substantiam sacramenti. utilitas
quo ad effectus et operationes mirabiles. veritas quo ad se. utilitas quo
ad nos. caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus
hoc est veritas. qui manducat hunc panem vivet in eter-
num. hoc est utilitas. quo ad veritatem magnum miraculum
est. quod vero ad utilitatem spectat magnum nobis in primis benefi-
cium. caro mea vere est cibus. hoc dixit quo ad veritatem divinissimi hu-
ius sacramenti. dixerat paulo ante haec verba dicens: ego sum panis
vivus qui de caelo descendi. si quis manducaverit ex hoc pane vivet
in aeternum. et panis quem ego dabo caro mea est quam ego dabo
pro mundi vita. et iterum. nisi manducaveritis carnem filii hominis et
biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. qui manducat
meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam. et
ego resuscitabo eum in novissimo die. ne quis existimaret eum me-
taphorice esse locutum subiunxit. caro mea vere est cibus. et
sanguis meus vere est potus. cum audissent Iudaei verba superius
posita. panis quem ego dabo caro mea est. litigabant dicentes. quo-
modo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum. ipse subiun-
xit. nisi manducaveritis carnem. et qui manducat meam carnem et
hic quasi interrogatus tacitis cogitationibus eorum utrum metaphorice
loqueretur de esu carnis suae. ait. caro, inquit, mea vere est cibus et sanguis
meus vere est potus. proprie inquit non metaphorice loquor. hinc multi
ex discipulis eius hoc audito dixerunt. durus est hic sermo. et quis potest eum
audire. quapropter abierunt retrorsum. eiusque signis relinquentes

Photo A. Pioresan - Patavii

Ex originali magnitudine naturali

IN FESTO CORPORIS CHRISTI

Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui, etc. [1]

I. De augustissimo et divinissimo Sacramento, cui a Sancta Ecclesia Catholica summa cum veneratione hodierna solemnitas dedicata est, duo vel maxime in hodierno Evangelio traduntur a Christo: alterum est veritas, alterum utilitas; veritas quoad substantiam Sacramenti, utilitas quoad effectus et operationes mirabiles; veritas quoad se, utilitas quoad nos. *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus,* haec est veritas; *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum,* [2] haec est utilitas. Quoad veritatem magnum miraculum est, quod vero ad utilitatem spectat magnum, summum, infinitum beneficium. *Caro mea vere est cibus,* hoc dicitur quoad veritatem divinissimi huius Sacramenti. Dixerat paulo ante haec verba Dominus: *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est,* quam ego dabo *pro mundi vita;* [3] et item: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die.* [4] Ne quis existimaret eum metaphorice esse locutum, subiunxit: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* [5] Cum audissent Iudaei verba superius posita: *Panis quem ego dabo*

Agitur hodie de augustissimo Sacramento Eucaristiae,

cuius videnda est veritas et utilitas.

1) Pericope huius diei Io 6, 56-59. Cf. Missale Rom. 2) Io 6, 59. 3) Ibid. vrr. 51-52. 4) Ibid. vrr. 53-54. 5) Ibid. vr. 55.

caro mea est, litigabant dicentes: *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* [6] Ipse subiunxit: *Nisi manducaveritis carnem*, etc.; *qui manducat meam carnem*, etc. Hinc quasi interrogatus tacitis cogitationibus Dominus verene an metaphorice loqueretur de esu carnis suae, ait: *Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*. Proprie, inquit, non metaphorice loquor. Hinc multi ex discipulis eius, hoc audito, dixerunt: *Durus est hic sermo et quis potest eum audire?* [7] Quapropter abierunt retrorsum eumque penitus reliquerunt. [8]

Ostenditur veritas huius mysterii

II. Quoniam vero haeretici Sacramentarii, qui tanquam caeci in meridie palpant, clarissimam divinae huius veritatis lucem a satana excaecati minime videntes, somniant figuratam esse hic locutionem: *Caro mea vere est cibus*, et: *Hoc est corpus meum*, [9] sicut ibi: *Semen est verbum Dei*, [10] idest symbolum et figura verbi; itemque: *Petra erat Christus*, [11] idest typus et figura Christi, opere pretium erit nonnihil de veritate huius divinissimi Sacramenti ad eos revincendos in medium afferre.

ex ipsis verbis Christi, quae figurate interpretari nequeunt,

In primis autem ita dicitur: *Caro mea vere est cibus*, et: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, sicut: *Hic est Filius meus dilectus;* [12] *Verbum caro factum est;* [13] *Ego et Pater unum sumus*, [14] itemque: *Deus erat Verbum*, [15] per quae fide creduntur mysteria Incarnationis, Trinitatis, divinitatis Christi. Si figurata locutio est: *Hoc est corpus meum*, cur non etiam: *Hic est Filius meus*? *Verbum caro factum est*? *Ego et Pater unum sumus*? Ita ut sicut negatur veritas Sacramenti, ita etiam neganda sit veritas Incarnationis, Trinitatis, divinitatis Christi? Ubinam dicit Scriptura hanc esse figuratam locutionem: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus; Caro mea vere est cibus*, non autem illas? Nam Ecclesia catholica ab initio semper uno eodemque modo, simpliciter, absque ulla figura intellexit crediditque has locutiones sicut illas, et ita credidit hoc mysterium sicut illa, adeo ut cum primum ortum

6) Ibid. vrr. 51-52. Vulg.: *Hic nobis carnem suam*, etc. 7) Ibid. vr. 61. 8) Cf. ibid. vr. 67.
9) Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. De Sacramentariis cf. S. Bellarminus *Controversiae*, t. 3, *De Sacramento Eucharistiae*, lib. 3, cp. 19, col. 558. 10) Lc 8, 11.
11) 1 Cor 10, 4. 12) Mt 3, 17; 17, 5; Mc 1, 11; Lc 9, 35. 13) Io 1, 14.
14) Ibid. 10, 30. 15) Ibid. 1, 1.

fuit monstrum hoc erroris per Bertramum, quemdam obscurum hominem,[16] ac postea per Berengarium,[17] statim ad haeresim hanc profligandam multa coacta fuere concilia. Ostendant ergo ex verbo Dei summi hi verbi Dei iactatores esse figuratam locutionem hanc, potius quam illas, ut credamus eis. Nam in tot saeculis nemo unquam Sanctorum Doctorum figuram hanc vidit. Nam quod aiunt Christum sedere ad dexteram Patris, ergo esse non potest in altari, idest cum in uno sit loco, non posse in pluribus locis esse, perinde est ac si trinitarius dicat: Deus unus est, non potest ergo esse Trinus. Ubi dicit Divina Scriptura non posse Deum facere ut unum corpus sit in pluribus locis? Deum omnipotentem praedicat: *Non est impossibile apud Deum omne verbum.*[18] Potest Deus plura facere, ut Paulus ait, quam nos intelligere;[19] potest de lapidibus suscitare filios Abrahae,[20] per foramen acus camelum transire facere.[21]

Deinde scire vellem ab his summis theologis, cur credunt quod minus clarum est in Scripturis, non autem quod magis clarum est? Nam mysterium quidem Trinitatis minus clarum est: *Ego et Pater unum sumus,* non dicitur unum vere; et amplius legimus:

neque enim tam apertis verbis declaratur mysterium Trinitatis

16) « Primi qui negabant Christi corpus esse in Eucharistia, videntur fuisse illi ipsi qui primi haeresum zizania in Ecclesia serere coeperunt: Simoniani, Menandriani et similes. Sed isti negabant Eucharistiam esse carnem Domini, quia negabant Dominum habere carnem. Quare nullus veterum qui de haeresibus scripserit, hunc errorem in catalogo posuit. Secundus auctor huius erroris fuit Ioannes Scotus, non ille Doctor Subtilis, sed alius antiquior, qui tempore Caroli Magni circa a. D. 800 scripsit. Is enim in Ecclesia Latina de hac re dubie scribere coepit, cuius librum *De Eucharistia* dammatum fuisse in concilio Vercellensi testatur Lantfrancus in suo libro *De veritate Corporis et Sanguinis Domini in Eucharistia.* - Tertius fuit Bertramus, tempore Caroli Crassi, circa a. D. 886. Is in controversia vocare coepit an esset vere in Eucharistia illud ipsum corpus Domini, quod de Virgine natum erat. Confutat hunc errorem Paschasius Abbas Corbiensis, qui illo tempore floruit.

Quartus fuit Berengarius Archidiaconus Ecclesiae Andegavensis circa a. D. 1050, qui auctor habetur huius erroris. Refutarunt Berengarium tres insignes scriptores, qui simul cum Paschasio editi sunt: Lantfrancus, Guitmundus et Algerus, de quibus ita censuit Petrus Cluniacensis initio libri *De Sacrificio,* ut diceret Lantfrancum scripsisse contra haeresim Berengarii bene, plene, perfecte; Guitmundum melius, plenius, perfectius; Algerum optime, plenissime, perfectissime. Quintus propugnator huius haeresis fuit Henricus quidam cum Petro Bruis, circa a. D. 1140; sextus fuit auctor sectae Albigensium, circa a. D. 1208; septimus, auctor sectae Flagellantium, circa a. D. 1350; octavus, Ioannes Wiclef, circa a. D. 1370; nonus, Andreas Carlostadius Archidiaconus Wittembergensis, ac Lutheri discipulus primarius; decimus, Hulricus Zuvinlius Tigurinus, cui comes accessit Ioannes Oecolampadius, apostata ex Monaco Birgittano; undecimus patronus insignis erroris Berengarii fuit Ioannes Calvinus, quem secuti sunt Wihhelmus Klebitius, Petrus Boquinus et Theodorus Beza ». S. Rob. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Eucharistia,* lib. 1, cp. 1, col. 342-346.

17) Cf. in parte I huius voluminis, Feria 4 hebd. Maioris, not. 95, pag. 619.

18) Lc 1, 37.

19) Cf. Eph 3, 20.

20) Cf. Mt 3, 9.

21) Cf. ibid. 19, 24; Mc 10, 25; Lc 18, 25.

Rogo, Pater, *ut sint unum sicut et nos unum sumus.*[22] Sic dicebant Ariani, illud *unum sumus* significare unitatem voluntatis per caritatem et animorum concordiam, sicut: *Credentium erat cor unum et anima una,*[23] non unitatem naturae et substantiae.

et Incarnationis.

Praeterea mysterium Incarnationis minus clarum est: *Verbum caro factum est;* non dicitur vere caro factum est, et alibi legimus: *In similitudinem carnis peccati,*[24] itemque: *In similitudinem hominum factus.*[25] Hinc Marcionitae et Manichaei figuratam dicebant locutionem: *Verbum caro factum est;* negabant enim Christum habuisse verum corpus.[26]

sicut mysterium Eucharistiae,

At vero cum agitur de hoc mysterio, clarissime dicitur: *Hoc est corpus meum*, apud Matthaeum, apud Marcum, apud Lucam, apud Paulum *1 Corinthiis* 11; Ioannes autem: *Caro mea vere est cibus*, quod non dicitur in mysterio Trinitatis: vere unum sumus, non in mysterio Incarnationis: vere caro factum est. Quid est: *Vere est cibus*? Si *vere*, non ergo metaphorice. Nam si quis Apostolum praedicantem et docentem dicentemque audisset: Christus est vere Deus, Christus est vere homo, quomodo intellexisset figurate? Neque enim qui in scena personam regis agit dici potest vere rex, neque adulterina gemma potest dici vere gemma, nec adulterinum aurum vere aurum. Hic autem dicitur: *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus*, ita ut si clarioribus verbis exprimere mysterium hoc voluisset ad significandum se absque ulla figura, sed vere simpliciterque se locutum esse, vix scio quibus aliis uti potuisset, nec invenio in Sacris Litteris verba clariora, quibus cetera fidei et pietatis nostrae mysteria exprimantur.

nil ergo credendum, si hoc credendum non est.

Aut ergo nihil credendum firmiter est, aut penitus nihil credendum, si hoc credendum non est, quod tam expressis, tam claris, tam luculentis verbis in Divinis Litteris traditum est, ut nihil aliud clarius aut expressius, sicut cum Samaritani dixerunt: *Hic est vere*

22) Io 17, 22. S. Bellarminus: «Hoc testimonio utuntur omnes Patres contra Arianos, ut probent unam esse essentiam Patris et Filii. Respondent Transilvanus lib. 2, cp. 9. et Franciscus David, Disput. 2, Albana, hunc locum intelligi de concordia caritatis, qua erant unum Pater et Filius». Op. cit., t. 1, *De Christo*, lib. 1, cp. 6, col. 252. 23) Act 4, 32. 24) Rom 8, 3. 25) Phil 2, 7. 26) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 56, (P. G. 42, 624); Philastrius *De Haeresibus*. haer. 45, (P. L. 12, 1160); S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos*, ps. 37, ibid. 36, 411; ps. 93, ibid. col. 1208; serm. 12, cp. 9, ibid. 38, 104; S. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Incarnatione*, lib. 3, cp. 2, col. 376.

Salvator mundi,[27] et sicut cum Moyses populo dixit: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.*[28]

Nullum testamentum conditur sub figuratis verbis.

III. Deinde quis unquam vidit prudentem legislatorem praecepta popularibus suis dantem sub verbis ambiguis et figuratis? Cum autem Christus hoc Sacramentum instituit, ait: *Hoc facite in meam commemorationem.*[29] Amplius, quis unquam prudens testamentum condidit sub figuratis verbis? Ait autem: *Hic est sanguis meus novi* et aeterni *testamenti.*[30] Praeterea quis unquam princeps, modo bonus sit, qui fallere nolit, fidelibus servis praemia promisit aut munera sub tropis et figuris, sub aenigmatibus? Christus autem credentibus promisit divinum hunc panem. Ioannes 6 ait enim: *Qui credit in me habet vitam aeternam. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Ego sum panis vitae, Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. Ego sum panis vivus qui de caelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea,* etc.[31]

Hinc autem liquet quod [non] loquitur Dominus de spirituali cibo per fidem, qua qui credit in Christum ipsum spiritaliter edere dicitur, nam panis hic nonnisi iam credentibus promisisset Christus. An non etiam qui sub lege et ante legem fuerunt fideles spiritualiter per fidem Christum manducaverunt credentes? Hinc Paulus ait *quod eamdem escam spritualem manducaverunt.*[32]

Si Christus figurate locutus fuisset, nugatoria esset eius promissio.

Deinde, cum magnum quid promittat hic Christus, adeo ut panem hunc tanto praeferat mannae de caelo, quanto vita aeterna potior est temporali, quam manna contulit conservando, si deinde nihil aliud contulit nisi buccellam panis, quatenus symbolum et figura erat corporis sui, an non nugatoria fuisset promissio? Nam multo potiora symbola erant antiqua, agnus paschalis, manna, lignum vitae,[33] quam buccella panis de furno. Et si nonnisi buccella panis hic est, ut quid Paulus hominem panem hunc indigne manducantem reum facit corporis Christi ac si vere ipsum Christi corpus male tractasset?[34]

27) Io 4, 42. 28) Ex 16, 15. Vulg.: *Quem Dominus dedit,* etc. 29) Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24-25. 30) Mt 26, 28; Mc 14, 24. Cf. Missale Rom., forma consecrationis panis. 31) Vrr. 47-52. Affert ordine inverso. 32) 1 Cor 10, 3. 33) Cf. Gn 2, 9; 3, 22. 34) Cf. 1 Cor 11, 27.

ad idololatriam fideles suos perduxisset

Et tandem, si non est verum Christi corpus in Sacramento hoc, profecto cum Christus in hunc mundum venerit ad evertendam idololatriam, sua doctrina et institutione ad multo peiorem idololatriam fideles suos perduxisset, nam tolerabilior fuisset idololatria, adorare solem, lunam et stellas aut statuas aureas et argenteas, sive etiam ipsa viva animalia hominesque, quam frustum panis. Nam ipse apertissimis verbis promisit daturum se carnem suam in cibum, postea vero instituens Sacramentum ait, accepto pane: *Hoc est corpus meum.* Paulus etiam ita praedicavit, universa Ecclesia catholica semper et ubique ita intellexit, credidit, adoravit, multis etiam miraculis confirmata ad hoc credendum.

et frustra ipse in mundum venisset et Spiritus S. Ecclesiae datus fuisset.

Si igitur falsum est adesse Christi corpus in venerabili Sacramento, profecto in intolerabili idololatriae errore et superstitione universa Christi Ecclesia, quae *columna et firmamentum veritatis*[35] dicitur et contra quam portae inferi praevalere non posse asseruntur,[36] miserrime iacuit. Ad quid ergo venit Christus in mundum, cum tamen uno tantum verbulo potuisset Ecclesiam suam a tali tantoque periculo liberare, maxime cum vidit occasione verborum suorum de esu carnis et potu sanguinis scandalizatos multos ex discipulis suis abiisse retrorsum? Cur hac in re tam parvus Christus? tam parvus Ioannes, qui solebat vel minimas Christi metaphoras declarare? tam parvus Apostolus Paulus? imo Spiritus ipse Sanctus, qui datus fuit ut doceret omnem veritatem,[37] cur Ecclesiam Christi talis tantique erroris nunquam monuit? Quid facilius errasse universam Ecclesiam, quae, cum a Spiritu Sancto regatur, errare non potest, an errasse haereticos Bertramum, Berengarium, Calvinum, qui spiritu erroris ducuntur, a patre atrorum spirituum agitatos?[38]

Christus dicit Eucharistiam homini vitam aeternam conferre.

IV. Sed iam haec missa faciamus, et videamus quid Christus dicat de veritate divinissimi huius Sacramenti: *Caro,* inquit, *mea vere est cibus.* Cum dixisset: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam,* subiunxit: *Caro enim mea vere est cibus,* cibus utique conferens vitam aeternam, sicut lignum

35) 1 Tim 3, 15. 36) Cf. Mt 16, 18. 37) Cf. Io 16, 13. 38) Ms.: *Agitatis.*

vitae in medio paradisi, quod dabat homini vitam immortalem;[38a] ac deinde: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*, idest unitur mihi sicut palmes viti, et per hanc unionem particeps fit vitae aeternae. Christus enim vita aeterna dicitur;[39] quare qui Christo unitus est, necesse est ut vitam aeternam habeat. Subiungit autem: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me vivet propter me.*[40] Loquitur Christus homo Patremque Deum dicit ipsamque divinitatem, cui unitus erat: sicut, inquit, ego unitus Patri vivo, quoniam Deus vita est, ita quisquis mihi unitus fuerit, vivet propter hanc unionem; sive: sicut Pater, qui misit me, vivit et ego vivo propter Patrem ipsum, cui unitus sum, ita quisquis manducat me ac per hanc manducationem unitus revera mihi fuerit, vivet propter me. Adhibito ergo Patris exemplo, explicat quomodo, quisquis carnem ipsius manducaverit, vitam aeternam sit habiturus. Hinc tandem subiungit: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum*. Si autem divinus est Sacramenti huius effectus, nempe vita aeterna, necesse est divinam ipsius esse substantiam ipsumque Christi corpus, imo ipsummet verum Christum, qui solus vitae aeternae auctor est, continere, ita ut et Sacramentum sit corporis Christi et verum Christi corpus, veluti si in scena, in qua repraesentatur regis pugna et victoria, ipsemet rex velit sub habitu occultatus suam ipsius personam agere. Hic enim Christi passio repraesentatur et ipse Christus, qui repraesentatur passus, revera vivus et integer reperitur.

ergo si divinus est effectus,

Eucharistia divinam continet substantiam, idest verum Christi Corpus.

V. Hac autem fidei veritate posita, quae semper in universa Christi Ecclesia ab initio fuit indubitatissima, hinc patet magnum mysterii huius miraculum itemque miraculo aequale beneficium. Hebraeis miraculum visum fuit manna, propterea, eo viso, exclamarunt dicentes: *Man hu? man hu? quid est hoc? quid est hoc? Iste est*, inquit, *panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum.*[41] Ad quod alludens Regius Vates ait: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se;*[42]

Magnum miraculum est hoc mysterium et magnum beneficium,

38a) Cf. Gn 3, 22. 39) Cf. Io 3, 15. 36; 6, 47; 10, 28. 40) Ibid. 6, 58. Ms.: *Patrem*, loco: *Propter me*. 41) Ex 16, 15. 42) Ps 110, 4-5.

nam est opus divinae omnipotentiae,

ubi comparat opus hoc cum aliis Dei operibus et longe anteponere videtur. Nam cum dixisset: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius,* sive, ut hebraice est, *voluntates eorum,* idest omnibus numeris absoluta, habent omnia quae requiri et desiderari possunt; nam *Dei perfecta sunt opera,*[43] hinc sequitur: *Confessio et magnificentia opus eius,* confessio ponitur pro laude; opus quodcumque Dei omni laude dignum est, nam omne opus Dei divinam redolet maiestatem, et *iustitia eius,* pro beneficentia ponitur, *manet in saeculum saeculi,*[44] idest perpetua est et incessabilis; sed tamen, inquit, *memoriam fecit mirabilium suorum,* etc. Verum alludit Sanctissimus Vates ad divinissimum hoc opus virtutis Dei, quod revera opus est super omnia opera Dei, opus infinitae potentiae, ideo miraculum omnium maximum est.

et summum beneficium, nam est opus infinitae caritatis.

Opus item infinitae bonitatis et caritatis, propterea summum est beneficium, imo totum miraculum est, sed miraculum amoris qui summe artificiosus, summe ingeniosus est, excogitans supra modum mirabiles adinventiones. Quare Sacramentum hoc, nedum opus est maximum divinae omnipotentiae et caritatis, verum etiam inventum supra modum mirabile divinae sapientiae. Magnum miraculum simul et beneficium mundi creatio, multo maius Verbi incarnatio, sed nil minus divinissimi huius Sacramenti institutio.

dat digne sumentibus gratiam

Qui manducat hunc panem vivet in aeternum. Panis, inquit, hic causa est vitae aeternae, siquidem, ut ait, *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die,*[45] idest, quia ego resuscitabo eum. Confert enim sumentibus digne gratiam, cui debetur gloria, estque corpus Christi in nobis veluti semen quoddam immortalitatis vitaeque aeternae. Sic a Divo Ignatio in Epistola *ad Ephesios* dictum est pharmacum immortalitatis, antidotum contra mortem;[46]

et est velut semen immortalitatis.

est veluti modicum fermentum quod totam massam fermentat et in meliorem quamdam naturam transmutat. Christus item fuit granum frumenti, quod cadens in terram, multum fructum attulit[47] humano generi immortalitatis. Non loquitur autem de naturali vita cum ait:

43) Dt 32, 4. 44) Ps 110, 2-3. 45) Io 6, 54. 46) Cf. P. G. 5, 662. 775.
47) Cf. Io 12, 24.

Non sicut manducaverunt patres vestri manna in deserto et mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in aeternum.[48] Nam quod spectat ad vitam naturalem et temporariam, ita moriuntur nunc christiani, qui divino hoc cibo fruuntur, sicut olim Hebraei, qui manna de caelo comederunt; sed loquitur de vita supernaturali tum animae tum corporis: animae vitam aeternam dat, non quidem naturalem, nam anima natura sua immortalis est et animae etiam damnatorum una cum daemonibus in inferno vivent in aeternum naturali vita; sed dat spiritualem vitam per Spiritus Sancti gratiam angelicae divinaeque quam similem nunc in praesenti saeculo, multo autem perfectiorem in futuro; corpori item dat, non quidem naturalem hanc, sed supernaturalem in resurrectione beatamque tum propter gratiam quam confert, quae veluti pignus est et arrha, imo ius hereditatis vitae illius immortalis et beatissimae, tum etiam propter hypostaticam cum divinitate, quae vita ipsa est, coniunctionem, suo ipso veluti contactu communicat vitae aeternae participationem, sicut ignitus calculus aut carbo calorem. Quare cum ait: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt,* panis ergo ille non potuit, licet de caelo esset, vitam dare corporibus perpetuam, multo ergo minus animabus vitam spiritualem divinamque, hoc enim multo maius et divinius est. At panis iste potest dare animabus vitam spiritualem, caelestem divinamque in aeternum; ergo multo magis corporalem, quod multo minus est. Propterea ait: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum,* vita utique beata, de qua dixerat: *Resuscitabo eum in novissimo die,* sed ad vitam, non ad condemnationem; alioquin per Christum omnes resuscitabuntur, sicut per Adam omnes moriuntur.[49]

quia vitam animae confert supernaturalem

et corpori in resurrectione,

imo dat ius hereditatis vitae beatae in caelo,

Quoniam vero panis hic sua virtute et efficacia vitam dat toti homini sempiternam, propterea a Christo appellatus est panis verus: *Non Moyses dedit vobis panem, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum... Panis enim Dei est, qui de caelo descendit et dat vitam mundo:*[50] panis Dei non solum quia divinitus datus, verum etiam, phrasi hebraica, panis optimus, excellentissimus, pretio-

unde a Christo appellatur panis Dei verus.

48) Ibid. 6, 59. 49) Cf. 1 Cor 15, 22. 50) Io 6, 32-33.

sissimus, plane divinus, mannae longissime praeferendus, qui etiam efficit hominem Deo similem, quod in arbore scientiae primi homines appetivere.[51]

* * *

Fragmentum.

... damnatus[1] est ob superbiam sicut Lucifer et Adam. Haec est sicut ignis sulphureus qui aqua nutritur; damnatus est quia fide et operibus praeditus, caritate et humilitate destitutus erat.

Duo homines, ambo peccatores similes duobus illis debitoribus, quorum alter debebat denarios quingentos et alter quinquaginta; sed unus erat peccator manifestus, alter occultus; uterque infirmus et peste infectus; sed in uno pestis erat manifesta, in altero occulta, ita ut videretur sanus. Similis angelo Laodiciae ecclesiae cui dicitur: *Scio opera tua quia neque frigidus* [*es*] *et neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es et neque frigidus neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo, quia dicis: quod dives sum et locupletatus et nullius egeo; et nescis quia miser es et miserabilis et pauper et caecus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias et vestimentis albis induaris.*

Duo homines. Ex eadem massa habet potestatem figulus facere *aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.*

Duo homines, eiusdem naturae, eadem penitus natura constantes.

Duo homines, sicut Aman et Mardochaeus. Spernebat Aman Mardochaeum neminemque existimabat se apud regem honorabiliorem; attamen Mardochaeus magis honoratus fuit.

Duo homines, alter quidem iustus, sed superbus; alter vero peccator, sed humilis. Hic placuit Deo, ille autem displicuit. Sed si placet Deo humilitas in homine peccatore, quanto magis in homine iusto? Et si superbia in homine iusto displicet Deo, quanto magis in homine peccatore?

51) Cf. Gn 3, 1-6. Reliqua parte paginae et tribus aliis foliis albis relictis, invenitur inscriptio: «Dominica infra octavam Corporis Christi»; sed septem reliqua folia usque ad finem codicis alba pariter relinquuntur. Et hic explicit codex Vindobonensis.

1) Hoc fragmentum servatur in Museo Missionario Capuccinorum Massiliae. Valde probabiliter excerptum fuit ab homilia iam edita in vol. VIII Operum Omnium S. Laurentii a Br., *Dominicalia*, Appendix secunda, Dom. X post Trinitatem (rectius post Pentecosten), pag. 720, et ponendum est ad finem lineae 28.

Duo homines, duo lapides onychini in scapulis magni sacerdotis, unus a dextris et alter a sinistris. Erant ambo christiani, scilicet fideles: *Ascenderunt ut orarent.* Sed tandem unus statuetur a dextris et alter a sinistris Christi in die iudicii.

Duo homines, pharisaeus iustus quidem, sed praescitus, publicanus peccator, sed praedestinatus. Hinc elucet quod praedestinatus, quamvis peccator, tamen semper praesefert aliquod virtutis et bonitatis insigne. Sicut homo nobilis illustri ex progenie natus, quamvis vilibus indutus sit vestibus, vultu tamen ostendit nobilitatis insigne. Sic David in peccato manens iustam tulit sententiam contra raptorem ovis. E contra praescitus, quamvis secundum praesentem iustitiam sit iustus, semper tamen dat aliquod vitii et malignitatis indicium, sicut rusticus nobilibus vestimentis indutus, vultu tamen rusticum se esse declarat. Sic fuit Iudas inter Apostolos. Sic videmus hodie in iusto pharisaeo superbiam et elationem animi, in publicano autem peccatore humilitatem et submissionem animi Deique timorem, quo perculsus intra conscientiam suam dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Pharisaeus autem nihil timebat, sed quasi securus de salute sua ob iustitiam suam in qua confidebat, Deum minime precabatur pro salute sua. Timor Dei et vera cordis humilitas character veluti est divinae electionis, signum salutis.

Quaesivit aliquando Aesopus a Chirone philosopho quidnam ageret Iovis; cui ille respondit, quod exaltat humilia, alta vero deprimit. [2]

2) Homilia supradicta deinde prosequitur: « Ad ostendendum autem quantopere placeat Deo humilitas...». In calce chirographi adnotatur:

« Testatur infrascriptus hoc scriptum esse autographum B. Laurentii a Brundusio Ord. M. Capuccinorum, olim Provincialis huius Venetae Provinciae, et Min. Generalis totius Ordinis, excerptum ex Voluminibus ab ipso exaratis quae in Archivio Provinciali huius Conventus Venetiarum asservantur ».

Ex Conv. Venet. Die 23 Augusti 1873.

L. S. Fr. Athanasius Min. Prov. Cap. (l. i.)

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

COMMENTARIOLUM

DE REBUS
AUSTRIAE ET BOIHEMIAE

Cura et studio P. Eduardi ab Alenconio Ord. Min. Cap.
editum

Apud Curiam Gen. Cap. ROMAE 1910.



Randi saec. XIX In ecclesia Capuccinorum Forolivii

S. Laurentius a Brundusio legatus ad Hispaniam missus a Paulo V Apostolicam benedictionem petit a. 1609

PROOEMIUM

In archivo nostri Conventus Bergomi (nunc Mediolani, N. E.) parvus codex [1], manu propria S. Laurenii a Brundusio exaratus, adservatur, in quo Sanctus, obedientia compulsus, breviter narravit res a se ipso gestas ab anno 1599 ad annum 1611. Hujus pretiosi codicis hucusque inediti apographum fraterne nobis transmisit A. R. P. Camillus ab Albino, nostrae Provinciae S. Caroli in Lombardia Minister, ut illud in Analectis evulgaremus [2].

Gratias Ipsi debitas persolventes, antequam praesentem editionem inchoemus, Lectori notum facimus nos Relationem Sancti illustrare velle documentis aliis, pariter authenticis, quae ex Archivo Vaticano, tam ab editore quam a R.mo P. Ludovico Antonio a Bruntruto, Ex-Definitore Generali, fuerunt excerpta. Notulas etiam addemus, quas opportunas judicamus, pro faciliori et pleniori narrationis intelligentia.

Et primum *de Codice*. — « Habent sua fata libelli », ait poëta. Sua fata pariter habuit praesens codicillus, quae breviter enarrantur in eodem.

« Questo Manuscritto, avventuratamente trovato, lacero, nell'anno 1770, da Frà Giovanni Maria da Bergamo, Cappuccino, Segretario del Rev.mo P. Francesco Maria da Bergamo, Predicatore del Sagro Palazzo Apostolico: e

1) Codex ligatus, cum operculis (338x220 millim.) pelle vitulina tectis ac cauliculis argenteis decoratis. In fronte legitur argenteis impressum: COMMENTARIO — MANUSCRITTO — ORIGINALE — FATTO PER — UBBIDIENZA — DAL VENERABILE (postea correctum est et scriptum BEATO) — SERVO DI DIO — IL P. LORENZO — ROSSI DA — BRINDISI. Folia, non computatis illis quae ad custodiendum manuscriptum fuerunt apposita, sunt quindecim, quorum sex manu S. Laurentii exarata. A tergo primi folii, post Beatificationem Auctoris, scriptum fuerat: *Servus Dei Pater Laurentius a Brundusio Capucinus qui jam ob ejus sanctitatem Titulo Venerabilis honorabatur, inter Beatos, rite probatis ipsius miraculis, a Pio Sexto Pontifice Maximo, toto Capucinorum ordine laetante, solemniter connumeratus fuit.* Quam inscriptionem deinceps quidam devotus frater nitidiori charactere descripsit in charta eidem folio agglutinata folio secundo, quod est primum inter numerata, legitur titulus huic Codici datus a P. Joanne Maria a Bergomo, quem reportatum invenies, et subtus brevis memoria inventionis ejusdem. Folio 3 (numerat 2) incipit manuscriptum originale Sancti quod explicit folio 9 (numerat 8). In foliis manu S. Laurentii exaratis (323×205 millim.) linearum numerus a 25 ad 30 variat. Folio 10 (numerat 9), in capite, legitur Paragraphum Litterarum S. Laurentii ad Procuratorem Generalem, manu P. Jacobi a Salodio exaratum et Fides authenticitatis quam inscripsit P. Pius a Venetiis. Folium 11 vacat, et inter folia 12 et 14 inserta est Epistola manu Sancti subsignata (fol. 13), quam dabimus in Appendicibus. Folium 15 vacat.

2) Postea Romam, ad negotia Provinciae pertractanda, veniens, pretiosum Codicem nobis attulit examinandum. Quapropter editionem plane manuscripto conformem dare possumus. Solummodo puncta et virgulas pro faciliori captu adjecimus.

confrontato con altri manuscritti del V. Servo di Dio, si è riconosciuto autografo; e perciò riunito, *ad Dei gloriam*, e legato, resta applicato, con facoltà di N.ro Sig.re Papa Clemente XIV, all'archivio della Biblioteca de Cappuccini di Bergamo ».

De ejus authenticitate. — In fine Codicis legitur sequens testimonium:

In nomine Domini.

Testor ego infrascriptus in verbo veritatis, quod, facta diligenti collatione manuscripti hujus Commentarioli [incipientis folio n. 2 his verbis — *In nomine Domini Nostri Jesu Christi et Beatissimae Virginis Mariae. Nell'anno 1599, avendo l'Arcivescovo di Praga Sbignec Berka fatto istanza a Clemente ottavo* etc. et desinentis folio 8º a tergo his verbis: *non si vale de consigli di F. Lorenzo se non all'occorrenze per maggior gloria di Dio.*] cum aliis autographis manuscriptis operibus Ven. S. D. P. Laurentii a Brundusio Capuccinorum ex Generalis, et in Germania excomissarii Apostolici; evidenter, et absque dubitatione constat, hoc ipsum manuscripum fuisse ipsius V. Servi Dei propria manu exaratum: et hoc ita esse insuper comprobatur, tum ex operis contextu, cum ex Paragrapho Epistolae ejusdem V. Servi Dei, a socio P. Jacobo Salodiensi hac ipsa pagina supratranscripto; cuius socii pariter characterem cum aliis illius manuscriptis collatum, autographum esse recognovi. In quorum fidem praesens autenticum testimonium hic mea manu scribo, et proprio nomine, ac sygillo munitum confirmo.

Romae in Capuccinorum Coenobio Immaculatae Conceptionis, hac die 12 Februarii an. 1773.

L. ✠ S.

F. Pius a Venetiis, Conc. ex-Prov.lis Capuccinus, Sacrae Congregationis Indulg. ac Sacris Reliquiis praepositae Consultor, et causae Beatificationis et Canonizationis ejusdem V. S. Dei Postulator, manu propria.

Idem P. Jacobus a tergo ultimi folii scripserat « Delle Cose di Austria et Boemia commentario del P. F. Lorenzo da Brindisi ».

Praesens Commentariolum notum fuit nostro P. Bonaventurae a Cocaleo qui eo usus est in Vita S. Laurentii, quam Romae praelo subjecit anno 1783. Inter fontes quos indigitat legitur: « Un piccolo *Commentario* ultimamente ritrovato a caso in un'Archivio di Roma, che dal confronto con altri manoscritti rilevasi essere di mano propria del nostro Beato, da Lui esteso per espresso comando de' suoi Superiori, in cui riferisconsi le principali cose Lui avvenute in Germania » [3].

De occasione scribendi. — Paragraphum epistolae, de quo loquitur P. Pius a Venetiis, et a P. Jacopo Salodiensi [4] in ipso codice transcriptum, manifestat intentionem Sancti dum illud Commentariolum scriberet et praeceptum

3) *Ristretto istorico della vita, ... del B. Lorenzo da Brindisi ...* dal P. Bonaventura da Coccaglio. Roma. 1783. pag. viii. 4) De P. Jacobo Salodiensi cf. *Analecta Ordinis* mensis Januarii 1908, vol. XXIV, pag. 24. — Tunc temporis erat *Scriptor P. Michaelangeli ab Ariminio, Procuratoris Generalis*, uti ipse subscripsit cuidam instrumento sub die 26 Julii ejusdem anni 1612, in Archivo Ordinis adhuc existenti.

illi factum a P. Procuratore Generali dum Romae degeret. En illud paragraphum:

Estratto di una lettera del M. R. P. F. Lorenzo da Brindisi già Generale etc. al M. R. P. Proc.re, sotto li 9 Luglio 1612.

M. R. P. nel S.re

Per fare quanto la R. V. mi ha imposto di notare qualche cosa che possa servire alla compilatione delle Croniche per la Provincia di Boemia e di Austria, me ho rubbato un poco di tempo, e notato qualche cosetta, se ben per dire il vero, non senza mio rossore, essendo che appena si tratta d'altro, che di Fra Lorenzo. Ma ho fatto come la R. V. mi disse quando fui costì a Roma, al modo de commentarij di Cesare. La P. V. veda se v'è cosa a proposito con la benedizione di N. S.; altrimenti abbrugi questa scrittura che le scrivo di mia propria mano che altri non la vedano, perche me ne vergogno da me medesimo. Sono più ordinarij etc.

Io F. Giacomo da Salo ho cavato quanto di sopra dal proprio originale a 27 Luglio 1612.

COMMENTARIO

MANUSCRITTO ORIGINALE

fatto per ubbidienza dal Venerablle Servo di Dio il P. Lorenzo (Rossi) da Brindisi Predicator Cappuccino della Provincia Veneta, Esprovinciale di Toscana; di Venezia; di Genova; Esdiffinitore, ed, Esgenerale di tutto l'Ordlne.

Contiene

Alcune delle di lui Imprese à vantaggio della Religione, e de Principi, mentre fù Comissario Apostolico mandato da Papa Clemente VIII. per la erezzione de Conventi de Cappuccini a richiesta dell'Arcivescovo di Praga; ed' ivi, per comando dello stesso Papa, ad' istanza della Maestà Cesarea di Rodolfo II Imperadore, fù Direttore Spirituale della sua Armata in Ungheria invasa dal Turco: Poi fù Inviato dal Papa Paolo V. per unire i Principi Cattolici in Lega difensiva contro gli Eretici: Indi mandato dalla stessa Lega Cattolica di Germania al Rè di Spagna per accoppiarselo, come ottenne: Ed' in seguito mentre fù Nunzio Apostolico, e nel tempo stesso Ambasciadore di Spagna presso il Duca di Baviera come capo della Cattolica Lega.

Brevis Introductio Editoris.

Licet omnes historici Sancti Laurentii dicant eum missum fuisse in Hungariam, ut ad instantiam Imperatoris Rodulphi II Minores Capuccinos in illud Regnum introduceret, documenta probant hanc fundationem non Imperatori tribuendam esse sed Archiepiscopo Pragensi, uti scribit ipsemet Sanctus. In Bullario Ordinis[5] habentur tres Epistolae, quas anno 1597 scribebat. Prima

5) Tom. IV, pag. 171 et ss.

directa est ad Generalem Capuccinorum, sub die 10 Februarii, et aliae duae directae sunt ad Cardinales Marianum Pierbenedetti, dictum Cardinalem Camerini, et Octavium Paravicini, et datae sunt Brunae die 4 Maii. In prima refert se jam obtinuisse consensum Sacrae Caesareae Majestatis et perspexisse ejusdem benignissimam voluntatem et desiderium ut Capuccini Pragam mitterentur. Ex aliis constat Summum Pontificem desiderium Archiepiscopi benigne approbavisse. « Ipsa operis gravitas, subjungit cl. Editor Bullarii nostri, illud quidem accelerari suasit, modus tamen suavioris et felicioris executionis id usque ad tempus Capituli Generalis differri monuit ». Et nunc audiamus Sanctum res ab ipso gestas breviter narrantem.

COMMENTARIOLUM
DE REBUS AUSTRIAE ET BOIHEMIAE

[fol. 2.]

« *In nomine Domini Nostri Jesu Christi*
et Beatissimae Virginis Mariae.

« Nell' anno 1599 havendo l'Arcivescovo di Praga Sbignec Berka [6] fatta istanza a Clemente ottavo per avere de frati della nostra Religione nella sua citta, mentre si celebrava il nostro Capitolo Generale nel sudetto tempo in Roma [7], fu da Sua Santità comandato al Padre Generale [8] che fussero inviati alcuni frati a quella volta per vedere se in quella citta piena tutta di heretici poteva fondarsi luoco per la nostra Religione; e fu con più frati di diverse provintie [9] mandato fra Lorenzo da Brindisi, qual fu be-

« fra Lorenzo da Brindisi cap.no ».

Ibid., f. 505).

Iterum Sanctus scribebat ad Nuntium:

« Illus.mo e R.mo Monsig.re

« Doppo l'haver scritto a V. S. Illus.ma e R.ma l'altro hieri e stato qua il S.or Duca Massimiliano, e ragionando del negotio mi disse che l'Arciduca Ferdinando da Gratz haveva scritto qua tenere lettere da Spagna di procurare questa principessa per il principe di Savoia, ma ch'egli credeva ch'il S.or suo padre non harebbe atteso ne all'uno ne all'altro partito per le speranze dateli da Praga e che ne meno inchinava punto a quest'altro partito. Ho voluto darne avviso a V. S. Ill.ma e R.ma acciò sappia per appunto quanto passa e staro aspettando suoi comandamenti. Le faccio humilis.ma riverenza e da N. S.re li prego ogni contento. Da Monaco a di 2 Novembre 1610. D. V. S. Illus.ma e R.ma

« affet.mo servo nel Sig.re

« fra Lorenzo da Brindisi cap.o ».

A tergo alia manu:

« All'Ill.mo e R.mo Monsr Nuncio in Vienna ».

(*Ibid. f. 533*).

Similiter has litteras ad Cardinalem Burghesium transmisit Nuntius, qui scribebat: « Dalle due incluse lettere del Padre Brindisi si degnarà V. S. Ill.ma di vedere quanto lentamente caminino le speranze nel trattato con Baviera et la coniettura che potrebbe farsi che l'opera di Mons. Arcivescovo di Capua debba esser tarda o inefficace mentre oppositioni si grandi sono per incon-

60) Scilicet Dux Guglielmus.

trarseli. Ma alla mano di Dio benedetto nessuna cosa all'ultimo puo rendersi difficile et inobediente. 20 Novembre 1610 ».

(*Ibid., f. 543*).

Cardinalis vero haec pauca verba rescribebat ad Nuntium: « Per le lettere che di nuovo ha scritto a V. S. il P. Brindesi si sono intese le difficoltà che rappresenta del matrimonio con Baviera. 4 Dicembre 1610 ». (*Arch. Vat., Borgh., I. 920, f. 176*).

S. Laurentius Praga Monachium secum duxerat P. Benedictum a Treviso, qui die 17 Novembris scribebat ad suum consobrinum, D. Bartholomaeum di Morsi, Comitem de Cesana et Capellanum Serenissimi Archiducis Graecii, litteras in quibus inter alia haec referebat: « De qui non hò che dirlo, solo che questi giorni si farà la congrega dei Collegati in Augusta per la ratificatione della pace fatta tra essi e Protestanti, la quale non dubito punto che non sia ratificata da ognuno, essendo stata benissimo intesa anco non solo da gl'Elettori di Mogunza, et Treviri, et dal Vescovo d'Herbipoli, poichè essi sono stati i primi a farne instanza, ma anco di buona voglia l'ha accettata l'Ambasciatore di Spagna, dal quale dipendeva quasi tutto il negotio. Piaccia a Dio che da quest'albero non ne nasca in loco de frutto spine, sicome di già incominciano a germogliare, poiche il Signor Marco Velzer Governatore d'Augusta, huomo molto insigne, et gran zelatore della Religione Cattolica mando hier l'altro qui al P. Brindisi copia d'una lettera hauta da Fiandra da persona d'autorità, nella quale avisa de' disegni che fanno Ollandesi, servendosi di quest'occasione della pace, tra cattolici e protestanti. (Io lo scrivo a V. S. ma di gratia che lo tenghi appresso di se, et occorrendole a comunicarlo à qualche suo intrinseco, che di gratia, nè io, nè il Padre Brindesi, ne altro frate de nostri sia nominato). Li disegni loro adunque sono tali, che vogliono assoldar tutte le genti licentiate dall'Arciduca Alberto, et d'altri Principi, et poi à primi tempi metter in essecutione quello che per la violenta morte non ha potuto far il Rè di Francia, incominciando dall'Arcivescovato di Colonia, et di mano ruinare tutti i paesi de' Cattolici et de' Lutherani ancora, et introdur nell'Imperio tutto la setta calvina, et fare della Monarchia Imperiale una Repubblica. Monsignor mio, le cose de' Cattolici vanno molto male, et io tengo sicuro che questi inimici della fede cattolica faranno del male, et in vero se vengono ottenirano tutto quello che voranno, per che non troveranno nissuno che le dichi contro, tanta freddezza si ritrova ne' nostri. Il Padre Brindesi (col quale io son venuto qui, et per il quale scrivo lettere et altro nelle occorrenze) mando subito quella copia di lettera al S. Duca, essendo che esso si ritrova tanto fiacco che sono passati molti giorni che non è stato in Corte, et il S. Duca gliela rimando subito con dire ch'esso sarebbe venuto qui al Monasterio à parlargli sopra questo fatto, sicome spesse volte fà per sua bontà, potendo venir sino in convento per corritori [61], et apunto questa

61) Conventus Monachii fundatus fuerat anno 1601, sumptibus Ducis Maximiliani, in angulo muri (Bastione) civitatis, prope palatium Ducale. « Ausser der Stadt, auf einer Bastei in der Nähe des Frauenthores vor der Wilhelminischen Residenz ». (P. ANGELIKUS EBERL, *Geschichte der Bayrischen Kapuziner-Ordensprovinz*, Freiburg i B. 1902, pag. 25). Ineunte saeculo XIX fuit destructus, nec lapis quidem remansit hujus loci, praesentia S. Laurentii consecrati. (Cf. *Ibid.*, pag. 425 et ss).

mattina se n'è venuto, et ha trattato a lungo col sudetto Padre, et è restato anco à desinar co' frati... (*Arch. Vatic., Nunziat, di Germania* 114 *E*).

Ad negotiationes matrimonii Regis Hungariae cum sorore Ducis Bavariae redeamus. Die 11 Decembris Nuntius scribebat: « Io son andato fin'hora differendo di trattar qui il negotio di Monaco per aspettar ch'il tempo o lo moderasse in bene, o pure presaggiandosi di qua qualche difficoltà o durezza s'intermettesse decorevolmente e da se stesso svanesse. Ma mi mostro l'altro hieri Mons. Cleselio una lettera ricevuta ultimamente dal P. Brindisi nella quale l'apre tutto il secreto, apunto come camina, e benche non nomini la persona del concorrente, dalle circonstantie non dimeno che gl'appone, s'è facilmente penetrato qual sia. In somma sapendosi hora qui da che origin proceda questa tal renitenza, son certo che ne lascieranno ogni pensiero, et almeno Mons. Gleselio così m'assicura » (*Arch. Vat. Nunz. di Germania, 114 D, f. 574*). *His litteris Romae acceptis Card. Burghesius Nuntio rescribebat die 8 Januarii 1611*: « Rimette S. Santità nella prudenza di V. S. il particolare del matrimonio Bavarico, del quale ella scrive ultimamente, et scrive anche a lei il P. Brindesi. Solo posso aggiungere che S. S. desiderarebbe la sodisfattione di tutti, et il bene di quelle provincie con la conservatione della fede Catolica ». (*Arch. Vat., Borgh., I, 920, f. 185 t.*).

Dum vero Nuntius Romam scriberet, jam cursor alias litteras Sancti ad eum laturus profectus erat, quae datae fuerant die 6 Decembris. Quibus acceptis Nuntius iterum scripsit: « Hebbi l'altr'hieri una lettera del P. Brindisi della quale mando qui giunta la copia a V. S. Ill.ma riserbandomi l'originale per mostrarlo forsi al Cleselio col quale mi par che possa in questo particolare trattarsi hora liberamente, mentre esso P. Brindisi l'ha scoperto senza riserba tutte le carte del gioco. Da Mons. Arcivesc. di Capua son sicuro che venghi V. S. Ill.ma a pieno ragguagliata del tutto; non devo però io mancar al mio debito e vorrei non antivedere quell' ch' antivedo, cioè un nuovo e perniciosissimo scisma nella Ser.ma Casa quando queste emulationi vadino inanzi, se Dio benedetto con la sua imperscrutabil prudenza non vi ponga la sua santa mano. Di Vienna a di 25 di Dicembre 1610 ».

Litterae Sancti erant hujusmodi: (*Copia*).

« Tengo la gratissima di V. S. Ill.ma et R.ma de 17 del passato; sa V. S. Ill.ma quanto mi mostrai ritroso ad ingerirmi in questo negotio, pareva che mi dicesse non so che il cuore. S'e saputo e divulgato a Praga ch'io habbia trattato qua questo particolare e si dicono e si fanno contro di me *mirabilia magna*. Ma io per gratia di Dio me ne rido, vedendo l'infinita miseria di questo mondo, ch'ogni minima pulce possa travagliar tanto e si grande elefante. Per quello che tocca a me del negotio non ho trattato se non da solo a solo col Duca vecchio, e col giovane, in secreto anco dalla Duchessa alla quale pur sò quanto posso confidare. Ma il geloso amante quando fù qua, harà inteso ò dal vecchio che li porta grand'affettione, ò dall'amata amante, che dal primo haveva inteso quello ch'io havevo trattato, l'ha detto a suoi arrivato a Praga, l'ha fatto sapere all'Imperatore per mezzo dell'Egenmuller suo gran confidente e ch'ha entratura con l'Imperatore, et hora è stato dall'impe-

ratore mandato qua, per quanto mi scrive Mons. di Capua contro di me. Hieri ha avuto audientia dal Duca Massimiliano, ma per quanto mi ha detto il Duca non toccò questa corda. E venuto con esso lui il Decano di Colonia che andò a Praga per trattare con l'Imperatore per Leopoldo, et havendo egli ancora havuto audientia dopo l'Ambasciatore, ne tampoco toccando questa corda, il Duca glie ne dette motto. Disse che sua Maestà si lamentava che qua in Monaco un certo frate trattava per suo fratello et che vi si tratteneva a posta; che farebbe meglio a starsene nel suo monasterio, e che questo era contro le capitulationi fatte con suo fratello, e già in quella corte si tratta di me molto alla gagliarda, e forse anco di sfratto, come mi scrive Mons. di Capua. Io però me la rido et essendo entrato in questo ballo non per questo lasciero di ballare. Facciasi quello che si giudica convenire per il servitio di Dio et per il publico, et dica chi vuole. Ma per la lettera scrittami da Mons. di Vienna (Cleselio) lascio dormire il negotio, solo vado mantenendo in ottima dispositione il Duca Massimiliano, al quale havendo detto quanto mi vien scritto da Praga da Mons. di Capua et da D. Baltassar de Zunica, mi disse ch'era tutta opera dell'innamorato che teme d'essere prevenuto et escluso. L'Ambasciatore mandato qua ha trattato largamente col Duca Massimiliano in nome di S. M. con promesse che si tenga la Principessa per Leopoldo, ma per altra parte molto sicura ha inteso il Duca che l'Imperatore habbia detto che non havendo egli da mangiare per se, non ha da poterne dare ad altri. Ha trattato anco non sò che della successione per Leopoldo, ma però riserbandosi di farlo quando giudicherà sia bene. Scrivo tutto ciò così apertamente a V. S. sapendo quale et quanta sia la prudenza sua. Il negotio qua non lo tengo per disperato, ma non vorrei fare una fossa nell'acqua. Però starò aspettando quello mi sarà comandato, che da me sarà con ogni prontezza et diligenza esseguito. Il Duca Massimiliano havendo inteso che le genti di Possa volevano entrare in Baviera, partì di quà per Possa con buon numero di gente, et havendo ben provisto le sue frontiere; intese che quella gente era risolta di andarsene in Bohemia, se n'è tornato a casa. Faccio hum. riverenza a V. S. Ill.ma et R.ma pregandoli da N. S.re ogni contento. Da Monaco a 6 di Decembre 1610.

« Di V. S. Ill.ma et R.ma

« Hu.mo servo nel Sig.re

« fra Lorenzo da Brindisi capucino ».

(*Arch. Vat., Nunz. di Germania 114 D, ff. 610, 611*).

Quindecim post diebus Nuntius iterum scribebat: « Mi scrisse ultimamente il P. Brindisi che il negotio di Monaco è ridotto a tal termine che non vi sarà più difficoltà, essendosi quella principessa risoluta, postposto ogn'altro affetto, d'esseguire la volontà del padre et del fratello. 15 Gennaio 1611 ». (*Ibid., 114 F, f. 51*). *Cognita hac resolutione Principessae Margaritae, Nuntius de hoc negotio egit cum Rege, sed frustra; nam ut scribit*: « essendosi scoperta quella contrarietà et quel verme che contamina la radice, et scema in gran parte il vero consenso ch'è l'anima et il spirito di simili negotii, si rivolse S. M. di non fare altro, dandosi tutto alla prattica del Tirolo. 22 Gennaio. (*Ibid.*).

Cardinalis vero Burghesius respondebat, die 5 Februarii 1611: « Quel che V. S. scrive con una sua delli 15 circa il matrimonio con Baviera vien poi

moderato per l'altra sua delli 22 con la prattica ò sia risolutione nel Tirolo. Si manda per questo il Breve desiderato della dispensa; et havrà caro S. S. che succeda in questa materia quel che sarà di gusto et sodisfatione della Maestà del Re ». (*Arch. Vat., Borgh., I, 920, f. 193, t.*).

Talis fuit exitus hujus negotii, certe Sancto nostro non imputandus, qui partem sibi commissam feliciter expleverat. Rex Hungariae consobrinam suam Annam, filiam Ferdinandi Comitis Tirolis, duxit eodem anno 1611. Soror autem Ducis Maximiliani, quae si Regi nupsisset Imperatrix fuisset. elapsis nonnullis annis Marchioni Neoburgensi tradita fuit.

Dum haec negotia Monachii ageret S. Laurentius, Minister Generalis, qui forsan non oblitus erat desiderii quod Sanctus jam expresserat, regressus scilicet in Italiam, et qui ejus ope uti volebat pro communi bono Ordinis, illum instituerat Visitatorem unius alteriusve Provinciae non melius cognitae. Dux Maximilianus, qui eum apud se habere petierat et obtinuerat, ejus discessum aegre ferens, has preces direxit ad Cardinalem Burghesium:

Ill.me et Rev.me Domine

« Quantam hactenus Ill.ma D. Vra apud Sanct.mum D.num Nostrum praestiterit operam ut R. P. Laurentio de Brundusio ex Capuccinorum familia aliquandiu Nobis adesse liceat, re ipsa, non sine obligatione erga Ill.mam D. V. singulari experti sumus; cum ex eadem Sanctitatis ejus concessione dictus Pater adhuc Monachii commoretur. Verum quia jam, nondum completo termino a S.mo concesso, P. Generalis ipsum ad invisendas diversas Ditiones ablegat: id Nobis, qui hac ratione S.mi D.ni N. concessione privamur, grave accidit; hincque rursum ad solitam Ill.mae D. V. humanitatem confidenter recurrere cogimur ab ipsa per officiose poscentes (siquidem etiam revera P. Laurentius ob perpessa ante haec gravissimorum itinerum incommoda atque harum regionum frigora, ad eum valetudinis statum redactus est, qui hoc tempore functionibus laboriosis atque itineribus hujuscemodi nequaquam sufficit) ut in Nostri gratiam media Ill.mae D. V. authoritate, eò res dirigatur, quò Nos cum hic ad statutum sex mensium terminum, et ad S.mi beneplacitum aliquandiu ultro retinere valeamus. Erit id profecto insignis officii loco Nobis qui vicissim Ill.mae D. V. paratissima studia nostra ex animo deferimus, ipsique felicia omnia a Deo auguramur. Monachio die 2 mensis februarii 1611.

« Ill.mae et Rev.mae D. V.rae
« Addictissimus servus
« MAXIMILIANUS ».

(Arch. Vat., Lett. de' Principi, 56 f. 361).

Ex parte sua Sanctus de Superiorum suorum dispositione monuerat Archiepiscopum Capuanum, jam Pragae Nuntium, qui tunc e Bohemia redux Romae morabatur. Unde sequentes litteras ad Nuntium Pragensem [62] *scripsit Card. Burghesius.*

62) Novus Nuntius erat Episcopus Sarzanensis, quem jam Graecii Nuntium apud Archiducem Ferdinandum novimus.

« Essendosi veduta la lettera che il P. Brindesi scrive a Mons. Arcivescovo di Capua, et quello che V. S. discorre circa il farlo restare in coteste parti, si è preso espediente di dire al Generale che N. S. non havrebbe se non per bene ch'egli facesse intendere al medesimo Padre come stante le turbolenze di Germania si giudicarebbe molto a proposito ch'egli si trattenesse in quelle bande, et operasse quanto di bene fosse possibile, et avvisasse. Di che esso P. Generale le scrive questa sera liberandolo di alcuni carichi che gli haveva dati. Et essendo poi capitata una lettera del S. Duca Massimiliano di Baviera che fa pur instanza che li sia concesso il sodetto Padre, li scrivo anch'io che si trattenga per sei altri mesi in quelle parti, et resterà che si procuri d'esseguire da lui tutto quel servitio che sarà habile à prestare. 19 di Febraro 1611 ». (*Bibl. Angelica, Ms. 1217, f. 303 t.*).

Eadem die scribebat ad Sanctum: « N. S. per l'ottima opinione che hà di V. R. et perchè ha conosciuta in ogni tempo fruttuosa per servitio publico et della Religione Cattolica la sua dimora in coteste parti le concede la licenza di potervisi trattenere per sei altri mesi da cominciare dal giorno della presente, sapendo massime di sodisfare anco in ciò ad un particolare desiderio del Ser.mo S. Duca di Baviera in nome del quale io ne ho passato offitio con S. B. et Dio la conservi. Di Roma li 19 Febbraio 1611 ». (*Ibid., Ms. 1219, f. 20 t.*).

Praesentia S. Laurentii et ejus ope fruendi non defecerunt occasiones. Ut remaneret oportunum judicatum fuerat non solum ut suam efficacem praestaret operam, sed etiam ut de rerum contingentibus moneret (vid. supr. Litt. Nuntii, sub die 19 Febr.). Reapse multiplices scripsit litteras, quas non invenimus; sed haec legimus in una epistola Card. Burghesii ad Nuntium Pragae: « Dalla copia della lettera del P. Brindesi inviataci con le lettere di V. S. de 21 febraro vediamo lo stato in che si trovano le cose della lega, le quali cominciando a perturbar si fa noi il gioco dell'eretici. 12 di Marzo 1611 ». (*Bibl. Angelica, Ms. 1217, f. 307 t.*).

Eadem die scribebat pariter Cardinalis ad P. Laurentium: « Le tante turbationi della Germania et la novità successa in Praga dalle genti di Possa non passano senza dispiacer grande di chi ha zelo della Religion Cattolica, vedendo prepararsi la via di estinguerla affatto in quelle parti. Però S. B. a cui sono questi mali di afflittione inestimabile hà scritto Brevi all'Imperatore et à tutta la Casa d'Austria come anco à quella di Baviera, esortando tutti ad estinguere l'incendio prima che cresca, et procurare di ridurre le cose in quiete se possibile sarà. V. R. che è costì amata et stimata da cotesti Principi siamo sicuri, che vi farà la sua parte, à che l'esorto a nome di S. B. vivamente, appresso la quale ella crescerà perciò di gratia e di merito. Et Dio l'habbia sempre in sua guardia ». (*Ibid., Ms. 1219, f. 29 t.*).

Iis enim temporibus turmae militum Passaviae congregatorum in Bohemiam irruperant et Pragam intratae varias religiosorum domus vastaverant. Rex et Imperator qui plurimum potuerant, ad propriam utilitatem magis quam ad publicam intenti, in hujusmodi excessibus reprimendis incuriosi videbantur. Qui illos animaret Dux Bavariae solus reputabatur habilis; sed quis S. Laurentio melius potuisset eum cohortari? Hoc conferebant Nuntii apud utrumque Principem tunc Pragae uniti. Scribebat enim Episcopus Melphiensis:

« Il Duca di Baviera, come havrà V. S. Ill.ma inteso da Mons. Vesc. di Sarzana ha fatta instantia con molto zelo. Ma ho detto ad esso Mons. Nunzio che a mio parere non sarebbe se non bene, che col mezzo del P. Brindesi, si procurasse una lettera dell'istesso Duca al Re, perchè imprendesse il negotio di così pio et giusto risentimento, acciò si confermasse tanto più nella sua buona dispositione; et ha monstrato esso Mons. d'approvare et di voler scriverne al P. Brindesi. Di Praga a di 2 di Maggio 1611 » (*Arch. Vat., Nunz. di Germania 114-A*).

Dux autem Bavariae illa consilia praevenerat et auctoritatem Sancti in hoc efficacem fuisse Romae cogitabatur: « (Si è ricevuto copia) della lettera scritta dal Duca di Baviera ai medesimi Stati (di Bohemia) detestando la miserabile strage fatta di molti religiosi in Praga et altrove con fare instanza ch' a gli autori si desse castigo esemplare; la quale attione di S. A. è sommamente piaciuta a N. S. che le ne da gran laude, et ha voluto che le se ne rendano gratie per mezzo del P. Brindesi il quale s'è anco laudato di quanto ha fatto per la sua parte. Di Roma il 14 di Maggio 1611 ». (*Bibl. Angelica, Ms. 1217, f. 330*).

Litterae vero ad P. Laurentium directae erant hujusmodi: « S'è veduto copia d'una lettera scritta da cotesta Altezza a gli Stati di Boemia, detestando la barbara crudeltà usata contra li Frati et altri Religiosi, così in Praga come per altri luoghi del Regno, dove chiede anco che si inquira contro gl'autori del delitto et si dia loro rigoroso castigo. Mons. Vesc. di Sarzana, dal quale si è ricevuta la sudetta copia, tiene che in quest'opera habbia havuto parte V. R. per i suoi offitii con quell'Altezza la quale nel mostrare il suo zelo, et la vera pietà christiana non mai discorda da se medesima et dall'instituto de suoi predecessori, à i quali accresce gloria nel medesimo tempo che procura avanzarli. Però sicome N. S. ha sentito gran piacere di attione si degna così ne lo commenda sommamente et benedice, et vuole ancora che V. R. le ne dia piena laude, et le ne renda gratie per sua parte. In che potrà V. R. considerare l'affettione che si porta a lei medesima et quanto accresca appresso S. B. i suoi meriti nell'abbracciar sempre con ardore la causa di Dio, il quale sia sempre in sua guardia, et a V. R. cordialmente mi raccomando. Di Roma li 4 Maggio 1611 ». (*Ibid., Ms. 1219, f. 54 t.*).

Has laudes merebat Sanctus, nam acceptis litteris Nuntii, (vid. litt. Episc. Melphien., 2 Maii) ut Regi scriberet Ducem hortatus fuit. Scribebat enim Cardinalis ad Episc. Sarzanensem: « La diligenza di V. S. in scrivere al P. Brindesi che facesse opera col Duca di Baviera perchè scrivesse al Re Matthias in raccomandatione de Cattolici et contra quelli che di persone religiose havevano fatto strage si miserabile, è stata molto commendata da S. B. e tanto più che quell'Altezza si è mossa così prontamente all'effetto come vediamo per la copia della sua lettera et dell'altra dell'istesso P. Brindesi inviateci con queste di V. S. di 30 del passato. 8 di Giugno 1611 ». (*Ibid. Ms. 1217, f. 342*).

Dum haec agerentur Archidux Leopoldus, qui sicuti diximus, harum turmarum in terris Episcopatus sui Passaviensis conglobationem annuerat, ti-

mens ne forte inculparetur, longam scribebat epistolam ad S. P. omnem participationem in excessibus a militibus commissis negans. (Arch. Vat., Lettere de' Principi, 56 A, ff. 406, 435). Quid ei acciderit postea nescimus, sed ad illius animum placandum mediatio nostri Sancti fuit implorata. Scribebat Card. Burghesius ad Nuntium Pragae: « S'è per tante esperienze veduto che l'Arciduca Leopoldo è più facile ad abbracciare i mali consigli, ch'i buoni, che fa dubitare non riesca infruttuosa l'opera che per mezzo del P. Brindesi fa seco la Regina di Spagna [63] perchè ritorni alla sua vocatione et a pensieri più sani. 6 d'Agosto ». *(Bibl. Angelica, Ms. 1217, f. 359). Et ad Nuntium Vindobonae:* « Importarà molto che l'Archiduca Leopoldo si quieti et spera N. S. che D. Baldassare et il P. Brindesi ne saranno instrumenti efficaci. 13 d'Agosto ». *(Arch. Vat. Borgh., I, 920, f. 256).*

Non longum praeteriit tempus et jam nova recurrendi ad Sanctum adfuit occasio. En primum narratio ab ipso in Commentariolo descripta:

« Nell'anno 1611 havendo l'Arcivescovo di Salsburg principe molto potente dell'imperio mosso guerra al Duca di Baviera et isforzatolo a pigliar l'arme contro di lui, il Duca come principe religiosissimo si valse in tal'impresa assai del consiglio di fra Lorenzo, e riuscitali felicemente l'impresa, che presa una citta, all'altre non hebbe contrasto nissuno, ma entro in Salsburg a porte aperte, e fatto per ragion di guerra prigione l'Arcivescovo che se n'era fuggito, fe cosa degna d'historia, e degnissima d'un principe veramente christiano, e catholico par suo. Non volse spoglio nissuno, restitui tutto lo stato al capitolo di quella chiesa con libero governo ritenendo solo per degni rispetti due fortezze; consigno il prigione suo nemico al Papa, et al fine essendo creato un nuovo Arcivescovo restitui le due fortezze ritenute. Cosa anco fu degna di memoria ch'essendo il Serenissimo elettor di Colonia fratello dell'A. S. canonico della cathedrale di Salsburg e potendo essere eletto come ogni altro al governo di quella ricchissima chiesa, e principato ch'ha piu di quattrocentomila fiorini d'entrata all'anno, il Duca lascio correre l'elettione libera, ne volse fare pur un minimo officio per il proprio fratello, ne hebbe in cio d'affaticarsi punto fra Lorenzo, ma come principe che si governa con somma prudenza, e pieta, e

63) Regina Hispaniae erat soror Archiducis. - Etiam Paulus V ad eumdem Leopoldum scribebat litteras paterna affectione plenas, ut, saecularibus negotiis abdicatis, vitam vocationi et ecclesiasticis muneribus magis consentaneam duceret.

zelo del servitio di Dio il Duca lo fe da se medesimo ne si vale de consigli di fra Lorenzo se non all'occorrenze per magior servitio di Dio [64] ».

Sic explicit Commentariolum manu S. Laurentii exaratum, mense Julii 1612.

Causas hujus discidii inter Ducem et Archiepiscopum primum exponere debemus, dein documenta reperta dabimus. In dioecesi Salisburgensi extat civitas, Hallein dicta [65]*, juxta fluvium Salzach, salifodinis dives, quarum sal tunc temporis in Bohemiam aqua vehebatur. Quum vero scaphae fines Bavariae intrarent portorium solvere debebant: inde lites Bavariae Ducem inter et Archiepiscopum Principem Electorem Salisburgensem. Anno 1611, ille contra pactiones scaphas ad salem transvehendum a Duce missas detinebat et omnem extractionem armata manu prohibebat. Tunc Dux Maximilianus, conciliationem quum frustra tentasset cum Principe Archiepiscopo, salem statui necessarium (extrahere disposuit) ex fodinis in territorio Abbatiae Berchtesgaden, cujus Abbas tunc erat frater suus Ferdinandus, coadjutor et postea Archiepiscopus Coloniensis, quin unquam fuerit sacerdotio insignitus. Hanc similiter extractionem, quam jurium et praesertim lucrorum suorum laesivam retinebat, Elector Salisburgensis prohibere voluit* [66]*, et in Bavariam irrupit (Sept. 1611). Jura defendere coactus, Maximilianus ad arma venit et hostem facile repressit, brevique ipsemet Archiepiscopus Theodoricus de Rothenau, captus fuit. Quum vero, dissolutis moribus et exactionibus, omnibus foret infensus Capitulum contra eum insurrexit et depositionem efflagitavit. Tandem die 7*

64) Haec omnia, quae Sanctus narrat a Duce Bavariae facta, mature fuerant Romae considerata. Papa Congregationem Cardinalium constituerat, cujus resolutiones exhibebat Card. Sauli sub die 1 Febr. 1612, inter quas legitur: « E dovrà vedere il Nuntio quello che potrà cavare da S. A. Et se gli ricorda che potrà far consegnare prigione l'Arcivescovo al Nuntio di S. S. che lo tenesse in nome suo... Che di castello l'Arcivescovo si conducesse prigione nel Palazzo Archiepiscopale ». (Arch. Vat., Nunziat. di Colonia, 5, f. 226). Jam antea Nuntius Coloniae eamdem sententiam aperuerat. (4 Dec. 1611. Ibid., f. 210). Quoad electionem vero novi Archiepiscopi Capitulum adversabatur fratri Ducis, et ex litteris Nuntii Pragae scimus « che Baviera ancora non manca di haver qualche pretensione », (2 Jan. 1612); « intendo da chi puó saperlo che Baviera pretende per l'elettione », (16 Jan.). Sed Canonici dicebant: « Non occorre che Principi vi pensino » et melius fore aiebant « che il futuro Arcivescovo non sia Principe » (Ibid., f. 227, 270).

65) Italice tunc dicebatur *Hala piccola*.

66) *Informatione sommaria et reale qualmente l'Arcivescovo di Salzburgo senza alcuna legitima causa ò motivo, non solo s'è partito dalle conventioni et accordi pattuiti tra di lui et la Ser.ma Casa di Baviera, ma ancor contra l'uso antico et consueto ha intercluso affatto l'estrattione del sale di Hala piccola et impeditone hora il totale commercio.* (Arch. Vat. Nunz. di Colonia, vol. 5, fol. 230 et ss.). In quibusdam litteris die 23 Octobris datis, Archiepiscopus confitebatur se jura nimia cum passione defendere voluisse et Ducem provocavisse. (Ibid., f. 253).

Martii 1612, indignus Antistes sede cessit et Capitulum novum eligebat Archiepiscopum [67].

Die 27 Augusti 1611 Card. Burghesius scribebat ad Nuntium Pragae morantem: « Non è di poca consideratione l'avviso dato a V. S. dal P. Brindesi d'i moti d'armi che fa l'Arcivescovo di Salzburgh con pericolo che tra lui et il Duca di Baviera non nasca scissura. Onde Sua Santità che ama l'uno e l'altro di questi principi e prevede il danno che da i loro dissidij risultarebbe alla Religione Cattolica ha commesso a Mons. Nuntio di Gratz, come più vicino che persuada all'Arciduca Ferdinando ad interporsi per la concordia ». (*Bibl. Angelica, Ms. 1217, f. 367*).

Ex litteris sequentibus noscimus interventum Sancti desideratum fuisse in hoc negotio, sed ille qui noverat omnem conciliationem impossibilem fore cum Archiepiscopo [68], *prudenter recusaverat mandatum. Scribebat Cardinalis, die 3 Septembris ad eumdem Nuntium*: « Haverà V. S. gia inteso che il P. Brindesi ricusava di prendere il carico di comporre le differenze che passano tra il Duca di Baviera et l'Arcivescovo di Salzburgh, onde è necessario ch'ella pensi ad inviar con sue lettere qualche religioso di qualità a trattare questo negotio, e che persuada almeno all'una et l'altra parte di rimettere le controversie in qualche amico comune come potria essere l'Arciduca Ferdinando et che intanto si cessi dall'armi » (*Ibid., f. 368 t.*).

Iterum sub die 29 Octobris scribebat: « ...Però S. Santità scrive novi Brevi all'uno et l'altro, esortandoli a sospender l'armi finche si trovi temperamento di accordo. Quello dell'Arcivescovo si manda a V. S. perchè l'invii per huomo espresso come sarebbe il suo Auditore, l'altro per il Duca s'indrizza al P. Brindesi al quale si scrive anco quanto occorre » (*Ibid., f. 381 t.*).

Ecce nunc litterae ad Sanctum directae: « Non si può esplicare in quanta sollicitudine di animo si trovi N. S. per le differenze che passano tra l'Arcivescovo di Salzburgh et il Duca di Baviera con imminente pericolo di rottura, il che è quello che gli Eretici più desiderano, onde S. Beatitudine per non mancare ad alcuna sua parte scrive nuovamente Brevi all'uno et l'altro di loro, perche vogliano sospendere le armi sin che si trova qualche forma di accordo, et come quello dell'Arcivescovo si è inviato a Mons. di Sarzana così questo per S. A. si manda à V. R. che le piacerà renderlo, et accompagnarlo opportunamente per il buon effetto del negotio che preme alla Santità Sua sommamente et avvisi poi del successo. Et Dio le assista sempre con la sua santa gratia. Di Roma li 20 Ottobre 1611 ». (*Ibid., Ms. 1219, f. 125*).

67) *Instrumentum renuntiationis Archiepiscopatus Salisburgensis facta per Archiepiscopum Theodoricum in manus Nuncii Diaz et electionis Archiepiscopi in personam Marci Sitici in Altemps.* (Ibid., f. 213).

68) Anno 1611 Salisburgum transiens coram illo praedicaverat, et vitia inter quae volutabatur apostolica libertate acriter arguerat.

Jam sero erat, etenim die 12 Septembris Dux Maximilianus Papam monebat Archiepiscopum status suos invasisse. (*Arch. Vat., Lettere de' Principi, 56. A, f. 504*). *Dieque 5 Novembris. Card. Burghesius scribebat ad Nuntium*: « Habbiamo qui lettere del proprio Duca di Baviera, che l'Arcivescovo di Salzburgh ha già rotto dalla sua parte, ch'è conforme à quanto V. S. fu avvisata dal P. Brindesi. Il che tanto più dispiace à N. S. quanto con l'essersi proceduto ad atto d'ostilità più si renda difficile l'accomodamento ». (*Bibl. Angelica, Ms. 1217, f. 384*).

Multae nobis desunt epistolae a Sancto nostro ad Nuntium Pragae scriptae; unam tantum invenimus.

(*Copia*). « Il P. Brindesi à Mons. Nunzio à Praga.

« Alla gratissima di V. R. Ill.ma et R.ma delli 2 di questo che spira, non ho che dire solo che l'Arcivescovo si trova già alloggiato nel Castello di Salzburgh non con molto suo gusto, è molto pentito d'haver rotto il trattato col Capitolo, vorrebbe si rimettesse in piedi, ma non se nè vuol far'altro. E stato quà mandato dal Capitolo il Conte Altemps Canonico Capitulare per dar conto a S. A. di quello, ch'hanno risoluto, cioè di mandar à Roma un Ambasciatore per dar conto a Nostro Signore di quanto è seguito, hanno destinato il Conte Paris de Lodrone Canonico Capitolare. A Sua Altezza parrebbe bene che se gli aggiungesse il Conte Zolner pure capitolare per haver buona pratica in Roma, et esser stato altra volta Ambasciatore al Papa, facilmente andrà quest'Ambasciatore con l'Ambasciatore del S. Duca per esser di concerto nel trattato. Faccio humillima riverenza a V. S. Ill.ma et R.ma, pregandoli da N. S. ogni vero contento. Di Monaco li 29 di Novembre 1611 ». (*Arch. Vat., Nunz. di Colonia, 5, f. 223, duplicat. f. 263*).

Hanc epistolam transmittebat Nuntius sequentibus cum litteris.

Ill.mo e R.mo Signore mio Padrone Col.mo.

Scrissi a V. S. Ill.ma che l'attione fatta dal Duca di Baviera intorno al-l'Arcivescovo di Salzburgo era stata sentita molto bene da tutti li Elettori del Convento; l'istesso dico adesso, si sente bene che i Prelati di Germania masticano il fatto assai, parendoli che se bene egli era concubinario, non toccasse al Duca, ne al Capitolo d'arrestarlo, essendovene, come dicono, molti altri. Ma in questo errano, perchè il Duca non s'è mosso, se non per interesse dello stato suo, et per quello che haveva tentato l'Arcivescovo contro di S. A. la quale intendo dal P. Brindesi, che restasse assai del Breve di N. S. et delle lettere di V. S. Ill.ma che hebbe col ritorno del corriere spedito costi, sè bene poi meglio considerato il Breve, s'ando acquietando, ma non mi si dice che cosa lo turbasse. L'Arcivescovo poi non intende più di volere rinuntiare, nè di trattar col Capitolo, dicendo non poterlo fare con buona conscienza, tenendo scommunicati tutti i Canonici, perchè sè bene il Duca poteva *iure belli* imprigionarlo, havendo egli mosso la guerra a S. A. non lo potevano però ritenere i Canonici. Qui non credo che siano per fare cosa alcuna, ne il mandato del Duca ha voluto audienza da S. Maestà, ma ha solamente informato i Ministri et quello del Capitolo non è ancora comparso,

et in ogni caso credo, che S. M. premerebbe nella persona dell'Arciduca Leopoldo, intorno a che mi rimetto al già scritto... [69].

Di Praga li 5 di Decembre 1611.

Nel chiuder il piego m'è venuta la lettera del P Brindesi che per degni rispetti m'è parso di mandarne copia. (*Ibid., f. 222, duplicat. f. 262*).

Ut res componeret Summus Pontifex de Nuntio mittendo cogitabat et electione facta scribebat Cardinalis ad Sanctum: « Le presenti occorrenze della Chiesa di Salzburg hanno mosso la paterna amorevole cura di N. S. a mandarvi suo Nuntio Mons. Diaz Romano Prelato dell'una et l'altra signatura, che con molto valore ha congiunta molta prudenza et zelo, onde si spera che dalla missione habbia a seguirne il servitio di quella Chiesa, et della Religione Cattolica, che sono i fini per i quali si manda, et per che le occorrerà trattare forse anco di presenza col Duca di Baviera, et haverà perciò in questo et altro bisogno dell'aiuto et consiglio di V. R. ha voluto S. S. che io le scriva a non mancargliene, ancorchè si creda che pure senza questo ricordo ella gl'e l'havrebbe prestato per servitio della sua negotiatione et di Dio ogni opera più efficace, in che farà secondo il solito della bontà sua et conforme al desiderio di S. Beatitudine che le invia la sua benedittione et io me le raccomando con molto affetto pregando Dio che l'habbia sempre in sua guardia. Di Roma, li 7 Gennaio 1612 » (*Bibl. Angelica, Ms. 1219, f. 158, t.*).

Salisburgum petiit praefatus D. Antonius Diaz et cum S. Laurentio epistolare commercium habuit. Hanc unam memoriam invenimus: sub die 3 Maii 1612 scribebat ad Cardinalem: « Ho scritto a S. A. et mandatovi un mio à posta, al quale ho dato anco lettere per il P. Brindisi, acciò veda di quietare tutto, et non lasci precipitare questo negotio hora che è nel fine, come vedrà V. S. Ill.ma dall'acclusa copia della lettera che ho scritto a S. A. et dall'altra copia delle ragioni, quali ho mandate al P. Brindisi, acciò con destrezza l'insinui a S. A. e sto d'hora in hora aspettando risposta. Da Salzburgh, li 3 di Maggio 1612 » [70]. (*Arch. Vat., Borgh. II, 154, f. 55*). *Et iterum die 10 Maii*: « Tornò il messo mandato da me al Duca di Baviera, et mi riportò la lettera del P. Brindisi, non l'havendo ritrovato per essere andato in visita ». (*Ibid. f. 57*).

69) Legimus epistolam ejusdem Episcopi Sarzanensis, 28 Nov. 1611, in qua scribit: « intorno alle insinuazioni che si fanno all'Imperatore di far Leopoldo Re de Romani, et che N. S. gli lasci godere le chiese di Argentina et Possa sino che habbia altra comodità, et far che Baviera gli dia la sorella per moglie et gli procuri ancora l'Arcivescovato di Salzburgh ». (Arch. Vat., Nunz. di Colonia, 5, f. 243). Iterum sub die 2 Jan. 1612: « Aspira L'Arciduca Leopoldo a quella Chiesa grandemente ». (Ibid., f. 227).

70) Invenimus in Arch. Vat., Colonia 5, f. 275 *Istruttione a Mauritio Costa sopra il particolare delle spese che pretende per la guerra il S. Duca di Baviera da Mons. nuovo eletto di Salzburgh, mandate al P. Brindes.*

Quantum scire possumus haec fuit ultima negotiatio in Bavaria curae S. Laurentii commissa. Anno 1611, propter saevam luem quae magnam Germaniae partem vastavit, Capitulum Provinciae Tirolensis, cui tunc Bavaria unita erat, congregare non licuit. Quapropter Generalis Minister Commissarium in hac Provincia instituerat S. Laurentium, qui eo munere per annum circiter functus est, donec Monachii convocaretur Capitulum, cujus tempus certum ignoramus. Nescimus pariter quanto tempore Sanctus Monachii manserit; hoc solum novimus quod anno sequenti 1613 aderat Capitulo Generali Romae celebrato die 24 Maii, et in illo Capitulo electus fuit Definitor Generalis [71].

Antequam finem imponamus huic prolixae narrationi superest ut aliam Sancti epistolam transcribamus, nam de rebus Bavariae in illa tractat. Die 21 Novembris 1613 scribebat ad Cardinalem Millini:

« Con questo ordinario hò ricevuto una gratissima lettera di V. S. Ill.ma, che sarà stata in sequestro qualche mese, perchè è de' 17 d'Agosto, attalche V. S. Ill.ma non fece mala congettura scrivendo che non sapeva se mi sarebbe capitata nelle mani. Mi si vanno ponendo insidie alle lettere che mi vengono, et non sò perchè. Benedetto sia Dio, me ne sono state intercette molte anco del Sig. Duca di Baviera, quale però non manca di scrivermi spesso, attalche in questa settimana ho ricevuto quattro lettere di S. A. Mi avvisa delle nozze della Ser.ma Sorella et del molto zelo che mostra il nuovo convertito [72], havendo fatta la Santa Communione dopo una confessione grande (*sic*) fatta con grandissima diligenza, et dopo la professione della fede fatta come dal confessore di S. A. fu ragguagliato N. S. ha voluto farla di nuovo et autenticarla con instrumento fatto solennemente per mano di publico notario, et mi scrive l'A. S. che mostra tanto fervore nelle cose religiose ch'è cosa da stupire. Sia benedetto il Signore... » [73]

Fidelis amicus S. Laurentii remansit Dux Bavariae, cui saepe scribebat, uti sequenti adhuc comprobatur epistola manu propria Sancti exarata.

« Illus.mo e R.mo Monsig.re

« Scrissi a V. S. Illus.ma e R.ma la settimana passata quello che il Sig.or Duca di Baviera mi haveva significato delle cose di Bohemia. Con questo ordinario tengo nuove lettere di S. A. delli 25 del passato nelle quali mi tocca pure di questa materia dicendo: Altro non mi occorre per hora solo che si

71) Tunc Paulo V reddidit litteras Ducis Bavariae, et Papa die 1 Junii rescribebat ad principem. *Bullar. Ord.*, tom. IV, p. 154.

72) Sponsus Magdalenae, sororis Ducis Maximiliani, videlicet Wolfgangus Guglielmus Comes Palatinus Neuburgensis.

73) *Lettera del P. Brindesi de' 21 di Novembre 1613 da Genova, al Sig. Card. Millino.* (Arch. Vat. Borgh., II, 68, f. 395).

sta in sospeso per vedere che conseguenze causeranno gli umori di Bohemia, gli cui stati heretici che si usurpano il nome (sub utraque) hanno mandato appresso di me ambasciata solenne credendo di darmi ad intendere che siano stati violentati a fare tal risolutione. Io fo spedirgli di maniera che non credo che ritornaranno per la seconda etc. Ho giudicato bene scrivere a V. S. Illus.ma questo capitolo della lettera di S. A. che forsi potra servire costi a Roma a qualche cosa sapere quello che passa in questo particolare. Faccio humilis.ma riverenza a V. S. Illus.ma e da N. S.re le prego il colmo di ogni felicità per sempre. Da Napoli a di 17 di Agosto 1613.

« D. V. S. Illus.ma e R.ma

« humilis.mo servo nel Sig.re

« fra LORENZO DA BRINDISI capuccino ».

A tergo alia manu: All.mo e R.mo Sig. Proñ mio oss.mo il S.re Cardinale Mellini.

Roma.

(*Arch. Vat., Borgh. III, 49 a, b, c, f. 134*).

Sic explicit opusculum DE REBUS AUSTRIAE ET BOIHEMIAE a R. P. Eduardo ab Alenconio curate editum.



Fr. Stephanus a Carpi
O. FF. Min. Cap.

In ecclesia S. Bernardini FF. Minorum (olim Capuccinorum)
de Borgonovo Val Tidone (Placentiae).

S. Laurentius scribens

SANCTI LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FRATRUM CAPUCCINORUM

DE NUMERIS AMOROSIS

MYSTICE IN DIVINA SCRIPTURA POSITIS DISQUISITIO

E MAXIMI MARGUNII GRAECA INTERPRETATIONE IN LATINUM RURSUS CONVERSA
INTRODUCTIONE ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA UNAQUE CUM MARGUNII INTERPRETATIONIS TEXTU NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

cura et studio
fr. Berardi ab Aarle-Rixtel
capuccini
Provinciae Neerlandicae SS. Trinitatis

LUGDUNI BATAVORUM
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA — E. J. BRILL
MCMLVI

PRAEFATIO

A.D. 1947 A. R. P. Vittorio da Ceva, nunc Provinciae Pedemontanae moderator, adiens volumen 28 catalogi manuscriptorum, qui in Italiae bibliothecis asservantur [1]), in pag. 28 sub num. 225 (B-VI-3) offendit titulum sequentem: „Laurentius ord. fratrum cappuccinorum. De sacris mysticis numeris in Sacra Scriptura occurrentibus disquisitio. (gr.)". Cum insuper codicem saeculo XVI° adiudicari animadvertisset, recte conclusit neminem probabilius S. Laurentio a Brundusio huius opusculi auctorem aestimandum esse, Patresque Venetos, S. Laurentii operum omnium editores, de inventione sua atque opinione certiores fecit. Qui cum primum ipsum codicem inspexerunt, de Laurentiana libelli authentia non esse dubitandum sibi persuaserunt. Variis autem de causis ineditum adhuc remanserat opusculum laudatum, cum ut cognoscerem Nicetae Choniatae Historiae codices mense Junii A.D. 1954 Venetias me contulerim. Qua occasione a supradictis Patribus editoribus rogatus, ut praesentis libelli editionem una cum interpretatione latina paucisque annotationibus procurarem, libenter petitioni eorum assensus sum, honori ducens collaborationem vel minimam ad insignem tam illustris sanctique viri operum editionem. Quapropter labore absoluto Patribus editoribus pro collaborationis fortuna mihi oblata fideque mihi habita maximas gratias ago fructumque laboris, quem non perfecte maturum esse plane mihi conscius sum, satis tamen iam dulcem ac sapore iucundum spero, humiliter offero.

Reliquum est, ut pro fraterno eius auxilio gratiam persolvam confratri meo studiorumque socio R. P. Ambrosio a Zoetermeer; nec minus maximas gratias habeo praeceptori meo in Universitate Catholica Noviomagi Batavorum Domino Professori Ferdinando Joseph de Waele, qui benevolentia sua labori meo favit, scientia conatibus meis praesto fuit, opere et consilio me adiuvit.

Scripsi Noviomagi Batavorum
die 9 *mensis Februarii A.D.* 1955.

fr. BERARDUS ab Aarle-Rixtel
o.f.m.cap.

[1]) G. Mazzatinti e A. Sorbelli, Inventari dei manoscritti delle Biblioteche d'Italia, Vol. XXVIII (Torino) a cura di F. Cosentini, Firenze 1922.

ELENCHUS OPERUM QUAE SAEPIUS A NOBIS AFFERUNTUR

H. C. Agrippa a Nettesheim, De Occulta Philosophia Libri Tres, in: Opera in duos tomos concinne digesta, Lugduni 1532, tom. I.

J. L. Blau, The Christian Interpretation of the Cabala in the Renaissance, New-York 1944.

P. Bungus, Mysticae numerorum significationis liber in duas divisus partes, Bergomi pars prior 1583, 1585, pars altera 1584.

S. Cohon, The Name of God, The Hebrew Annual 23.1, 75th Anniversary Publication 1875-1950, Cincinnati-Ohio 1950, pp. 579-604.

A. Delatte, Etudes sur la littérature pythagoricienne, Bibliothèque de l'Ecole des Hautes Etudes, Paris 1915.

L. E. Dickson, History of the Theory of Numbers, Vol. I, Washington 1919.

H. Diels-W. Kranz, Fragmente der Vorsokratiker, ed. 6, 3 Vol., Berlin 1951-1952.

F. Dornseiff, Das Alphabet in Mystik und Magie, Leipzig-Berlin 1922.

Matila Ghyka, Philosophie et Mystique des Nombres, Paris 1952.

Ursula Grosszmann, Studien zur Zahlensymbolik des Frühmittelalters, Zeitschrift für Katholische Theologie 75 (1954) pp. 19-54.

V. F. Hopper, Medieval Number Symbolism, New-York 1938.

Hultsch, art. Arithmetica in: A. Pauly-G. Wissowa-W. Kroll, Real-Encyclopädie der klassischen Altertumswissenschaft II.1, Stuttgart 1895, col. 1066-1116.

Iamblichus, In Nicomachi Arithmeticam Introductionem liber ed. H. Pistelli, Lipsiae (Teubneri) 1894.

C. Levias, art. Gematria in: The Jewish Encyclopedia, ed. 4 New-York-London 1916, Vol. V. 589-592.

Macrobius, In Somnium Scipionis, ed. F. Eyssenhardt, Lipsiae (Teubneri) 1868.

Martianus Capella, De Nuptiis Mercurii et Philologiae, ed. A. Dick, Lipsiae (Teubneri) 1925.

J. P. Migne, Patrologia Graeca, 166 T., Parisiis 1857-1866.


J. P. Migne, Patrologia Latina, 218 T., Parisiis 1844-1855.

Philo (Judaeus), ed. L. Cohn-P. Wendland, 7 Vol., Berolini 1896-1930.


J. Picus Mirandulanus, Opera quae extant omnia, 2 Tom., Basileae 1572.

J. Reuchlin, De Arte Cabalistica libri tres Leoni X dicati, (1516) ed. 2 Hagenau 1517.

Theon Smyrnaeus, Expositio Rerum Mathematicarum ad legendum Platonem utilium, ed. E. Hiller, Lipsiae (Teubneri) 1878.



COD. TAUR. GR. B-VI-3, F. 1v
EPISTULA NUNCUPATORIA



COD. TAUR. GR. B-VI-3, F. 2r
OPUSCULI TITULUS ET INITIUM

INTRODUCTIO

Breve existens revera at recenter deprehensum ut S. Laurentii operibus adnumerandum atque reconditius continens argumentum opusculum hoc longiorem requirere videtur introductionem, quam quinque partibus absolvere mihi proposui. Et primum quidem manuscriptum describemus, deinde pauca disseremus de epistula nuncupatoria graecae opusculi interpretationi praefixa, tum fusius tranctandum nobis videtur de Laurentiana eius authentia, denique breves aliquas annotationes adiungere intendimus de doctrina in ipso contenta, postremo paucissima dicemus cum de graecae versionis indole, tum de norma ad quam opusculum in latinum rursus vertentes nos dirigere conati sumus.

CODICIS DESCRIPTIO

Manuscriptum asservatur in bibliotheca nationali (olim regia) Taurina [1]) sub signatura B-VI-3, olim tamen C-I-46 uti videtur apud Pasinum [2]). Tertia signatura cernitur in ipso codice, cum in primo folio praefixo, in quo legitur: „D. 23 - Pasini 291 - ha tutt'i fogli - Laurentius Cappucinus", tum in anteriore integumenti operculo, quo codex protegitur, in quo plumbo caeruleo inscriptum est: „Gr. D. 23", rubro vero „B-VI-3", quae ultima scriptura postea, priore evanescente, plumbo nigro est iterata. Numerus: „Gr. D. 23" est signatura provisoria codici data post incendium a. 1904. Codex est chartaceus et constat foliis II.93, quae continent varia. Opusculi nostri textus 14 tantum folia et quidem prima codicis complectitur. Folia haec olim ad hunc codicem non pertinuisse puto, posteaque ei esse addita, quod in folio non enumerato decimum quartum subsequente habetur libri index, qui incipit: Σεκούνδου Πυθαγορίκου etc. id est a fragmento quod legitur in subsequentibus foliis, neque iis enumeratis. In fine tamen additum est altera manu: λαυρεντίου καπουκίνου sine libelli titulo aliave additione. Tractabimus igitur describemusque solam codicis partem, quam S. Laurentii opusculum complectitur, ut manuscriptum independens et quod attinet reliquam partem, quae continet

---

[1]) Ob Nicetae Choniatae Historiae manuscriptum (Taurinum C-III-2) nationalem Augustae Taurinorum bibliothecam visitans (7-8 Oct. 1954) hunc quoque codicem inspexi. Codex quidem restaurationis gratia sequestro positus erat, sed cognito nostro proposito partis huius codicis publicandae benignius nobis allatus est, unde libenter illustrissimae bibliothecae directioni hoc loco gratias ago.

[2]) J. Pasinus, Codices manuscripti Bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei, T.I. p. 1. Taurini 1749, sub numero CCXCI, pag. 386-388.

„Secundi Pythagorici et aliorum varia", ad Pasinum et Mazzatinti delegamus.

Restat ergo parvum manuscriptum chartaceum, foliorum 14, mm. 198×130, linn. 21-25, saec. XVI-XVII.

Continet: f. 1v: Epistulam nuncupativam, de qua fusius infra disseremus. f. 2r sqq: Laurentii Capuccini Disquisitionem de Numeris Amorosis. Titulum, incipit et explicit (f. 14r) quaere sis infra in integro textu ex hoc unico manuscripto a nobis edito.

Charta officinae chartariae signum praebet videlicet Angelum circumdatum circulo stella coronato, simillimum specimini quod exhibet Briquet [1]) no. 662 (charta ex Udine a. 1587) cum contramarca tamen quae reperitur apud Briquet no. 651 (charta e Solo a. 1576). Manuscriptum incendio, quo Taurina bibliotheca die 26 Ianuarii a. 1904 immenso cum damno vexata est, incorruptum non evasit. Si tamen apud Mazzatinti codex, cuius S. Laurentii opusculum pars existit, asterisco ut satis damnatus denotatur, id spectat in primis ad alteram codicis partem; corruptio enim levior in prioribus foliis apparens in ulterioribus magis magisque ingravescit [2]). Partis quidem nostrae foliorum margines igne correpti nigruerunt, textu tamen fere integro, ita ut vix tria verba coniecturae ceteroqui facillimae subsint. Manuscriptum cuius folia omnia ex incendio sunt soluta compositum fuisse puto duabus quaternionibus, quarum folia cum recta tum aversa in medio marginis inferioris recenter plumbo nigro enumerata sunt hoc modo: 1v, 2r etc. In angulo inferiore dextro paginarum cernitur — partim tantum conservatum — verbum a quo incipit subsequens pagina, uti v.g., f. 1v: Λαυρεν et f. 2r: κᾶν.

In f. II inscriptum est: „Laurentius Capucinus de sacris numeris". In eiusdem folii aversi angulo superiore sinistro cernuntur tres litterae A T N, quarum significatio non liquet. In f. 1r, cuius tamen nota numerica desideratur, legitur: Λαυρεντίου καπου[κίνου] deinde: „Laurentij Capuccini et Secon(di) Pi. . . .orei [3]) varia", quae scriptura atramento fusco exarata est. Vox autem P. . . .orei, atramento nigriore cancellata, est suprascriptione correcta: „Pythagorici et aliorum".

---

[1]) C. M. Briquet, Les Filigranes, T.I., Leipzig 1923.

[2]) Cfr. G. de Sanctis, Inventario dei Codici superstiti Greci e Latini Antichi della Biblioteca Nazionale di Torino, Rivista di Filologia e d'Istruzione classica XXXII (1904), pag. 423, no. 229: „Pas. Gr. CCXCI (B-VI-3) Laurentii Cappucini. De mysticis numeris etc. Conservati tutti i fogli, ma danneggiati dal fuoco, che negli ultimi venti circa ha asportato buona parte del testo".

[3]) Tres vel quattuor litteras cum sufficienti certitudine definire non potui et coniectura obvia „Pi*thag*orei" cum scriptura non videtur convenire.

Textus ipse nitidissime est conscriptus atramento fusco, littera minuscula; initiales vero litterae cum epistulae dedicatoriae tum ipsius libelli sunt maiusculae leviter ornatae. In titulis quoque nonnullae apparent maiusculae quas quaere sis in facs. foll. Notae marginales memorandae non sunt, nisi quod quater verbum aliquod praetermissum in margine suppletum est.

De historia codicis nihil nobis innotuit [1]). Ex incendio manuscriptum proprio caret integumento et restaurationem opperitur.

DE EPISTULA OPUSCULO PRAEFIXA

Ipsi opusculo „De Numeris Amorosis" praecedit epistula, qua Maximus „humilis Cytherorum episcopus" suam e latino in graecum libelli versionem Gabrieli Severo, Philadelphiae archiepiscopo, dedicat atque devovet.

Litterae scriptae sunt „Venetiis, mensis elaphebolii die decimo sexto, anno incarnationis oeconomiae 1586" [2]). Hinc de identitate utriusque episcopi dubium esse non potest, satis enim noti sunt.

Gabriel Severus (Σεβῆρος, Σβῆρος, Σευῆρος) [3]) natus Monembasiae A.D. 1541 adolescens studiorum causa Patavium se contulit. Studiisque in Patavina academia expletis aliquamdiu in Creta commoratus est ibique presbyter ordinatus. Anno 1572 Venetias venit, ubi die 29 mensis Junii a. 1573 electus est parochus Ecclesiae S. Georgii Graecorum. Anno 1575 exeunte verisimiliter ab ipso patriarcha invitatus Constantinopolim adivit, ubi suffragantibus potentibus amicis archiepiscopus Philadelphiae creatus est ac die 18 mensis Julii a. 1577 consecratus. Dioecesim tamen suam pauperrimam parumque securam ne visit quidem, sed Venetias rediit, ubi magno cum gaudio receptus denuo Ecclesiae S. Georgii curam, communi voto sibi

---

[1]) Iterum gratia persolvenda est mihi illustrissimae directioni Nationalis Bibliothecae Taurini, quae accurate tabulas suas et acta pervestigare voluit; nihil tamen affirmari potest, nisi quod ms. quasi certo e bibliotheca ducali Sabaudiensi provenit; quomodo autem in huius bibliothecae possessionem venerit, penitus ignoratur.

[2]) Pasinus in sua epistulae interpretatione (o.c. pag. 387) vertit: „Venetiis mensis Februarii 16 die, anno Dominicae incarnationis 1586." Dubitari potest an vox „ἐλαφηβολιῶνος" vertenda sit; at si quis eam convertendam putet, „Martii" potius interpretetur.

[3]) De Gabriele Severo consulendi sunt in primis: E. Legrand, Bibliographie hellénique ou description raisonnée des ouvrages publiés en grec par des Grecs au XV-e et XVI-e siècle, T. II., Paris 1885, pag. 142-151 (et passim, consule indices). M. Jugie, art. Gabriel (Sévère), Dictionnaire de Théologie Catholique, T. IV, p. 1, Paris 1915, col. 977-984. Διοκαισαρείας 'Αριστάρχου, Γαβριὴλ ὁ Σευῆρος μετροπολίτης Φιλαδελφίας, Νέα Σίων 21 (1926) σσ. 467-481, 529-537, 593-609, 719-734; 22 (1927) 3-18, 210-222, 338-345, 493-499, 611-624, 658-673, 705-715.

mandatam, suscepit. Ut coloniam graecam, cui Gabriel multum acceptus erat, fidam sibi facerent, Venetiarum Reipublicae moderatores menstruam pensionem ei tribuerunt aliisque modis faverunt. Post annum 1584 successit discordia eius erga Margunium, de qua accuratius infra disseremus. Mense Novembri a. 1590 Patriarcha Constantinopolitanus fidelium Philadelphiae precibus commotus ad Gabrielem litteras misit atque ei edixit, ut intra sex menses dioecesim adiret aut munere se abdicaret. Gabriel vero fidelibus S. Georgii, nec non Venetiarum gubernatoribus, itemque propriae dexteritati fretus non solum archiepiscopatum suum retinuit ac ut Venetiis residere sibi suisque successoribus permitteretur obtinuit, sed insuper etiam exarchi titulum sibi acquisivit pro oecumenico patriarchatu omnes complectente orthodoxos fideles in Venetiarum finibus vel in Dalmatia degentes.

Ad S. Georgii Ecclesiae curam omne studium contulit; fidem orthodoxam maiore cum zelo quam scientiae profunditate defendit; praeter complures epistulas theologica aliqua composuit opera atque polemica.

Visitationem pastoralem perficiens in Dalmatia mortuus est die 21 mensis Octobris a. 1616 in insulae Lesinae monasterio. Corpus eius Venetias translatum sepultum est in ecclesia S. Georgii, ubi hodieque videtur monumentum eius marmoreum longo elogio ornatum. In „Scoletta" coloniae graecae Venetiarum conservatur imago eius depicta.

Emmanuel vel Maximus Margunius (Μαργούνιος) [1]) natus est Candiae in urbe capitali Cretae, anno circiter 1549, Pauli Columnae (Colonna) a sorore nepos. Puer iam linguam latinam optime didicit. Inde ab a. 1568 vel 1569 Patavii studia sua continuavit, praeterque philologiam, philosophiam, medicinam, theologiae quoque studio se dedit. Quo tempore cum Gabriele Severo per litteras colloqui inchoavit et cruciatus dubiis de Ecclesiae orthodoxae doctrina de Spiritus Sancti processione ad ipsum Gabrielem se vertit

[1]) De Margunio vide E. Legrand, o.c., pag. XXIII-LXXVII (et indices); L. Petit, art. Margounios (Maxime), Dict. de Théol. Cath., T. IX, p. 2, Paris 1927, col. 2039-2044. P. K. Enepekides, Der Briefwechsel des Maximos Margunios, Bischof von Kythera (1549-1602). Ein Beitrag zur Kirchen- und Gelehrtengeschichte der Griechen im 16. Jahrhundert und deren Beziehungen zum Abendland, Jahrbuch der Österreichischen Byzantinischen Gesellschaft 1 (1951), p. 13-66. Vide etiam Byzantinische Zeitschrift 45 (1952) p. 138. Notandum, quod Nicolaus Comnenus Papadopolus in Historia Gymnasii Patavini (Venetiis 1726) multa de Margunio scripsit falsa, quae per multum tempus pro veris accepta sunt ac repetita; vide v.g. Weiss, art. Margunius, in Michaud, Biographie Universelle, Paris-Leipzig 1842-1865. Severe castigatus est Papadopolus a Legrand o.c. t. I, pg. V-VIII, et t. II, pag. XXIX. Mira quoque notitia invenitur apud M. Gordillo S.J., Compendium Theologiae Orientalis, ed. 2, Romae 1939, pag. 30, qui scribit: „...Maximum Margunium .... qui tandem ad catholicismum transiit", absque ulla huius notitiae fontis indicatione.

litteris datis die 11 mensis Decembris a. 1573 [1]), qui benigne confortando respondit. Studiis absolutis Patavio recessit (verisimiliter mense Decembri a. 1577) et aliquamdiu Venetiis commoratus est. Candiam reversus a. 1578 vel 1579 ac monachus factus, baptismi nomine Emmanuelis in nomen monasticum Maximi commutato, presbyter quoque ordinatus est in monasterio S. Catharinae, ubi quinque circiter annos remansit. Trinas habemus litteras a Margunio in Creta degente ad Gabrielem missas [2]) et in litteris quibusdam a Martino Crusio Gabrieli missis alteras destinatas Margunio in Creta commorante inclusas compertas habemus [3]).

Anno 1583 iam iterum Constantinopolim invitatus, ut ibi futuri cleri institutioni praeficeretur, sed etiam ut eorum quae de Spiritus Sancti processione conscripsisset rationem redderet, per Venetias ubi Gabrielem adivit eo profectus est [4]). Attamen ipso teste metu Turcicae dominationis munus id suscipere noluit, sed proprio rogatu Cytherorum episcopus creatus et consecratus (ante diem 15 mensis Aprilis a. 1584) per Candiam in insulam Cythera discessit, quo die 20 mensis Novembris pervenit. Cum vero insulae praefectus eum agnoscere recusaret, Candiam magistratus Venetos adivit et petitis impetratisque litteris commendaticiis, datis die 13 mensis Aprilis a. 1585, Venetias se contulit. Venetiarum reipublicae moderatores eum Cytherorum episcopum agnoscere non recusarunt quidem, sed ne ibi resideret prohibuerunt, hoc ei compensantes pensione annua, ut curis vacuus Venetiis habitare seque studiis et institutioni dare posset. Cui reipublicae decreto Margunius pro pacifica sua indole libenter se confirmavit. Quod minus gratum fuisse videtur Gabrieli Severo, quamquam et ipse extra dioecesim suam residebat pensionemque publicam accipiebat, cum aemulum episcopum scientia et virtute sibi praestantem Venetiis habitare parum ei probaretur. Insuper Margunius duo iam

---

[1]) Margunii ad Gabrielem litteras hoc tempore scriptas edidit aut indicavit J. Lamius, Deliciae Eruditorum, Vol. IX, Florentiae 1740, pag. 24-61 (textus graecus) et 113-292 (interpretatio latina cum annotationibus). Epistula memorata (quae etiam habetur apud Legrand o.c.) est quarta in Lamii dispositione chronologica. Memoratu dignae videntur etiam litterae, datae Patavii 10 Boedromion 1575, e quibus patet iam tum amicitiam zelo Gabrielis circumventam fuisse. Scribit enim Margunius: „εἰ δὲ καί τί σοι ὡς ἔτυχε γέγραπται πρὸς ἐμέ, τοῦτο τῷ κατὰ φύσιν προσνέμω θυμῶδες σοι". (Lamius o.c. pag. 32) interpr. „Si vero a te aliquid, ut usuvenit, scriptum fuerit contra me, hoc tuae naturali iracundiae adtribuo." (ibid. pag. 126).

[2]) Vide Lamii o.c.

[3]) Cfr. M. Crusius, Turcograecia, Basileae 1584, pag. 537. Litterae datae sunt: „τῇ νουμηνίᾳ τοῦ ‚αφπα' ἔτος εἰσφέροντος Ἰανουαρίου." interpr. „Kal. Jan. a. 1581".

[4]) Cfr. Μαξίμου τοῦ Μαργουνίου Ἐπιστολαὶ Δύο Ἀνέκδοται (Ἐκ τῶν Β. Α. Μυστακίδου καταλοίπων), Ἐπετηρὶς Ἑταιρίας Βυζαντινῶν Σπουδῶν 20 (1950) σ. 331.

opera composuerat de Spiritus Sancti processione (a. 1583 et 1584) quae aliqua ex parte doctrinam orthodoxam catholicae reconciliantia menti Gabrielis repugnabant. Unde ab ipso Constantinopolim haereseos delatus est. Attamen Jeremias patriarcha II una cum Meletio Alexandriae patriarcha feliciter effecit, ut in festo Paschae a. 1590 solemniter in ecclesia alter in alterius gratiam rediret.

Postea tamen tertio Margunii de processione Spiritus Sancti tractatu divulgato (scripto a. 1587, ac publici iuris facto a David Hoeschel a. 1591) controversia denuo exarsit, ita ut Maximus Patavium secederet. Tum Constantinopoleos patriarcha eum ut retractaret exhortatus est, at Margunius apologiam pro vita sua et doctrina composuit, de qua scripsit E. Legrand „Cet écrit fait le plus grand honneur à Margounios; il révèle en lui une vaste intelligence, un esprit élevé, une droiture de caractère peu commune, un ardent amour de la vérité" [1]). Exinde Gabriele Severo a patriarcha occultius admonito, ut zelo suo moderaretur, magis sincera constansque reconciliatio successisse videtur. Margunius Venetias reversus a. 1593 Romana Inquisitione expostulatus est ob propositiones quasdam suspectas in operibus suis deprehensas. At Venetiarum respublica constanter ac feliciter traditionem eius recusavit. Novem adhuc annos Margunius studiis suis vacavit agendo quoque per litteras cum pluribus illustribus doctisque viris, ut v.g. David Hoeschel, Frederico Sylburgg, Andrea Schott aliisque. Varia composuit opera theologica, orationes et homilias, poemata sacra, hymnos, epigrammata, interpretationes. Post diuturnum morbum diem supremum obiit Venetiis nocte 30 Junii- 1 Julii A.D. 1602, uti annotatum videtur in tabulis paroechiae S. Martini Venetiarum [2]). Sepulchri locus ignoratur.

EPISTULA NUNCUPATORIA [3])


Incipit epistula: „ „Τὸ διακαὲς τοῦ πρός σε πολλῶν ἕνεκεν ὀφειλομένου μοι φίλτρου..." „Quem tibi multiplici ex causa debeo amorem..." Vidimus

---

[1]) O.c. pag. XLVII. Textus huius apologiae reperitur ibid. pag. XLVII-LIV, vel apud Lamium, o.c. De discordia hac vide et: X. Παπαδοπούλος, Συμβολὴ εἰς τὴν ἱστορίαν τοῦ Μαξίμου Μαργουνίου: Ἡ θεολογικὴ αὐτοῦ ἔρις πρὸς τὸν Γαβριὴλ Σεβῆρον, Νέα Σίων 18 (1923) σσ. 708-727.

[2]) „A primo Luglio 1602. Il R.mo Mons.r. Maximo Marguni, vescovo de Cerigo, de anni 53 in circha, amalato da febre e mal de pietra già giorni 24. Stà nelle case de chà Bragadin".

[3]) Epistula haec bis iam in lucem edita est scilicet a Pasino, o.c. pag. 386-387 una cum interpretatione latina et a Legrand, o.c. pag. LXXII, ab utroque tamen non sine mendis, quae in nostrae editionis critico apparatu afferemus. Pasinus insuper asserit: „Hanc (sc.



SEPULCHRI MONUMENTUM GABRIELIS SEVERI,
OPUS BALDASSARIS LONGHENA,
QUOD EXSTAT VENETIIS IN ECCLESIA S. GEORGII GRAECORUM.

Margunium Patavii theologicis studiis deditum in dubiis suis ad Gabrielem refugisse posteaque e monasterio Candiae vel Constantinopoli saepius ad eum litteras misisse. Nil mirandum igitur quod suam Laurentii opusculi versionem grato animo, ut ipse fatetur, paterno amico suo dedicavit. Tamen ex quo Margunius prima opera sua de processione Spiritus Sancti scripsisset (1583 et 1584) ac Venetiis constitisset (1585) iamiam discidium coeptum erat. Unde veri simile videtur Maximum dedicatione hac Gabrielem sibi placare voluisse, frustra vero ut patet ex supradictis [1]).

Valde dolendum quod Margunius de auctore opusculi, quod graece interpretatus est cuiusque speculationum altitudinem laudat, nihil accuratius scripsit neque de inventionis loco, tempore, circumstantiis. Tantum dicit: „. . . ad disquisitionem de numeris amorosis mentem admovi, in quam, latine conscriptam, nuper incidi . . . ." nullum praebens manifestum indicium ad decernendum libelli genuinum auctorem, qui in ipsius titulo Laurentius capuccinus simpliciter vocatur. Quare nunc nobis agendum est:

DE LAURENTIANA OPUSCULI AUTHENTIA

Pasinus scripsit: „Quis porro sit hic Laurentius ex ordine Cappuccinorum et qua occasione tractatum hunc de mysticis numeris composuerit, non satis liquet, nec apud quemquam reperire potuimus". [2]) Neque alii, qui post Pasinum Margunii opusculi huius versionem commemoraverunt (Legrand, Petit), hunc Laurentium Capuccinum identificarunt. Cum autem anno 1586 ordo capuccinorum sexaginta annos nondum extitisset, eum non nimis difficulter reperiendum crediderim.

Ex variis ordinis annalibus constat complures iam fratres ante annum 1586 Laurentium appellatos fuisse. Praeter aliquos eius nominis fratres laicos ob sanctitatem insignes sed eruditionis, uti videtur, expertes sacerdotes quoque nonnulli ut viri illustres memorantur. Ante annum 1586 libellum componere potuisse videntur:

---

disquisitionem) ex Latina in Graecam linguam transtulit Maximus Margunius Cytherorum Episcopus, saeculo XVI vergente celeberrimus, *hortatu* Gabrielis Severi Philadelphiae Metropolitae, uti patet ex praemissa Maximi ad eundem epistula . . ." (l.c.) Istius hortationis indicium in epistula frustra quaesivimus.

[1]) Opinio haec confirmari videtur litteris quas scripsit Gabrieli Margunius a. 1584 et 1585 (in Lamii o.c. pag. 41-51, interpr. lat. pag. 169-231), quae hanc nuncupatoriam epistulam proxime praecedunt et in quibus Margunius a calumniis contra orthodoxiam suam apud Gabrielem se defendit. Sed nullibi in utriusque viri litteris opusculum hoc commemoratum repperimus.

[2]) O.c. pag. 387.

1) *Laurentius a Funiano* (Lorenzo da Fognano), natus circiter a. 1519, a. 1564 provinciae Bononiensis minister provincialis electus iterumque a. 1569, mortuus — uti videtur — a. 1575. De studiis eius sive scientia vel activitate litteraria nihil nobis traditum est [1]).

2) *Laurentius a Montepolitiano* (Lorenzo da Montepulciano), provinciae Etruriae alumnus, qui concionator, magister novitiorum et Aprutinae provinciae moderator extitit. Obiit a. 1601. Conscripsit opusculum latinum „Tractatus de externa hominis compositione et hominis interioris abnegatione ex S. Bonaventurae opusculis extractum", quod in lucem editum non est [2]).

3) *Laurentius Acquaviva a Neapoli* (Lorenzo da Napoli), a. 1572 vel 1574 in provincia Neapolitana ordinem ingressus, qui ut theologus et orator ceteris praestitit. A. 1576 forsan ad Cistercienses transgressus, a. 1592 episcopus Caiacensis (di Caiazzo) creatus est. Obiit a. 1617. Scripta ab eo composita nulla memorantur [3]).

4) *Laurentius a Lutetiis Parisiorum* (Laurent de Paris), ordinem ingressus a. 1581; extitit concionator, philosophiae lector, theologiae mysticae doctor. Animadvertendum, quod a. 1610 hebraicae linguae lector nominatus est et compluries Romam visitavit. Edidit duos libros ascetico-mysticos gallice scriptos [4]).

5) *Laurentius Veronensis* (Lorenzo da Verona), provinciae Venetae concionator celeberrimus. Obiit a. 1631. Edidit sermones aliquot de Sacramento poenitentiae et alias conciones, necnon quasdam in ms. reliquit [5]).

6) *Laurentius a Brundusio,* natus a. 1559, ordinis habitu indutus a. 1575 ut provinciae Venetae alumnus; Patavii et Venetiis per sex annos 1576-1582 studiis vacavit scilicet philosophiae, theologiae, Sacrae Scripturae praesertim atque linguarum graecae maxime et hebraicae. Annis 1583-1584 Venetiis praedicationes quadragesimales absolvens mox magnam concionatoris famam adeptus est, unde praedicandi Hebraeis Evangelii officium ei concreditum est. Per idem tempus (1584-1590) Theologiae et S. Scripturae lector extitit. Post

---

[1]) Vide P. Salvatore da Sasso Marconi, La Provincia Cappuccina di Bologna e la cronaca dei suoi provinciali, Vol. I (1535-1679), Budrio 1946, pag. 104 et 110-114.

[2]) Vide Lexicon Capuccinum, Romae 1951, sub nomine, col. 931-932.

[3]) Ibid. sub nomine (Acquaviva Laurentius) col. 5-6.

[4]) Ibid. col. 932.

[5]) Marcellinus de Pise Matisconensis, Annalium Ordinis Minorum Capuccinorum, Tomus III (1613-1634), Lugduni 1676, pg. 856-858; Bernardus a Bononia, Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum Capuccinorum, Venetiis 1747, pag. 168.

vitam laboriosam satisque notam optime de Ecclesia et ordine meritus obiit die 22 Julii 1619. Multa scripta reliquit, inter quae nemo adhuc praesens opusculum recensuit. Attamen elenchum S. Laurentii operum nobis traditum minime completum esse iam animadverterunt S. Laurentii operum omnium editores: „constat multas eius epistulas, immo vel opera quoque maiora diversis locis, ecclesiis et viris illustribus a superioribus donata fuisse. Unde spes nobis affulget inveniendi plura S. Laurentii scripta adhuc ignota" [1]).

Ex supradictis concludendum videtur: Licet absoluta certitudine compositionem opusculi „De Numeris Amorosis" aliis Laurentiis supra memoratis a priori derogare non possimus, patet tamen nullum eorum ob scientiam, cognitionem linguarum in primis, fuisse celeberrimum, sicut fuit S. Laurentius a Brundusio [2]); nullum ergo eorum potius Brundusiensi scribere potuisse hanc dissertationem, quae cum peritiam linguarum latinae et hebraicae supponit, tum multam lectionem in operibus SS. Ecclesiae Patrum ac Doctorum necnon Rabbinorum et Cabalistarum, uti ex ipsa libelli lectura notisque a nobis additis patebit; quam largam scientiam alia quoque S. Laurentii a Brundusio opera demonstrant [3]).

Accedit quod ex Laurentiis supra memoratis Brundusiensis solus verisimiliter Maximo Margunio Gabrielique Severo notus fuit. S. Laurentius fortasse Patavii, ubi a. 1576-1577 philosophiae operam navavit, iam didicit nomina duorum episcoporum graecorum, qui inter illustres Academiae Patavinae ex-alumnos connumerabantur, etsi ipse in proprio ordinis conventu studia sua perfecit. Sed veri simile non videtur Laurentii nomen iam tum Margunio vel Severo innotuisse, neque per quos annos, 1577-1582, ille Venetiis studia sua continuavit et absolvit. At Gabriel Severus inde ab anno 1572 continuo Venetiis habitavit et Margunius Venetias visit a. 1583, id est anno in quo S. Laurentius vice prima praedicationibus suis quadragesimalibus urbem nomine suo replevit. Rursus, uti videtur, postero tempore S. Laurentio ipsi duo episcopi certo certius ignoti non remanserunt, quippe qui ob scientiam ac virtutem celebres per multum tempus sicut ipse Venetiis habitarint. Ideo quamquam

---

[1]) Vide huius S. Laurentii operum omnium editionis Vol. I pag. XIII (et X.p. 1 pag. IX).

[2]) Marcellinus de Pise, o.c. pag. 304. Opera recentiora indicat Lexicon Capuccinum, col. 925 sqq. Vide et: Miscellanea Laurentiana. I. San Lorenzo da Brindisi. Studi. Padova 1951. Volumen XI huius editionis, quod paratur, praeter indices novam S. Laurentii continebit biographiam.

[3]) Praesertim Explanatio eius in Genesim; quae exstat in Vol. III huius editionis; cfr. ibid. praef. patrum editorum pag. XII-XV. Sed et praedicationes amplissimam eruditionem patefaciunt, de qua vide sis Praef. in Primum Quadragesimale Vol. IV, pag. XII.

prorsus nescimus, an Margunio (vel Severo) cum S. Laurentio ratio aliqua intercesserit, ipsa vicinia trium clarissimorum virorum Brundusiensem prae aliis Laurentiis Capuccinis nobis notis opusculi „De Numeris Amorosis" genuinum auctorem indicat [1]).

Fortissimum tandem argumentum nobis praebet ipsius opusculi comparatio cum aliis S. Laurentii operibus instituta, praesertim cum explanatione eius in Genesim.

Et primo quidem notandum est S. Laurentium in Explanatione sua in Genesim propositum enuntiasse, ut de materia in praesenti opusculo tractata publici iuris aliquid faceret. Scripsit nempe: „In hoc loco primo omnium sacrum illud ac ineffabile Dei Nomen, quod τετραγράμματον graece, שם מפורש autem hebraice dicitur, יְהוָֹה, positum reperimus, nec umquam antea. .... Etenim summum Dei hoc nomen est ..... Divinam siquidem essentiam ... arcano quodam mysterio ac secretissimo mirabiliter explicat, de quo nos, Deo vitam simul et gratiam praestante, super Exodum aliquid afferemus in medium" [2]). Puto S. Laurentium ad hoc „De Numeris Amorosis" opusculum, sive mente tantum conceptum, sive litteris iam mandatum, nondum vero editum, hisce verbis alludere. Si illud, partem saltem Explanationis in Genesim ante annum 1586 scriptam fuisse, concludere possemus; si hoc, nihil inde discere possumus quoad tempus, per quod S. Laurentius Explanationem suam confecit [3]).

---

[1]) In Apologia sua Margunius duos commemorat religiosos catholicos, quos de rebus dogmaticis consuluit: Nicolaum quemdam ex ordine Cruciferorum et Petrum Entabilam, ex ordine Franciscanorum (apud Lamium pag. 7, interpr. latina pag. 316); E. Legrand o.c. pag. LXXIV inter Margunii scripta sub num. 14-15 tradit: „Un livre contre les Jesuites et un autre livre contre les Franciscains. Ces deux ouvrages sont mentionnés par Hottinger dans ses Analecta (1652 - in 8-o); il y dit (p. 552) en parlant de Cyrille Lucar: Ibi audivit Margunium qui, Synesii stylum aemulatus, duos tunc scripsit egregios tractatus, alterum in Franciscanos, alterum vero in Jesuitas. Utrosque suis dipinxit coloribus". Ph. Meyer, Die theologische Litteratur der griechischen Kirche im 16-ten Jahrhundert, Leipzig 1899, pag. 77, putat hunc libellum esse Ms. Athonis 3790 (Catal. Lambros), quod nempe continet Margunii disputationem quandam de processione Spiritus Sancti contra aliquos ex ordine S. Francisci primo latine ab ipso scriptam, sed postea in graecum translatam. His licet levissimis indiciis freto mirum mihi non videtur, si cum S. Laurentio quoque aliquam rationem Margunius habuerit.

[2]) Vide Vol. III, pag. 209-210; cfr. ibid. Praef. pag. IX.

[3]) Ibid. pag. X-XI. Ipsum opusculum confectum esse ante annum 1586 constat ex epistula nuncupatoria; terminus post quem in ea non indicatur. Sed cum non ante diem 29 Augusti 1584 S. Laurentius Hebraeis Evangelium praedicare coeperit (ibid. pag. XI) et „ut ipsis scripto quoque prodesset" S. Laurentii scopus fuisse videatur, (cfr. ibid. de scopo Expl. in Gen. pg. XII), tamquam pro certo habemus opusculum non ante illum diem esse compositum.

Praeter eam allusionem in eadem Explanatione nonnulli occurrunt passus, qui iisdem fere verbis in libello nostro apparent, ut alter ex altero quasi exscriptus videatur.

Iam Hebraicae linguae laudatio, a qua opusculum „De Numeris Amorosis" exorditur, similitudinem quandam praebet cum Sacrae Scripturae encomio, quod Explanationis in Genesim initium facit.

DE NUMERIS AMOROSIS:

„Hebraicam linguam ... omnes venerantur, quod non solum sensum omnium manifestissimum verissimumque simul et purissimum praebet, sed etiam arcanarum quarundam et mysticarum intelligentiarum, quae velut sacris litterarum velaminibus obteguntur, ceu vena quaedam fecundissima atque exuberans existit." (infra pag 448)

EXPLANATIO IN GENESIM:

„Sacra et divina Scriptura non solum multiplicium sensuum fecundissima et exuberans est; quapropter altissima semper et profundissima est et semper et ubique verissima ... verum etiam omnibus schematibus, tropis et figuratis locutionibus ubique respersa ..." (Vol. III.7)

De sensibus Sacrae Scripturae legimus:

(De Num. Amorosis)

„Sacra enim volumina ... divinitus inspirata occultissimos investigabilesque ac omnino inaccessibiles, pro propria potestate, recondunt sensus

sicuti sane divinus quoque ille intellectus, e quo quasi rivuli quidam e perenni fonte profluxerunt, inscrutabilis est divinaque sola revelante virtute fit accessibilis" (infra pag. 448)

(Explan. in Gen.)

„Sacra ac divinitus inspirata sapientia ... tam divite vena exuberat tum arcanorum mysticorumque sensuum tum notiorum et manifestiorum opibus, ut tanquam immensum pelagus ... clarissimorum virorum ingenia exercuerit ..... (Sacra Scriptura) a divino intellectu et eius sapientia .... derivata est, quasi ab inexhausto et perenni fonte rivulus, eorum Deo sacratas et divino lumine illustratas mentes imbuens" (Vol. III.38-39)

Prosequitur libellus „De Num. Amorosis":

„Ut integros divinos libros praeteream, troposque eorum ac schemata,

sententias quoque et totas periodos ..." quae res omnes fusius tractantur a sancto auctore in Explanatione in Genesim, Vol. III.pag. 7-38.

Post vocem „periodos" in opusculo nostro sequitur:

„in uno vel solo illorum vocabulo plurima mysteria tam sacra recondita sunt,
ut neque Lyncei neque Argi cuiuspiam oculis penitus perspici possint"
(infra pag. 448-450)

(cfr. Expl. in Gen.)

„Hinc est etiam quod Sacra Scriptura sub una simplicique littera plures ac multiplices tum manifestos tum reconditos et arcanos habet sensus"
(Vol. III.39)

Perspicientiae exempla hic allata pluries in S. Laurentii operibus recurrunt; cfr. Vol. IV.449 „Prudentem virum dicunt oculatum et per Argum centoculum vir prudens a poetis designatus fuit" et Vol. IX.206 „Est oculatissimus amor, tanquam Argus, erga suum obiectum". Insuper consule Vol. V.1.195, 531; VI.197; VII.106, 179; VIII.447; IX.192.

Prosequitur opusculum:

(De Num. Amorosis)

„In ipsis enim vel solis litterarum simplicium nudis elementis tanta mysteriorum reposita est vis, tanta divini consilii inscrutabilis occultissimaque sapientia

ut ne secretiorum quidem theologorum, qui vulgari voce Cabalistae nuncupantur, neque studium licet valde laboriosum, neque ingenii sollertia, neque sane subtilissima investigatio ...... umquam exhaurire illas possit." (infra pag. 450)

Comparandum:

(Explan. in Gen.)

„Dei dispositione ... actum est, ut ... Sacrae Litterae in suorum mysteriorum arcanis, altitudine divitiarum sapientiae et scientiae Dei locupletissimae et incomprehensibilitate iudiciorum Dei eiusque viarum investigabilitate semper abditissimae ac profundissimae traderentur, ne sacra paterent indignis. (Vol. III.39-40)

Quia enim divinitus inspirata est (S. Scriptura) tanto sublimius praeclara etiam sollertium hominum ingenia superat, quanto ipsi homines Dei verbo ..... inferiores sunt."
(Vol. III.38-39)

„Tanta est enim christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficeremus, si ab ineunte aetate eas

solas usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conaremur addiscere."
(Vol. III.40)

Pauca tantum afferre potuimus ex iis, quae doctrinam de Sacrae Scripturae sensibus in huius libelli initio traditam ut eiusdem doctrinae in Explanatione in Genesim expositae compendium apparere faciunt, sed ne nimis multa exscribamus studiosum lectorem ulteriorem comparationem instituere cupientem ad huius voluminis paginas 448-450, tertii autem 7-8, 38-52 delegamus.

Cum uno tamen praesentis opusculi loco verba quaedam in alio S. Laurentii opere reperta in hac introductione componenda videntur. De Dei nomine Jahweh disserens S. Laurentius scribit

In libello „De Numeris Amorosis":

„sanctum ... illud ... nomen ... tantae mysteriorum altitudinis ... supereffluens existit ut nec sanctissimos illos patres hebraicique populi patriarchas Abram, Isaac et Jacob illo dignos habuerit; sicut ipse dicit Moysi: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente et nomen meum יהוה non indicavi eis." (infra pag. 450-452)

In Vol. I (Mariale) legimus:

„Nam Deus ipse tanti fecit nomen suum, ut nec sanctissimis Patriarchis illud manifestarit, sicut Moysi dixit: Ego sum Deus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai, tetragrammaton, non indicavi eis.
(Vol. I.176-7)

Post pauca opusculum habet:

„...ita nimirum ineffabile est, ut usque hodie illud iudaei nondum proferre praesumant, ubicumque in Sacra Scriptura occurrit, sed illius loco Adonai pronuntient.

Unde nomen illud שם המפורש id est expositum nomen ab illis appellatur, sicuti et a Graecis τετραγράμματον."
(Infra pag. 452)

Comparandum:

„Non enim nominare (illud nomen) audent (iudaei), nec licere sibi arbitrantur imo nemini licuisse existimant ....." (Vol. I.176)

„Dominus enim exercituum proprium Dei nomen est, quod Graeci tetragrammaton dicunt, et Hebraei scem hamephoras, nomen expositum." (Vol. I.176)

Haec de locis opusculi huius cum ceteris S. Laurentii operibus congruentibus in primam demonstrationem sufficiant. Alios locos permultos in notis ad

libelli integri textus editionem apponendis afferemus. In sequenti tamen introductionis capitulo novum adhuc argumentum pro Laurentiana authentia praebebimus.

DE DOCTRINA IN OPUSCULO HOC CONTENTA

Primo breviter opusculi argumentum indicabimus, ut eo cognito demonstrare possimus S. Laurentium aliis quoque locis idem docuisse et praedicasse.

Post brevissimum Sacrarum Scripturarum hebraicae veritatis encomium S. Laurentius unum tantum verbum idque sensuum omnigenorum plenissimum, Dei nempe nomen authenticissimum יהוה mysticae suae contemplationis obiectum eligit. Et omissa omni explicatione litterali, mysticae numerologiae atque Cabalae placitis nitens secretissimam illius nominis interpretationem aggreditur.

Praenotat sanctus auctor secretiores theologos id est cabalistas nomen יהוה discerpere in duas litteras-numeros, י scilicet et ה, quae duos a Deo formatos designant mundos. י enim, quae decem valet, numerum perfectissimum, decimae sphaerae id est coeli empyrei sive mundi supercaelestis est symbolum; ה vero littera, quae valet quinque, denarii numeri dimidium, mundum hunc nostrum inter Deum et nihil positum significat, quod bipartita istius litterae figura confirmatur.

Hinc profectus varios numeros in sacrosancto Dei nomine יהוה commendari docet.

Primum omnium nimis ingenioso modo Dei nomen numerice *unum* esse ostendit, qui numerus omnium numerorum radix atque principium existit indeque divinam naturam, summe unam, summe bonam ac omnium creaturarum principium repraesentat. Secundo *quaternarium* Dei nominis litterarum י, ה, ו, ה laudat. Est enim symbolum creaturae quaternariae dispositionis, qua Deus diffundi ad extra voluit, uti plurimis argumentis confirmatur. Tertio S. Laurentius affirmat singulariter sibi complacere Deum in numero *denario*, a quo nomen eius incipit (י enim decem valet), quod multis exemplis e Sacra Scriptura vel theologia depromptis illustrat, atque maxime satagit denarium demonstrare perfectae caritatis numerum. Quarto beneficientiam *quinarii*, ה e Dei nomine, explicat, quinionem omnes res existentes comprehendere et colligare et unire asserens. Quinto auctor circa *senarium* numerum, id est ו, tertiam tetragrammati litteram id agit, ut probet eum multis de causis ad amorem spectare. Postremo non solum simplices Dei nominis numeros beneficos esse declarat, sed etiam illos, qui ex istis multiplicatione exoriuntur, ut

quadragenarius, centenarius, quinquagenarius et sexagenarius; quod mystica interpretatione loci libri Geneseos (32. 14-15) subtilius ac ingeniosius explicatur.

S. Laurentius numeros adhibens ad perficiendum mysticum quoddam itinerarium mentis in Deum progreditur via nobis quidem aliena, contemporaneis vero suis ac traditioni plus quam viginti saeculos complectenti familiarissima. Numerologiae mysticae originem historiamque subtilius delineare hoc loco non possumus, pauca tamen in memoriam revocari opportunum videtur.

Ex antiquissimis iam temporibus quasi unanimiter gentes magicam quandam ac sacram virtutem in numeris coluere [1]). Apud Graecos [2]) Homerum (saec. VIII a. C. n.) numeros sacros cognovisse satis patet [3]); at Pythagoras (saec. VI a. C. n.) numeros philosophiae suae fundamentum ac veluti totum argumentum atque summam fecit, e quo fonte mira quaedam doctrina arithmologica profluit. [4]) Postea in Platonis (427-347) et Plotini (205-270) philosophico systemate magni aestimati sunt numeri. Inter arithmologiae cultores, qui symbolicae interpretationi indulserunt, apud Graecos mentione digni videntur: Nicomachus Gerasenus (fl. 100 p. Chr. n.), Plutarchus (46-post 120), Theon Smyrnaeus (fl. 115-140), Diogenes Laërtius (± 200-250), Porphyrius (222/3-305), Iamblichus (± 250-325), Auctor anonymus libri „Theologumena Arithmeticae", Proclus (410-485); apud Latinos: Varro (116-27), [5]) Vergilius (70-19) [6]), Macrobius (fl. ± 400), Martianus Capella (saec. V). Boethius (± 480-524) symbolicam quidem numerorum interpretationem vix praebet,

---

[1]) Cfr. F. Davidson, art. Numbers-Introductory, Hastings Encyclopaedia of Religion and Ethics, vol. IX, Edinburg-New York 1917, col. 406-407. O. Rühle, art. Zahlen, Die Religion in Geschichte und Gegenwart, vol. V, Tübingen 1931, col. 2063-2068. E. Temple Bell, The Magic of Numbers, New-York 1946 (sine apparatu scientifico). F. C. Endres, Mystik und Magie der Zahlen, ed. 3 Zürich 1951 (idem). Matila Ghyka, Philosophie et Mystique du Nombre, Paris 1952. V. F. Hopper, Medieval Number Symbolism, New-York 1938, pag. 3-11.

[2]) A. B. Keith, art. Numbers-Aryan, Hastings Enc. of Rel. and Eth., vol. 9, col. 407-413. Hultsch, art. Arithmetica, Pauly-Wissowa Real-Encyclopädie der klassischen Altertumswissenschaft II. 1, Stuttgart, 1895, col. 1066-1116. L. Robin, La pensée grecque et les origines de l'esprit scientifique, ed. 2, Paris 1948, pp. 69-73, 254-256, et passim vide indicem s.v. nombres p. 498. Matila Ghyka, o.c. pp. 13-42.

[3]) G. Germain, Homère et la mystique des nombres, Paris 1954.

[4]) A. Delatte, Etudes sur la litterature pythagoricienne, Bibliothèque de l'Ecole des Hautes Etudes, Paris 1915.

[5]) Inter opera eius deperdita memoratur liber „De Principiis Numerorum"; „ohne Zweifel pythagoreische Zahlenmystik, wie wir sie bei Macrobius finden", J. L. Heiberg, Geschichte der Mathematik und Naturwissenschaften im Altertum (Iw. v. Müller, Handb. der Alt.wssch.) München 1925. p. 49.

[6]) Vide E. Maury, Le secret de Virgile et l'architecture des Bucoliques, Lettres d'Humanité III, Paris 1944, pg. 71-147.

sed antiquam arithmologiam, huius symbolismi fundamentum, fideliter Medio Aevo tradidit.

In Sacra quoque Scriptura numeros saepe plus quam numericum solum valorem denotare omnibus notum est [1]).

Ex utroque fonte haurientes Judaei, Gnostici et Ecclesiae Patres veluti certatim numeris singularem reddiderunt venerationem, in primis apud Judaeos: Aristobulus (saec. II a. Chr. n.) et Philo (30 a. Chr. n.-45 p. Chr. n.); apud Gnosticos: Valentinus [2]) et Marcus [3]) (saec. II); inter Patres Graecos: Clemens Alexandrinus (± 150-216), Epiphanius Salaminus (315-403) [4]); inter Patres Latinos: Ambrosius (± 337-397), Hieronymus (348-420), Augustinus (354-430), Gregorius Magnus (± 540-604) et Isidorus (± 560-638) [5]).

---

[1]) De astrologia babylonica mysticae numerologiae fonte vide Hopper o.c. pag. 12-32. De numeris sacris in Scriptura sacra: E. König, Number, Hastings Dict. of the Bible III Edinburgh 1900, 560-567; G. Barton, Number, Cheyne and Black Enc. Bibl. III London 1902, 3434-3439; H. Lesêtre, Nombre, Dictionnaire de la Bible, IV.2,, Paris 1912, 1677-1692; L. Muirhead, Number, Hastings Dictionnary of the Apostolic Church II Edinburgh 1918, 92-96; O. Rühle, Kittel's Theologisches Wörterbuch zum Neuen Testament I Stuttgart 1933 s.v. ἀριθμός pag. 461-462; P. Friesenhahn, Hellenistische Wortzahlenmystik im Neuen Testament, Leipzig 1935; A. Heller, Biblische Zahlensymbolik, Reutlingen 1936; J. Schildenberger, Vom Geheimnis des Gotteswortes, Heidelberg 1950, pag. 136-149, 205-243, 264-277, 301-303; F. Borgoncini Duca, Le LXX Settimane di Daniele e le date Messianiche ..., Padova 1951 (cum recensione tamen, v.g. G. Lambert S.J. in Nouvelle Revue Théologique 74 (1952), 409-417); F. Quiévreux, La maternité spirituelle de la Mère de Jésus dans l'évangile de St. Jean, Supplément de la Vie Spirituelle V, (1952), 101-134.

[2]) Valentini numerorum cultum novimus ex Irenaei Adversus Haereses libro II cap. XIV. 6 -XXVI, Migne P.G. 7.752-802 et Tertulliani libro Adversus Valentinianos cap. 8 P.L. 2.587-589.

[3]) De Marci numerorum interpretatione videndus: Irenaeus, Adversus Haereses I cap. XIV-XIX, P.G. 7.593-649. Cfr. F. Dornseiff, Das Alphabet in Mystik und Magie, Leipzig-Berlin 1922, pag. 126-133.

[4]) Clemens Alexandrinus mysticae suae numerorum interpretationis argumenta praebet in Strom. lib. VI, cap. 10-11, P.G. 9, 299-309, (317). Cfr. A. Delatte o.c. pag. 231-245. Epiphanium Salaminum commemoramus, quod singularem de numerorum mysteriis composuit sermonem; vide P.G. 43.507-517 (509-511 de numero ternario, 511-513 de senario (2×3=6), 513-517 de septenario).

[5]) Vid. Faustinus Arevalus, Isidoriana cap. 63, P.L. 81.406-411; H. Lesêtre, a.c. col. 1692-1697; F. Cabrol, art. Nombre, Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne et de Liturgie XII, Paris 1935, col. 1465-1469; J. Sauer, art. Zahlensymbolik, Lexikon für Theologie und Kirche, Bd. 10, Freiburg in Breisgau 1938, col. 1025-1030; A. Knappitsch, St. Augustins Zahlensymbolik, Graz 1905; Marie Comeau, Saint Augustin, exégète du quatrième evangile, Paris 1930, pp. 127-142; A. Schmitt, Mathematik und Zahlenmystik, Aurelius Augustinus. Festschrift der Görresgesellschaft zum 1500 Todestag des Hl. Augustins, 1930; P. M. Velez, El numero agustiniano, Religion y Cultura, 15 (1931) pp. 139-196; M.

Eorum omnium, S. Augustini praesertim, vestigia prementes totius Medii Aevi auctores symbolicos tantum numeros cognovisse videntur. Nominandi sunt: Beda Venerabilis (673-735), Alcuinus (735-804), Hrabanus Maurus (± 780-856), Hugo a S. Victore (± 1096-1141) et inter maximi nominis theologos S. Bonaventura (1221-1274)[1]. Ipse Dante (1265-1321) poeta supremus poematis sui profunditatem ac pulchritudinem numerorum symbolismo augeri putavit[2].

Apud Judaeos posteriores Cabalistae mirum in modum numeros coluerunt, gematricae potissimum exegeseos gratia[3]. Inter eos, qui ante S. Laurentium scripserunt, eminent Abraham Ibn Ezra (1092-1167), Eleazarus a Worms (± 1176-1238), Abraham Ben Samuel Abulafia (1240-± 1292) et Joseph Ben Abraham Gikatilia (± 1247-1305)[4]. Cabala temporibus renatae antiquitatis (Rinascimento) inter catholicos quoque cultores quosdam sibi conciliavit, e quibus Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus (1463-1494), Ioannes Reuchlin (1455-1522) et Henricus Cornelius Agrippa a Nettesheim (1486-1535) hic commemorandi

---

Pontet, L'exégèse de S. Augustin Prédicateur, Paris s.d. (post a. 1944) pp. 278-303 et passim, vide indices s.v. Nombres pp. 607-608; Ursula Groszmann, Studien zur Zahlensymbolik des Frühmittelalters, Zeitschrift für Katholische Theologie 75 (1954) pp. 19-54, pp. 22-26: Das Wesen der Zahl bei Augustinus.

1) J. Sauer, Symbolik des Kirchengebäudes und seiner Ausstattung in der Auffassung des Mittelalters, ed. 2 Freiburg i.B. 1924, Abschnitt I, Kap. 2: Die Zahlensymbolik pp. 61-87. Cfr. V. F. Hopper, o.c.; J. F. Bonnefoy, La Mystique des Nombres, Revue d'ascétique et de mystique, 25 (1949) = Mélanges Marcel Viller S.J., pp. 533-550; Ursula Groszmann, o.c. De S. Bonaventurae numerorum symbolismo optimi habentur indices in Operum Omnium editione Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1882-1902, s.v. Numerus, Vol. I-IV.225; V.598; VII.800; VIII.726; X.147.

2) De Dante fusius tractat Hopper o.c. pag. 136-201.

3) De gematria, id est numerologistarum placitum, quo litterae et numeri inter se commutandi docentur, vide C. Levias, art. Gematria, The Jewish Encyclopedia, ed. 4 New-York-London 1916, vol. V.589-592; Idem, art. Numbers and Numerals, ibid. vol. IX.348-350; W. Cruickshank, art. Numbers-Semitic, Hastings Enc. of Rel. and Eth. IX.413-417; F. Dornseiff, o.c. pp. 91-118, 133-142. Matila Ghyka, o.c. pp. 82-90. Comp. infra pg. 442.

4) Abraham Ibn Ezra saepe a S. Laurentio citatur in Expl. in Gen. cfr. huius ed. vol. III. Praef. pag. XIV; alii generatim plurimum apud „Christianos Cabalistas" auctoritate valebant, uti asserit J. L. Blau, The Christian Interpretation of the Cabala in the Renaissance, New-York 1944, pag. 7-9. Ulteriorem informationem de eorum vita et doctrina quaere sub nominibus eorum in The Jewish Encyclopaedia vel Encyclopaedia Judaica (10 Bd. Berlin 1928-1934, incompl. A-Lyra). Vel apud G. Scholem, Major Trends in Jewish Mysticism, ed. 2 New York 1946, passim, quaere indices. De numerorum symbolismo apud Abraham Ibn Ezra in specie consule: M. Olitzki, Die Zahlensymbolik des Abrahams Ibn Ezra, Hildesheimer Jubelschrift 1890, pp. 99-120; D. Rosin, in Monatschrift für die Geschichte und Wissenschaft des Judentums, 42 (1893) 156, 43 (1894) 80 sqq.

videntur [1]), et ut numerologista potius quam cabalista, P. Bungus [2]).

Omni hac sacra atque mystica numerologia imbutus „Laurentius capuccinus" opusculum hoc componere potuit, cum iamiam mysticae numerorum interpretationis finis adventaret. Nam itinere olim explorato a Rogerio Bacon (1214-1294), praecursoribus Nicolao Cusano (1401-1464), Leonardo da Vinci (1452-1519) et Giordano Bruno (1548-1606), adventu suo Nicolaus Copernicus (1473-1543), Galileus Galilei (1564-1642), Joannes Kepler (1571-1630) et Isaac Newton (1642-1727) effecerunt ut symbolica arithmologia paulatim mathematicae modernae loco cessit [3]).

Constat S. Laurentium a Brundusio numerologistarum placita libentius in operibus suis afferre. In primis citandus est sermo eius pro festo S. Matthiae Apostoli, italice compositus [4]). Praedicatio haec nihil est aliud ac encomium

---

[1]) De Io. Pico Mirandulano vide J. Blau o.c. pag. 17-30; de J. Reuchlin ibid. pg. 41-64; de H. C. Agrippa pg. 79-85. Io. Picus Mirandulanus pluries nominatim a S. Laurentio adducitur, v.g. Vol. V. p. 1, pg. 504. De Cabalistis christianis generatim comp. etiam: S. W. Baron, A social and religious History of the Jews, vol. II New York 1937, pp. 241-248, not. bibliogr. ibid. vol. III, pp. 136-138; idem, Bibliography of Jewish Social studies pp. 199 sqq. et 235 sqq. W. J. Bouwsma, Postel and Renaissance Cabalism, Journal of the History of Ideas XV.2 (1954) pp. 218-232. W. Schultze, Jacob Boehme und die Kabbala, Judaica 11 (1955) pp. 12-29. F. Secret, Jean Thenaud, Voyageur et Kabbaliste de la Renaissance, Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance 16 (1954) pp. 139-144, cfr. Bulletin de la societé Ernest Renan, séance du 30 janvier 1954, Revue d'Histoire Réligieuse 147 (1955) pp. 121-122.

[2]) Cfr. J. Blau o.c. pag. 36; Petri Bungi „Mysticae numerorum significationis liber in duas divisus partes, Bergomi pars prior 1583, pars altera 1584" forsan inter praesentis opusculi fontes adnumerandus sit. Eum nobis procurare non potuimus, sed vidimus editionem Parisiensem "Petri Bungi Bergomatis Numerorum mysteria, Lutetiae Parisiorum 1618". Quoniam autem tempus nobis defuit ad accuratius investigandum, qui libri omnes praesentis libelli fontes extiterint, expresse de ipsis non tractavimus. In annotationibus tamen multa ad ulteriorem indagationem utilia nos contulisse speramus.

[3]) Cfr. J. Blau, o.c. pag. VII: „It is the general theme of this book that the use of cabala by Christian thinkers was a fad of no lasting significance .... (this) is due to the fact that during the very period in which Pico della Mirandola and John Reuchlin and their followers were attempting to utilize cabalistic thought as a basis for their deductive systems, Copernicus, Kepler and Bruno were building the foundations of scientific systems whose value in use has proved to be so much greater than that of the old system. Like astrology, alchemy and other pseudo-sciences, cabala fell a legitimate victim to the development of scientific thinking." De ipsa numerologia mystica idem fusius explanat E. Temple-Bell o.c. In scientiis occultis tamen symbolicus et mysticus numerorum usus et abusus vivere pergebat uti patefaciunt multi libri qui de hac materia adhuc in lucem eduntur. The Cumulative Book Index, a. 1928-1955 fere 100 titulos indicat. Vide v.g. E. Bischoff, Die Mystik und Magie der Zahlen, Berlin 1920; Sepharial, The Kabbala of Numbers vol. 1 (ed. 2) London 1928, vol. 2, 1927. L. Paneth, La Symbolique des Nombres dans l'inconscient (trad. Henriette Roguin), Paris 1953.

[4]) Vol. IX, pag. 581-586. Alii loci ubi S. Laurentius mysticae numerologiae placita affert, quique infra adducendi non sunt, reperiuntur v.g. vol. IV.494; VI.47-48, 183, 367; VIII 206, 534.

numerorum et velut explicatio quaedam philosophico-theologica cultus, quo in aliis quoque operibus suis S. Laurentius numeros prosecutus est. Putat enim primum ipsum Deum numeris similem honorem tribuisse. Dicit nempe: „Quell' infinita maestà di Dio che con l'omnipotente virtù del Verbo suo di nulla creò il cielo e la terra, gran misteri e naturali e supernaturali racchiuse nelle ragioni di numeri". Et paulo ulterius: „E chi di voi non sa quel che è scritto, ch' Iddio creò tutte le cose in numero, pondere et mensura?" [1]). Et iterum: „Vedete come tutto l'universo costa in numero? Cosa dunque non solo di diligentissima speculation filosofale, ma anche d'altissima contemplation theologale è il numero". Et tandem: „E chi non vede, signori, che tutti i numeri sacri e misteriosi del mondo spirituale di Santa Chiesa son tutti celebri nel mondo corporale delle creature". Animadvertit etiam gentium philosophos, Pythagoram, Platonem, Aristotelem eam numerorum vim agnovisse. Laudat nominatim unitatem, denarium, ternarium, quaternarium, duodenarium et senarium numerum. Reprobat vero undenarium [2]). Revera numerus duodenarius, qui est praecipuum praedicationis argumentum, — agitur enim de festo S. Matthiae, Apostoli duodecimi — S. Laurentium ad mysticam mentis elevationem ac admirationem excitare videtur, ita ut exclamet: „O numero sacrosancto de divinissimi Apostoli" et „O numero, o numero sacrosancto, veramente celeste e tutto divino de'gli Apostoli di Christo".

In reliquis quoque suis operibus S. Laurentius iterum atque iterum hunc vel illum numerum laudat atque perfectionem eius explicat, maxime autem res in mundo naturali vel supernaturali uno eodemque numero comprehensas conferre atque enumerare amat. Ad locos cum diversis huius opusculi locis congruentes in notis delegabimus. Hoc loco tantum afferre lubet id quod dicit S. Laurentius de numeris septenario et duodenario, qui in opusculo praesenti non occurrunt. De septenario legimus in Vol. IV.325-326: „... pavit homines quinque panibus, qui imperfectus est numerus: corporalia omnia imperfecta sunt; postea septem panibus: septenarius perfectus est

---

[1]) Hoc Libri Sapientiae (11.21) verbum Sanctus quoque Augustinus doctrinae suae de sacris numeris fundamentum fecit; vide De Gen. contra Manich. I.15, P.L. 34.185 sq. cfr. De Civ. Dei XI.15, P.L. 41.331, In Ioan. Evang. I P.L. 35.1386, De Gen. ad Lit. IV.3-6, P.L. 34.299-301. Comp. Origenes, De Principiis II.9, P.G. 11.226.

[2]) Cum de ceteris numeris supra memoratis infra nobis dicendum erit, hoc loco de undenario tantum adnotamus ipsum generatim in mystica numerologia reprobari eo quod legis denarium, numerum perfectissimum excedit. Cfr. S. Aug., De Civ. Dei XV.20, P.L. 41.465; Bung. pag. 377, 532.

numerus; sic opera spiritualia: hinc septem Sacramenta Ecclesiae, hinc septem virtutes, hinc septem dona Spiritus Sancti etc."; et Vol. V p. 3.368 sqq.: „Numerus septenarius in Divinis Scripturis celeberrimus et sacratissimus est. Septem enim diebus mundus creatus est ... (sequuntur alia exempla)" [1]. De duodenario videndus est in primis Vol. I.49-58, „Sermo quintus in visionem S. Ioannis Evangelistae: De singularibus Virginis Deiparae praerogativis ex verbis: Et in capite eius corona stellarum duodecim". Pauca mihi exscribere liceat: „Numerus duodenarius, ut Augustinus docet [2], universitatis cuiusdam numerus est, cum sint duodecim signa coeli et duodecim menses anni et duodecim horae diei; quia etiam constat ex binario, qui multitudinis principium est, et denario, qui finis est multitudinis, suprema sphaera omnium numerorum, sicut decima sphaera coelorum et natura divina decima veluti sphaera est spiritualium substantiarum supra novem choros angelorum. Et quidem numerus hic duodenarius in Divinis Litteris celeberrimus et sacratissimus est cum in Veteri tum in Novo Testamento." Et sequuntur multa exempla. Fere idem enuntiatur in Vol. 1.1. „Celeberrimus est in Divinis Litteris duodenarius numerus .... sicut etiam in natura ....." itemque pluribus confirmatur exemplis [3].

Restat tandem ut observemus in hoc opusculo numeros tractatos esse non tam prout secretam significationem insinuant, quam prout Deo amabiles sunt eiusque amorem revelant et homines in Dei amorem inducunt. Illa quidem numerorum interpretatio in mystica numerologia, praesertim apud Patres et Augustinum, semper praevaluisse videtur [4], haec tamen eis omnino aliena non fuit. Perfectio in numeris deprehensa graecos iam arithmologos ad nume-

---

[1] Insuper septenarii momentum in S. Laurentii operibus affirmatur Vol. IV.219-222, 511; V.1.116-117, 404; V.2.220, 259-266, 366-375; VI.8, 322-324; VII.5-6, 49-50, 158-159; VIII.281-282, 476, 578-579; IX.281-282, 477; X.1.14, 461.

[2] Enarr. in Ps. 86, n. 4, P.L. 37.1104, et alibi pluries ut loco citato (vol. I.52) indicatur (cum mendo tamen: P.L. 378.1104!).

[3] De duodenario numero comp. etiam: Vol. I.404, „Sermo sextus super Fundamentum eius, De duodecim titulis Sanctissimi Mariae nominis"; deinde IV.157-158, 194, 333-334; V.1.138, 440, 487-489, 584; VI.441; VII.61, 147, 159-160; VIII.451. n. 30; IX.360. n. 2, 365-367; X.1.224.

[4] Iam Pythagorae et sequacibus eius numerus intellegentiae fons maxime extitit; cfr. Philolaum apud H. Diels-W. Kranz, Fragmente der Vorsokratiker, 3 vol. ed. 6. Berlin 1951-1952, vol. I sub nom. 44 (32) fragm. 11. Apud Patres in primis adhibetur mystica numerorum interpretatio in explanatione Sacrae Scripturae, praesertim locorum, quae sensum aliquem aedificantem obvium non praebent, ut in numeris plerumque accidit. Inde dicit S. Augustinus, De Doctrina Christiana 16, P.L. 34.48: „Numerorum enim inperitia multa facit non intellegi, translate et mystice posita in Scripturis".

rorum encomia inspiravit. Iamblichus scribit: „ ἱκανὸν δὲ ἐγκώμιον ἔσται τῆς δεκάδος ..." [1]) et anonymus quidam: „"Υμνον εἰς ἀριθμόν" composuit [2]). Ab admiratione ad gaudium indeque ad amorem transitus facilis videtur, quae stadia aliquibus Philonis verbis fortasse illustrari possunt, sed et in ipsa Sacra Scriptura fundamentum quoddam habere videntur. Ait enim Scriptura: „Et *benedixit* Deus diem septimum et sanctificavit eum. . ." [3]); et Philo scribit: „χαίρει δὲ ἡ φύσις ἑβδομάδι" [4]) et alio loco: „τί γὰρ οὐ φιλέβδομον τῶν ἐν τῷ κόσμῳ μέρος, ἔρωτι καὶ πόθῳ δαμασθὲν ἑβδομάδος" [5]). Sed clarius, uti solet, apud S. Augustinum notionem hanc expressam reperimus in libro De Musica, cuius capituli sexti titulus est: „Ad Dei amorem provocatur anima ex numerorum et ordinis ratione, quam in rebus diligit" [6]). Praesertim tamen, uti videtur, a Cabalistis numeri potius quam mysteriorum explicativi in extasim inductivi aestimabantur. Sic v.g. de Eleazaro a Worms affirmat L. Ginzberg: „Alphabetical and numerical mysticism constitutes the greater part of Eleazar's works, and is regarded simply as means to an end; namely to reach a state of ecstasy by the proper employment of the names of God and of angels. . ." [7]). Mentione dignum videtur etiam id quod asserit J. Reuchlin: „Nam quid aliud intendit vel Cabalaeus vel Pythagoras, nisi alios homines in deos referre, hoc est ad perfectam beatitudinem promovere....... ambobus aequa exercitatio per symbola et notas, per adagia et paroemias, per numeros et figuras, per literas, syllaba et verba" [8]).

Nihilominus sedula investigatione instituta, appellationem „ἀγαπητικοὶ ἀριθμοί", idest numeri amorosi, nullo loco repperimus. Ipse quoque Sanctus Laurentius in ceteris operibus suis nusquam ea usus est. Aliquod tamen exemplum forsan habuerit. Legimus enim apud Iamblichum certos numeros vocari

---

[1]) Iamblichus, In Nicomachi Arithmeticam Introductionem liber, ed. H. Pistelli, Lipsiae (Teubneri) 1894, pag. 88. Interpr.: „Opportuna erit laus denarii..."

[2]) Hic „εἰς τὸν ἀριθμὸν 'Ορφικὸς ὕμνος" sic nominatim commemoratur a Proclo, In Platonis Rempublicam, ed. G. Kroll, Lipsiae (Teubneri) 1901, II.169; fusius de ipso tractant A. Delatte o.c. pag. 208-217 et O. Kern, Orphicorum fragmenta, Berolini 1922, pag. 302-325.

[3]) Gen. 2.3; cfr. Philo, ed. Cohn-Wendland-Reiter, Philonis Alexandrini Opera quae extant omnia, Berolini 1896-1930, in Vol. I. Leg. Alleg. I.7 (17).

[4]) Leg. Alleg. I.4.(8), Interpr. „gaudet natura septenario".

[5]) De Opificio Mundi 38 (111), ibid. Interpr. „quid enim septenarii diligens non est eorum, quae sunt in mundo, amore domitum et desiderio septenarii".

[6]) P.L. 32.1186.

[7]) art. Cabala, The Jew. Enc. III.465, col. 2.

[8]) De Arte Cabalistica libri tres Leoni X dicati (1516) ed. 2 Hagenau 1517, fol. L[r].

amicos ob quandam Pythagorae sententiam de amicitia: „παρακηκόασι δὲ οἱ καὶ φιλίαν τὸν αὐτόν (δηλαδὴ ἑξάδος ἀριθμόν) νομίζοντες αὐτοὺς λέγειν διὰ τῶν διαφερόντων σύνοδόν ἐν αὐτῷ καὶ φίλωσιν· ἄλλους γάρ τινας ἄντικρὺς φίλους ἀριθμοὺς καλοῦσιν ἐν τῷ προσοικειοῦν τάς τε ἀρετάς καὶ τὰς ἀστείας ἕξεις τοῖς ἀριθμοῖς, οἷον τὸν σπδ' καὶ τὸν σκ' γεννητικὰ γὰρ ἀλλήλων, τὰ ἑκατέρου αὐτῶν μέρη κατὰ τὸν τῆς φιλίας λόγον, ὡς Πυθαγόρας ἀπεφήνατο· ἐρυμένου γάρ τινος „τί ἐστι φίλος"; εἶπεν· „ἕτερος ἐγώ". — ὅπερ ἐπὶ τούτων τῶν ἀριθμῶν δείκνυται [1]). Postea non tantum apud Arabos [2]) sed etiam apud Hebraeos his numeris magica quaedam vis attributa est ad amicitiam desideratam constituendam. Rau Nahschon Gaon (saec. IX) in Gen. 32.14 animadvertisse traditur Jacob ducentas capras et viginti hircos in donum elegisse, cum illam numeri ducentesimi vigesimi virtutem perspectam haberet. Numeri hi hebraice מנין הנאהב appellantur [3]). Nonnulli quoque qui latine de numeris eorumque mysteriis scripserunt numeros-amicos commemoraverunt [4]). Sic Petrus Bungus, de gematriae placito disserens quo omne nomen in numerum mutari potest (v.g. Adam = 46; ...) quo etiam inter duo nomina comparatio fit possibilis (v.g. Patroclus = 871 ergo devictus ab Hectore, qui = 1225 sed Hector rursus vincitur ab Achilli, qui = 1276!) concludit: „Hinc et amicabiles dicti sunt Numeri, quorum videlicet partes unum numerantes mutuo alterum aggregant, cuiusmodi sunt 220 et 284, nam primi numeri partes aliquotae, semel iunctae, parturiunt 284, cuius etiam partes producunt 220. Cum ergo

---

[1]) In Nic. Arithm. Introd. ed. laud. pag. 34-35. Interpr. „Falso intellexerunt quidam eundem (numerum senarium) amicitiam ab iis vocari ob differentium in ipso compositionem et familiaritatem. Alios enim e contra amicos appellant numeros virtutes habitusque civiles adiudicantes numeris, v.g. CCLXXXIV et CCXX; sunt enim alterius partes alterum generantes secundum hanc de amicitia sententiam quam enuntiavit Pythagoras; nam interrogatus ab aliquo: „quid amicus?" ait: „alter ego", — quod in istis numeris demonstratur". Numerorum notis rem repraesentemus:

220 = 220 × 1	284 = 284 × 1	(ipsi numeri 220 et 284 non computentur, cum nullus numerus sit pars sui ipsius)
110 × 2	142 × 2	
55 × 4	71 × 4	
44 × 5	+ —— —	
22 × 10	213 + 7 = 220	
20 × 11		
+ —— —		
251 + 33 = 284		

[2]) Testimonia quaere apud L. E. Dickson, History of the Theory of Numbers, vol. I Washington 1919, pag. 39 (falso inscr. 36).

[3]) Vide L. Grunhut, L'exégèse biblique de Nahschon Gaon, Revue des Etudes Juives 39 (1899) pag. 310-313. L. Dickson l.c.

[4]) L. Dickson pag. 40.

sub aliquo numero constet omne creatum, arbitrantur Pythagorici, quae taliter convenerint mutuo se diligere" [1]).

Forsan hi „φίλοι ἀριθμοί", מנין הנאהב, se invicem amantes, amicabiles numeri S. Laurentio ansam dederint ad numeros appellandos amorosos.

DE MARGUNII GRAECA INTERPRETATIONE

Margunium linguae latinae peritia eminuisse supra iam commemoravimus. Dubitandum ergo non est quin fideliter S. Laurentii opusculum latinum graece reddere potuerit. Fides interpretationis eius singulariter commendatur locis Sacrae Scripturae, qui in ipsa occurrunt, quique non cum Septuaginta interpretum textu congruunt, sed potius cum Vulgato latino, secundum Veritatem Hebraicam a S. Laurentio aliquantulum emendato, uti infra in annotationibus nostris ad textum apponendis accuratius demonstrabimus. Usus est pro versione sua Margunius non graeco-barbaro sermone, in quem opera aliqua graeca antiquiora transtulit, sed graeco post-classico et traditionali, quod eius aevi docti graeci omnes in componendis operibus suis scientificis adhibebant. Unde de morphologia sive syntaxi nihil omnino adnotandum videtur. Vocabularium quoque vix unam difficultatem praebet. Nam voces quaedam, quas in melioribus lexicis frustra quaesivimus, sine ulla explicatione perspicuae sunt. Tamen eas hoc loco componi opportunum duximus:

παναιδεσιμώτατος (quae vox non quidem in opusculi interpretatione sed in epistula nuncupatoria invenitur) amplificatio quaedam et velut superlatio est appellationis „αἰδεσιμώτατος", quae per multum iam tempus ut titulus episcoporum graecorum invaluerat [2]), postea autem presbyteris quoque attributa est.

ὑπερίερος; eam vocem verisimiliter Margunius ipse composuit, ut fidelissime vocabulum latinum „supersanctus" interpretaretur, quo S. Laurentius aliis quoque locis usus est [3]).

ἑνικώτατος legitur v.g. apud Plotinum VI.9.6, uti notat A. Dimitrakos, Μέγα Λεξικὸν τῆς Ἑλληνικῆς Γλώσσης (Ἀθῆναι I-IX, 1949-1950) s.v. Forsan Margunius hac voce interpretari voluerit verbum „unissimus", quod etiam

---

[1]) Op. cit. pag. 528-529.

[2]) Cfr. Lucilia Dinneen M. A., Titles of address in Christian Greek epistolography to 527 A.D., Dissert. Cath. Univ. Washington 1929, pag. 54.

[3]) Vol. VI.529, 530 (bis); quin etiam „supersanctissimus" pluries occurrit: Vol. V.3.345. n. 765; VI.41; 659, 673; VII.432 („in hoc supersanctissimo et superdivinissimo nomine") (sc. Jesu); VIII.152; IX.588. „Sacrosanctissimus" invenitur VIII.143.

apud S. Laurentium recurrit [1]) et melior cum contextu convenire videtur voce „singularissimus", etsi hic quoque superlativus a S. Laurentio usurpatur [2]).

ὠστικός habetur quidem in lexicis, sed minime interpretatio eius „expultrix", quae vox certo certius in originali latino fuit uti demonstrabitur infra in not. 5 ad pag. 462.

συνάγω in graeco antiquo numquam significasse videtur „multiplicare" vel „ducere", quae verba hac voce interpretatus est Margunius; occurrit ea significatio in graeco recentiore, cfr. Dimitrakos, o.c., s.v. no. 19.

βάσις; certo erravit interpretator, cum in hanc vocem verteret „metam"; recta translatio fuisset „καμπτῆρα" cfr. not. 4 ad pag. 464.

DE NORMA QUAM ADHIBUIMUS OPUSCULUM IN LATINUM RURSUS CONVERTENTES

Norma ad quam interpretatio conficienda visa est, fuit ipsius S. Laurentii lingua et stilus, prout e ceteris eius operibus dinosci potest. Studiose igitur, in quantum tempus id nobis permisit, gravia eius operum omnium volumina perlegimus et quamquam imitationem fidelissimam nos effecisse minime credimus, aliquam saltem similitudinem ac stilum S. Laurentio non nimis indignum nos attinxisse speramus. At ut spes nostra audacior non videatur, ipsius S. Laurentii verba de stilo quo usus est in Lutheranismi Hypotyposi proferre libet: „. . . quorum (sc. SS. Patrum) etiam stylum imitari utcumque curavimus; humile, modestum, sed clarum atque perspicuum dicendi genus secuti. Non enim agere libuit more haereticorum maxime infelicissimae huius tempestatis, qui veritatis cum sint perquam inopes, splendidis verbis videri volunt ditissimi . . . . Nos pura puta contenti veritate, quae humili claroque sermone gaudet, oratione utemur humili atque aperta . . . . ." [3]).

---

[1]) Vol. III.520: „Deus enim essentiam suam primo intelligit, in ea autem et per eam actu simplicissimo et unissimo cuncta alia".

[2]) V.g. Vol. IX.41; n mis superlativorum usus passim in S. Laurentii operibus elucet; pauca tantum exempla hic adiungere possumus: „principalissimus" VIII.499, „instructissimus" ib. 698, „devinctissimus" IX.222, „indubitatissima" ib. 26; „decantatissimo" VI.200, „sufficientissimus" ib. 555, „mysteriosissima" ib. 678.

[3]) Vol. II.1.12-13. Minus confirmant animum verba, quibus illudit S. Laurentius lutheranum suum adversarium Laiserum, quod libellum contra ipsum germanice scripsit, cum „novas Latinisque nunquam alias cognitas voces" in ea inserere noverit. Et addit: „Sed forte magno nostro damno existimasti monachum hunc germanice quidem scire, latine vero minime. Perniciosus error, sed venia dignus". (vide Vol. II.3.266). Restat ergo ut speremus nostros quoque errores a S. Laurentio venia dignos iudicari.

Translationis nostrae iudicium lectori concedentes solius tituli conversionis rationem reddere cupimus. Titulus graecus in catalogis Pasini et Mazzatinti in latinum conversus est: „De sacris mysticis numeris in Sacra Scriptura occurrentibus disquisitio", ubi vox graeca „ἀγαπητικῶν" latine „mysticis" reddita est. Licet numeri ab Ecclesiae Patribus mystici saepius appellati sint et vox latina quaedam „ἀγαπητικός" significans apud ipsos occurrere non videatur, tamen credi non potest vox „ἀγαπητικός" a Margunio electa esse ad interpretandam vocem „mysticus". Alia igitur interpretatio nobis quaerenda erat et non sine dubitatione translationem nostram inscripsimus: „De Numeris Amorosis mystice in Divina Scriptura positis disquisitio". Vocis „amorosus" (quae in lexicis classicae latinitatis non habetur) in glossario Ducange duae indicantur significationes: „plenus amore" et „amabilis". In operibus quoque S. Laurentii haec vox occurrit, nempe in vol. II.3.158: „corda amorosa" idest „corda plena amore ideoque inclinata ad misericordiam", ut patet e contextu [1]). In praesenti opusculo S. Laurentius demonstrare satagit certos numeros esse beneficos, amorem inspirantes, beneplacentes, totos ad amorem spectantes, caritatis amicitiaeque refertos, amabiles et amicabiles, benevolentiam et gratiam conciliantes; quae omnia nulla voce melius quam voce „amorosus" exprimi putavi.

---

[1]) Cfr. Vol. IX.518 ubi legitur italice „affetti amorosi".

SANCTISSIMO PHILADELPHIAE ARCHIEPISCOPO
ET IN CHRISTO REVERENDISSIMO ADMODUM
PATRI DOMINO GABRIELI SEVERO,
MAXIMUS HUMILIS CYTHERORUM EPISCOPUS
BENE AGERE

Ardentem quem tibi multiplici ex causa debeo amorem [1]), non habens quo ipsum exsuscitarem magis ac incenderem, sanctissime Domine, — ut esset tenue quoddam suscitabulum, quo ille ex praesentibus utcumque incitaretur, ad disquisitionem de amorosis numeris mentem admovi, in quam latine conscriptam nuper incidi [2]), quamque in linguam hanc nostram transferre duplici ex ratione mihi proposui, cum nempe ob altitudinem de divino nomine speculationum quae in ea continentur tum et quidem maxime ut sanctitati tuae gratum aliquid perficerem. Novi enim te praeter cetera studia et his diligenter animum advertere [3]) praesertim cum secundum scientiam haec inveniantur composita. Unde ex ea quoque causa non absque ratione haec a nobis tibi dedicantur ac devoventur, etiamsi longe abest donum a dignitate tua. Verumtamen nos tuae amantissimae indolis probitatem iam dudum experti, et nunc haud minus scientes te parvis quoque rebus, ab ipsis exorsum, magnitudinem adiecturum, etiam persuasissimum habemus te non ignobile animae desiderium pro operum ostentatione accipere non dedignari; sic enim isti tuae sapientiae amantissimae ac Dei diligenti animae minime aliena simul et nobismetipsis gratissima perficies [4]).

Valentem custodiat Dominus tuam sanctitatem anima et corpore.

Venetiis mensis elaphebolii die decimo sexto anno incarnationis oeconomiae 1586.

---

[1]) Hac de re tractavimus in introductione.

[2]) Cum Margunius non ante diem 13 Aprilis anni 1585 Venetiis constiterit, litterae autem initio anni 1586 scriptae sint, hoc „nuper" certe ad a. 1585 spectat.

[3]) M. Jugie, o.c., col. 980, disserens de Gabrielis Brevi tractatu de sanctis et sacris sacramentis (ed. 1, Venetiis 1600) notat auctorem maxime insistere demonstrationi sacramentorum numeri septenarii convenientiae, comparantem ea cum septem donis Spiritus Sancti etc.

[4]) Libere confiteor hanc Margunii periodum mihi perspicuam non esse. Unde Pasini interpretationem hoc loco adiungo: „Attamen insiti tui amoris atque benevoli animi praestantiam a multo iam tempore edocti, nunc vero certiores facti, quod parvis hisce rebus incitatus, majora injunges, persuasissimum habemus, futurum ut aequo, benignoque

ΤΩ ΠΑΝΙΕΡΩΤΑΤΩ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΩ ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑΣ, ΚΑΙ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΠΑΝΑΙΔΕΣΙΜΩΤΑΤΩ ΠΑΤΡΙ, ΚΥΡΙΩ ΓΑΒΡΙΗΛΩ ΤΩ ΣΕΒΗΡΩ, ΜΑΞΙΜΟΣ, ΤΑΠΕΙΝΟΣ 'ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ ΚΥΘΗΡΩΝ, ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ

Τὸ διακαὲς τοῦ πρός σε πολλῶν ἕνεκεν ὀφειλομένου μοι φίλτρου, οὐκ [a]) ἔχων ὅπως ἂν ἀνασκαλεύσαιμί τε μεῖζον καὶ ἐπανάψαιμι πανιερώτατε δέσποτα, ὥσπερ ἀμυδρόν τι ὑπέκκαυμα πρὸς τὴν τούτου ὁποιανοῦν παρασκευὴν ἐκ τῶν ἐνόντων τὴν περὶ τῶν ἀγαπητικῶν ἀριθμῶν θεωρίαν ἐπινενόηκα, ᾗ πρὸ μικροῦ ἐντυχὼν [b]) Λατινιστὶ συγγεγραμμένῃ, πρὸς τὴν ἡμετέραν ταύτην δυοῖν ἕνεκα μετοχετεῦσαι διέγνωκα, τοῦ τε ὑψηλοῦ τῶν περὶ τοῦ θείου ὀνόματος ἐγκειμένων θεωρημάτων, καὶ τοῦ τῇ σῇ πανιερότητι χαριέν τι ἐκτελέσαι καὶ μάλιστα. οἶδα γάρ σε πρὸς τοῖς ἄλλοις τῶν σπουδασμάτων, καὶ τούτοις ἐς τἀκριβὲς ἐπιβάλλοντα, ἄλλωστε κἀπειδὰν ταῦτα κατ' ἐπιστήμην τύχῃ ξυγκείμενα. ὡς κἀντεῦθεν οὐκ ἄνευ λόγου [c]) παρ' ἡμῶν τοῦτο προσφωνηθῆναί τε καὶ καθιερωθῆναί σοι, κἂν μακρὰν ἀπῇ τῆς σῆς ἀξίας τὸ φιλοδώρημα. πλὴν ἀλλ' ἡμεῖς τὸ τῆς σῆς φιλοστόργου φύσεως καλοκάγαθον καὶ πάλαι μεμαθηκότες, καὶ νῦν οὐδὲν ἧττον ἐπιστάμενοι, ὅτι καὶ τοῖς μικροῖς ἐκεῖθεν ὁρμώμενος, μέγεθος ἐπιθήσεις, καὶ μάλα πεπείσμεθα, ἔφεσιν οὐκ ἀγενῆ ψυχῆς ἀντ' ἔργων ἐπιδείξεως μὴ ἀπαξιῶν ἀποδέξασθαι· καὶ ταύτῃ [d]) τῇ τε σαυτοῦ φιλοσοφωτάτῃ τε καὶ φιλοθέῳ [e]) ψυχῇ οὐδὲν ἀπᾴδοντα[f]), καὶ ἡμῖν αὐτοῖς κἂν τούτῳ ἐκτελῶν χαριέστατα [g]).

'Ερρωμένην διαφυλάττοι ὁ Κύριος τὴν σὴν πανιερότητα ψυχῇ τε [h]) καὶ σώματι. 'Ενετίῃσιν [i]) ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, κατὰ τὸ ͵αφπς'ον ἔτος τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας.

[a]) οὐχ' — Pasini. [b]) ἂν τυχὼν — perperam apud Pasini et Legrand.
[c]) ἂν εὔλογον — perperam apud Legrand. ἂν εὐλόγον — perperam apud Pasini.
[d]) ταῦτα — perperam apud Pasini et Legrand. [e]) φιλοθέᾳ — perperam apud Pasini.
[f]) ἀπάδοντα — Pasini.
[g]) Punctum om. Pasini, et littera capitalis, quam habet cod. in verbo ἐρρωμένην ab eo neglecta est; vide sis versionem eius in not. 4.
[h]) τε — om. Legrand et Pasini. [i]) 'Ενετίῃσιν — Pasini.

---

animo accipias hoc qualecumque non ignobilis animi desiderium, quum re ipsa monstrare non valeamus: et haec quidem utinam praeclaro, piissimoque animo tuo haud displiceant. Nobis vero gratissima haec perficientibus, charissimam sanctitatem tam animo, quam corpore incolumen servet Deus".

LAURENTII ORDINIS FRATRUM CAPUCCINORUM DE NUMERIS AMOROSIS MYSTICE IN DIVINA SCRIPTURA POSITIS DISQUISITIO

Hebraicae linguae laudatio

Sensuum Sacrae Scripturae multiplicitas

Hebraicam linguam, multis quidem aliis praestantiis eminentem [1]), et non quorumlibet laudibus dignam, ob unum tamen id merito omnes istam venerantur, quod non solum sensum omnium manifestissimum verissimumque simul et purissimum praebet, sed etiam arcanarum quarundam et mysticarum intelligentiarum, quae velut sacris litterarum velaminibus obteguntur, ceu vena quaedam fecundissima atque exuberans existit [2]). Tantum nudus litterarum attactus sententiarumque peculiare schema valet. Sacra enim volumina, quae sola quasi asylum quoddam Iudaeorum sermoni praebuerunt, divinitus inspirata, occultissimos investigabilesque ac omnino inaccessibiles, pro propria potestate, recondunt sensus; sicuti sane et divinus ille intellectus, e quo quasi rivuli quidam e perenni fonte profluxerunt, inscrutabilis est [3]) divinaque sola revelante virtute fit accessibilis [4]).

Ut integros divinos libros praeteream, troposque eorum ac schemata, sententias quoque et totas periodos [5]), in uno vel solo illorum vocabulo [6])

---

[1]) De linguae hebraicae praestantia secundum opinionem S. Laurentii vide Vol. III.238-240: „Haec autem nominum impositio ab ipso Adam cunctis animantibus hebraica lingua probabilissime facta creditur, eamque linguam sanctissimam ac plenissimam tunc fuisse ab Adam inventam ac institutam, atque usu in omnem posteritatem usque ad linguarum divisionem pervenisse". Vide et III.554. Comp. Origenes, In Num. Hom. 11 P.G. 12.649 Hieronymus, In Sophoniam 3.14 sqq. P.L. 25.1384; Picus Mirandulanus, Opera quae extant omnia, Basileae 1572, I.89, Conc. phil. sec. propriam opinionem etc. no. 80. J. Reuchlin apud J. Pistorium, Artis Cabalisticae Scriptores, Basileae 1587, pag. 914. Blau o.c., pag. 22. Notandum videtur, de S. Laurentio utique dici non posse, eum originem punctorum vocalium prout in Sacra Scriptura extant ignorasse; quod tamen Blau o.c. pag. 108 de prioribus Hebraistis christianis generatim affirmat („The earlier Christian Hebraists, knowing nothing of this history (viz. of the system of the vowel-points) could not decide .... whether in fact the vocalization of the Scripture had not been fixed at Sinai. One of the early contributors to this controversy was Ludovicus Cappellus (1585-1658) who in 1624 wrote about the mysteries of Hebrew vowels ..." S. Laurentius enim scribit Vol. II.2.366, (ubi de difficultatibus disserit quas lingua hebraica Sacrarum Scripturarum interpretibus parit): „manifestum est, quod Vetus Testamentum hebraice scriptum fuit et sine punctis, quae motiones dicunt, et pro vocalibus serviunt, ita ut saepe divinare opus sit, quomodo movenda sit dictio in textu sine punctis; puncta autem textui a rabbinis addita sunt". Sed etiam J. Reuchlin, De Arte Cabalistica, fol. LXVIII^r, puncta vocalia recentioris esse aetatis novisse mihi videtur.

ΛΑΥΡΕΝΤΙΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟ ΤΗΣ ΤΑΞΕΩΣ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΚΑΠΟΥΚΙΝΩΝ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΑΡΑ ΤΗ ΘΕΙΑ ΓΡΑΦΗ ΙΕΡΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΝ ΑΓΑΠΗΤΙΚΩΝ ΑΡΙΘΜΩΝ ΘΕΩΡΙΑ

Τὴν ἑβραικὴν διάλεκτον, καίτοι πολλοῖς ἄλλοις προτερήμασιν ὑπερέχουσαν, καὶ οὐ τῶν τυχόντων ἐγκωμίων ἀξίαν ὑπάρχουσαν, δι' ἓν μέντοι τοῦτο ταύτην οἱ πλείους προσηκόντως σεβάζονται, ὅτι δὴ πρὸς τῷ σαφεστέρῳ τῶν νοημάτων ἀληθεστάτῳ τε ἅμα και ἀκεραιοτάτῳ, ἀπορρήτων τινῶν καὶ μυστικῶν ἐννοιῶν, αἵτινες ἱεροῖς τισι τῶν γραμμάτων καταπελάσμασι συγκαλύπτονται, οἷά τις φλὲψ πολυγονωτάτη καὶ πλημμυροῦσα καθέστηκε. τοσοῦτον ἥ τε ψιλὴ τῶν στοιχείων πρόσψαυσις καὶ τὸ τῶν φράσεων ἰδιωτικὸν σχῆμα δύναται. τὰ γὰρ ἱερὰ τεύχη, ἅπερ μόνα ὥσπερ ἄσυλόν τι τῷ τῶν 'Ιουδαίων λόγῳ δεδώκασιν, ἐκ θειοτέρας ἐπιπνοίας τὴν ὁρμὴν εἰληχότα, κρυφιώτατά τε καὶ ἀνεξερεύνητα, καὶ πάντη ἀπρόσιτα, ὅσον γε ἐπὶ τῇ οἰκείᾳ δυνάμει, ἐναποκλείουσι νοήματα. καθάπερ δὴ καὶ ὁ θεῖος ἐκεῖνος νοῦς, ὑφ' οὗ ὥσπερ τινὰ ῥεύματα ἐξ ἀεννάου πηγῆς προεχέθησαν (2 v.), ἀνεξερεύνητος, θείας τε καὶ μόνης ἀποκαλυπτούσης δυνάμεως προσιτὸς γίνεται. ἵνα δ' ὁλοκλήρους τὰς θείας βίβλους παρῶ, τούς τε τρόπους αὐτῶν καὶ τὰ σχήματα τάς τε γνώμας καὶ τὰς ὅλας περιόδους, ἐν μιᾷ καὶ μόνῃ γε ἐκείνων λέξει πλεῖστα τῶν μυστηρίων οὕτως ἱερὰ ἐναποκέκρυπται, ὥστε μήτε

[2]) Sacrae Scripturae Veteris Testamenti interpretationem ad ,,hebraicam veritatem" faciendam esse S. Laurentius persuasissimum habuit, ut indicat Vol. II.1.5, 350-351 et patet in II.2.39, 366; II.3.4, 316; Vol. III ex ipsa libri dispositione (de qua vide Praef. pag. XII-XIII); appellatio ,,hebraica veritas" tricies saltem in hoc volumine recurrit, sed etiam passim in aliis v.g. V.1.471; V.2.236; V.3.81, 114, 446; VII.373. Ex hebraica veritate primum omnium sensum litteralem eruendum esse S. Laurentius exemplo suo manifestissime docuit (vol. III.Praef. pag. XIII) et hic quoque primum omnium in laude ponit hebraicam linguam ob sensum, utique litteralem, manifestissimum, verissimum et purissimum, quem offert. Haec in memoriam revocari utile visum est, cum sanctus auctor in reliquo opusculo sensum litteralem omnino non curare videatur, sub litterarum velaminibus reconditos sensus invenire satagens eosque qui non semper obtemperare videntur axiomati ab ipso auctore alibi enuntiato (vol. VIII.707): ,,Christus ergo Deus est velo absconditus sub figuris et velaminibus Sacrarum Scripturarum".

[3]) Comp. Rom. 11.33; I.Tim. 6.16.

[4]) Comp. Mt. 11.27; Luc. 10.22; Io. 1.18; Vol. VIII.707. De sensibus Sacrae Scripturae secundum S. Laurentium consule vol. III.38-52, e quo quaedam adduximus in introductione; insuper:vol. II.1.10-12; 40-41; IX.481-482.

[5]) Haec subtilius elaborari in vol. III.7-38, in introductione nostra iam adnotavimus.

[6]) Praeter locum parallelum, quem in introd. (e vol. III.39) attulimus, comp. III.51: ,,Demum unum hic advertendum est super una eademque littera plures posse mysticos sensus formari ..."

In Sacra Scriptura recondita mysteria inexhausta

plurima mysteria tam sacra recondita sunt, ut neque Lyncei [1]) neque Argi [2]) cuiuspiam oculis penitus perspici possint. In ipsis enim vel solis litterarum simplicium nudis elementis tanta mysteriorum reposita est vis, tanta divini consilii inscrutabilis occultissimaque sapientia, ut ne secretiorum quidem theologorum, qui vulgari voce Cabalistae nuncupantur [3]), neque studium licet valde laboriosum, neque ingenii sollertia, neque sane subtilissima investigatio, quae e litterarum structura, nominibusque et locis, virtuteque et ordine, atque e numeris, in quibus virtus illa recondita est, coniecturas facit, umquam exhaurire illas possit.

Sacrosanctissimum Nomen יהוה sensuum plenissimum

Licet tanta — ut ita dicam — mysteriorum turba ubique in Sacris Scripturis plenissima ac supereffluens conspiciatur, sanctum tamen illud et supersanctum Dei nomen, quod suapte natura supersubstantialem Dei naturam atque essentiam simul cum personarum trinitate — in quantum fas est — revelat [4]), tantae mysteriorum altitudinis ac profunditatis refertissimum et superabundans existit [5]) ut neque sanctissimos illos patres hebraicique populi

---

[1]) Lynceus, unus ex Argonautis, ob oculos acutissimos celeber (cfr. W. H. Roscher, Lexikon der Griechischen und Römischen Mythologie, Bd. II.2, Leipzig 1894-1897, s.v. no. 2, col. 2208-2209) v.g. apud Ciceronem (Ad. fam. 9.2.2) ut symbolum perspicuitatis ingenii occurrit. Exemplum hoc S. Laurentio familiare fuit, ut supra diximus.

[2]) Argus, custos centoculus Ionis (Inachi filiae, a Iove amatae et propter invidiam Iunonis in iuvencam mutatae) alterum est symbolum perspicientiae, S. Laurentio familiare. Vide Roscher, o.c. bd. I (1884-1890) s.v. no. 2, col. 537-539; Ovid. Metamorph. I.567-746. Rutil. Nam., De Reditu Suo, I.611. et Introd.

[3]) Secretiores Theologi seu Cabalistae pluries a S. Laurentio in operibus suis nominatim adducuntur: III.181, 184, 345; IV.86; V.1.504; VI.131; 321, 562; VIII.494. Alia adhuc cabalisticae exegeseos placita reticito secretioris theologiae nomine passim affert vel ipse quoque non semel nomen aliquod vel locum e S. Scriptura cabalistice interpretatur. Quaere II.1.61; III.208; V.3.131, 252, 361-362; VII.247, 376, 541, 553; VIII.108, 614; 709-710; IX.368, 635. Ex his locis abunde patet S. Laurentium cabalam minime contempsisse, sed potius illorum numero adnumerandum esse, qui e Catholicis inde a Io. F. Pico Mirandulano cabalam „baptizare" conati sunt, inter quos nonnulli erant franciscani, cum dominicani et jesuitae eam impugnabant (Blau o.c. pag. 61, 86-87). Cfr. Picum, Concl. Cabal. numero XLVII etc, Opera I.80-83; Concl. Cab. num. LXXI etc., I.107-113; Apologia, I.175-181. Ulteriorem informationem de Cabalistis quaere apud G. Vajda, Jüdische Philosophie, Bibliographische Einführungen in das Studium der Philosophie, Bern 1950, pag. 31-34. Id., Recherches récentes sur l'ésotérisme juif (1947-1953), Rev. Hist. Rel. 147 (1955) pp. 62-92.

[4]) De momento ac vi secundum S. Laurentium nominibus attribuendis videndus est ipsius Sermo tertius in Salutationem Angelicam, De sacrosancto Mariae nomine, I.176-186. Comp. X.1.474: „Nomina rerum sunt veluti earum imagines quibus repraesentantur". Comparatione dignus est etiam locus V.3.361; adducto Is. 33.22 S. Laurentius addit: „Ubi hebraice est nomen יהוה, τετραγράμματον, ineffabile, nam et Christi nomen quattuor litteris constat hebraice ישוע idque non sine mysterio", et sequitur explicatio mystica, brevissima quidem, sed huius libelli argumento simillima. Tandem afferendum videtur vol. V.3.16-17: „Abscondit se etiam Deus sub nominibus, quibus saepe in Divinis Scripturis appellatur. Sunt autem praecipua Dei nomina in Sacris Litteris decem. ... Ob id

Λυγκέως, μήτ' Ἀργοῦς τινος ὄμμασι παντάπασι κατοπτευθῆναι μὴ δύνασθαι. ἐν αὐτοῖς γὰρ καὶ μόνοις τοῖς τῶν ἁπλῶν γραμμάτων ψιλοῖς στοιχείοις τοσαύτη μυστηρίων ἐναπόκειται δύναμις, τοσαύτη τῆς θείας βουλῆς ἀνεξερεύνητός τε καὶ κρυφιωτάτη σοφία, ὡς μηδὲ τῶν ἀπορρητοτέρων θεολόγων, οἳ κοινοτέρᾳ φωνῇ καβαλισταὶ λέγονται, μήτε τὸ ἐμμελὲς καὶ λίαν ἐπίπονον, μήτε τὸ τῆς διανοίας ἐγρηγορός, μήτε μὴν τὸ ἀκριβέστατον τῆς ἐρεύνης, ἥτις τὰς τῶν χαρακτήρων κατασκευάς, τά τε ὀνόματα καὶ τὰ χωρία, τήν τε δύναμιν καὶ τὴν τάξιν, καὶ τοὺς ἀριθμούς, ἐν οἷς ἡ δύναμις ἐκείνη ἐναποκέκρυπται, καταστοχάζεται, μηδέποτε ἐς τὸ πλῆρες ἐξαρύσασθαι δυνηθῆναι. τοσαύτη δὲ τῶν μυστηρίων, ἵν' οὕτως εἴπω, πλημμύρα (3 r.) κἂν πανταχοῦ τῶν ἱερῶν γραμμάτων παμπλήρης τε καὶ ὑπερεκβλύζουσα ἐνθεωρῆται, τὸ μέντοι ἱερὸν ἐκεῖνο καὶ ὑπερίερον τοῦ θεοῦ ὄνομα, ὅπερ τῇ ἑαυτοῦ φύσει τὴν ὑπερούσιον τοῦ θεοῦ φύσιν τε καὶ οὐσίαν ἅμα τῷ τῶν προσώπων τριαδικῷ, ἐφ' ὅσον ἐστὶ θέμις, διασαφοῖ, τοσούτου μυστηρίων ὕψους τε καὶ βάθους πληρέστατόν τε ἅμα καὶ ὑπερεκβλύζον καθέστηκεν, ὥστε μηδὲ τοὺς ἁγιωτάτους ἐκείνους πατέρας τοῦ ἑβραικοῦ τε ἔθνους πατριάρχας, Ἀβραάμ,

praecipue abscondit se in Divinis Scripturis ut quaereremus .... quid significent divina nomina.... et sic perscrutaremur mysteria omnia tum mysticae tum symbolicae theologiae." Comp. etiam VII.91, 422. Nomen Jahweh Deo propriissimum esse legimus III.422-423: „Nomen enim illud ineffabile ac reverendissimum nonnisi Deo vero Scriptura tribuit nec quicquam, etsi sanctissimum ac venerandissimum, citra Deum eo dignatur nomine". Compluries quoque Jahweh „nomen essentiae" divinae nuncupatur, V.2.316; VI.434; VII.213, 430. Sed in eodem nomine etiam personarum trinitatem revelari nullibi in S. Laurentii operibus confirmatum repperimus. Immo in Explanatione in Gen. Vol. III.118-121 sanctus auctor nomen Elohim Dei essentiae unitatem ac divinarum personarum trinitatem denotare asserens argumentatur ex eo quod nomen Elohim pluralis est numeri; et reiecta sententia Rabbini Aben Ezra, qui fatetur Deum reverentiae et honoris causa in plurali numero alloqui, addit: „Praeterea si nullum in hoc verbo lateret mysterium, sed tantum honoris causa eo usus est Moyses, cur non magis nomen tetragrammaton posuit, quod est multo honorabilius, quapropter ineffabile ab eis putatur?" (Comp. X.1.192). Aliquatenus tamen id quod hic enuntiat S. Laurentius confirmari videtur his verbis e vol. III.210: „Divinam siquidem essentiam, et quaecumque ad intra divinae naturae competunt, arcano quodam mysterio ac secretissimo mirabiliter explicat (sc. hoc nomen)". (Comp. introd.).

[6]) Unde alias exclamat S. Laurentius: „O si cognosceremus quidnam sit: Ego sum, quod primum est nominum Dei. Sum qui sum, ens primum etc. vol. V.3.18 (comp. ibid. 25-27). S. Laurentii Jahweh nominis veneratio singularis certe cabalisticum tradit influxum. Cfr. Reuchlin qui tetragrammaton appellat (o.c. fol. XXIX[v]) „illud quattuor litterarum charagma in quo universa generis humani salus posita sit" et alias scribit (fol. LIIII[v]): „Antequam esset creaturarum quicquam iuxta Cabalae doctrinam nihil erat nisi Deus et nomen eius tetragrammaton et sapientia eius". (Vide Pirke Rabbi Eli'ezer 3 ut advertit S. Cohon, The Name of God, The Hebrew Annual 23.1.75th. Anniversary Publication 1875-1950, Cincinnati, Ohio 1950-1951 (pag. 579-604) pag. 595.) et fol. LXXV[v]-LXXVI[r]: „... ineffabile, innominabile tetragrammaton, ex quo fluit et derivatur omne quod est in sacris sacrum. Reliqua enim si qua inveniuntur rerum divinarum symbola, notae, sacramenta, signa profecto ex hoc ipso ducunt originem".

patriarchas Abraham, Isaac et Iacob [1]) Deus illo dignos habuerit; sicut ipse dicit Moysi: „Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente et nomen meum יהוה non indicavi eis" [2]). Tunc receptum apud nos nomen Adonai accepit [3]). Quandoquidem illud nomen velut ex superabundantia et altitudine divitiarum sapientiae et scientiae Dei [4]) remansit inexplicatum, ita nimirum et ineffabile est, ut usque hodie illud Iudaei proferre nondum praesumant, ubicumque in Sacra Scriptura occurrit, sed illius loco Adonai pronuntient [5]). Unde nomen illud שם המפורש id est nomen expositum ab illis appellatur [6]) sicuti et a Graecis τετραγράμματον [7]).

Illi nomini nihil nisi summe sanctum, nihil nisi summe venerabile, nihil nisi summe bonum nobisque maximam largiens opem inest. Inde secretiores theologi in duabus litteris nominis sui Deum formasse duos mundos affirmant [8]), supercaelestem scilicet ac beatum, et hunc quem vidimus atque

---

[1]) Cfr. Vol. VIII.560: „Deus in Scripturis Sacris fere semper dicitur „Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob", qui hebraici populi patriarchae fuere".

[2]) Exod. 6.3. Lemma non e S. Scriptura depromptum esse videtur. Insuper patet Margunium in vertendis his Scripturae verbis LXX non adhibuisse — ut notavimus in introductione — sed novam e latino versionem praetulisse. LXX. enim habet: „'Ελάλησεν δὲ ὁ θεὸς πρὸς Μωυσῆν καὶ εἶπεν πρὸς αὐτόν· 'Εγὼ κύριος· καὶ ὤφθην πρὸς 'Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακώβ, θεὸς ὢν αὐτῶν καὶ τὸ ὄνομά μου κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς". ". Vulg.: „Locutusque Dominus ad Moysen dicens: Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente et nomen meum Adonai non indicavi eis." Loco vocis Adonai S. Laurentius יהוה posuit, ut requiritur veritate hebraica et expositionis contextu. Hic S. Scripturae locus S. Laurentio carus fuisse videtur, cum crebro in operibus eius reperiatur, v.g. I.176-177; V.2.316; VI.433; VII.230-231, 413; VIII.110, 450; X.1.622.

[3]) S. Laurentius affirmare videtur ante hanc revelationem Moysi factam nomen Jahweh notum non fuisse. Vol. III.422 in Gen. 4.26 refert opinionem nonnullorum Hebraeorum: „Ante Enos nescierunt homines pronuntiationem nominis tetragrammaton יהוה sed nomen האל in divinis laudibus pronuntiabant. Diebus autem Enos coeperunt tetragrammaton nomine Deum invocare". (Comp. S. Cohen a.c. pag. 599 sqq.). Quam opinionem non probat. Tempore S. Laurentii hac de re controversia erat inter exegetas. Lyranus et Tostatus, quos in Expl. sua in Gen. Laurentius frequentius adducit (cfr. Vol. III, Praef. pag. XIII), putabant Hebraeos ante Moysen nomen Jahweh cognovisse quidem, sed non penitus pernovisse sensum ipsius (cfr. Dict. de la Bible III, (1903), s.v. Jehovah, col. 1233). Exquisitam de nominis Jahweh significatione bibliographiam quaere apud N. Delcor, Des diverses manières d'écrire le tétragramme sacré dans les anciens documents hébraiques, Rev. Hist. Rel. 147 (1955) 145 sq.

[4]) Rom. 11.33. Text. Gr.: „(Ὦ βάθος) πλούτου καὶ (om. cod. gr. 1827, Vulg. Novatianus, Hilarius, Ephraem) σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ".

[5]) Cfr. Vol. I.176 quem locum supra in introd. iam adduximus; vol. III.121.

[6]) Vox hebraica in ms. vitiose scripta est, nominatim litterae ם, פ et ר, unde patet librarium eam legere nescisse sed aliquam exempli imitationem conflasse. Ad locum cfr. vol. I.176 et III.209; praeter allata III.209 not. 31 vide S. Cohon, a.c. pag. 590 not. 56, qui duas praebet interpretationes: „expressed distinctly" idest „distincte pronuntiatum" (sic: iod, he, vau, he), et „ineffable" idest „ineffabile". Deinde notat מפורש etiam derivari

'Ισαάκ, καὶ 'Ιακώβ, τούτου τὸν θεὸν καταξιῶσαι, καθάπερ αὐτός φησι πρὸς τὸν Μωσέα: ἐγὼ κύριος ὁ ὀφθεὶς 'Αβραάμ, 'Ισαάκ, καὶ 'Ιακὼβ ἐν θεῷ παντοκράτορι, καὶ τὸ ὄνομά μου יהוה οὐκ ἔδειξα αὐτοῖς. ἔνθα τὸ παρ' ἡμῖν κείμενον 'Αδωναῒ ἔσχηκεν. ἐπειδήπερ ἐκεῖνο τοὔνομα ὥσπερ ἐκ τοῦ ὑπερπλήρους καὶ τοῦ ὕψους τοῦ πλούτου τῆς τοῦ θεοῦ σοφίας καὶ γνώσεως μεμένηκεν ἀνερμήνευτον, οὕτω δήπου καὶ ἄρρητόν ἐστιν, ὡς μηδέπω καὶ τήμερον ἐκεῖνο τοὺς 'Ιουδαίους προφέρειν ἀποτολμᾶν, ὅπου ἂν τύχῃ κατὰ τὴν ἱερὰν γραφὴν εὑρισκόμενον, ἀλλ' ἀντ' ἐκείνου τὸ 'Αδωναῒ ἀπο (3v) φθέγγεσθαι. ὅθεν ἐκεῖνο τοὔνομα שם המפורש τουτέστι διηρμηνευμένον ὄνομα, παρ' ἐκείνοις λέγεται, ·ὥσπερ δὴ καὶ παρ' Ἕλλησι τετραγράμματον. ἐν ἐκείνῳ τῷ ὀνόματι οὐδὲν μὴ ἄκρως ἅγιον, οὐδὲν μὴ ἄκρως σεβάσμιον, οὐδὲν μὴ ἄκρως ἀγαθόν, καὶ ἡμῖν μεγίστην χορηγοῦν τὴν ὄνησιν, ἔγκειται. ἐντεῦθεν οἱ μυστικώτεροι τῶν θεολόγων ἐν δυσὶ τοῦ ἑαυτοῦ ὀνόματος γράμμασι δύο κόσμους δεδημιουργηκέναι τὸν θεὸν ἀποτείνονται, τόν τε ὑπερου-

---

posse e voce פרש ,,to separate''idest ,,separare'' (cum litterae separatae pronuntientur: iod, he, vau, he; cfr. Dornseiff pag. 129, not. 1), et tandem adiungit huius nominis appellationem שם המיוחד ,,nomen incommunicabile''. S. Laurentius nomen Jahweh nomen ineffabile appellare solet (n. 4 ad p. 450); si hoc loco primum idem nomen inexplicatum vocat, nomen sine convenientibus punctis vocalibus sive cum motionibus vocis Adonai scriptum dicere videtur. Congruentibus punctis appositis nomen explicatur, sed ut tale Hebraei id pronuntiare non audent, unde hoc nomen indicare cupientes ,,nomen expositum'' ipsum appellant. Reuchlin o.c. fol. LXXIX^r scribit: ,,... hoc nomen dicitur Semhamaphores i. nomen expositorium essentiae Dei'', quae interpretatio convenire videtur cum verbis S. Laurentii in vol. III.210: ,,...hoc nomen ... Divinam ...... essentiam ... explicat''. Eandem interpretationem repperimus apud Agrippam, De Occulta Philosophia libri tres, ed. Opera in duos tomos concinne digesta, Lugduni 1532, t. I, lib. 3, cap. 11: ,,Hebraeorum Mecubales ex quodam textu, qui est in Exodo, septuaginta duo cum Angelorum tum Dei nomina deducunt, quod nomen septuaginta duarum litterarum et Shem hamphoras hoc est expositorium vocant''. Aliis vero locis S. Laurentius divinam essentiam inexplicabilem esse praedicat; v.g. vol. VII.543: ,,Moyses summus philosophus et theologus ignorabat nomen Dei et ab ipsomet Deo quaesivit proprium divinitatis nomen, cui Deus, ut insinuaret nullum se proprium habere nomen, dixit: Ego sum qui sum, hoc nomen mihi est in aeternum, dixitque se nec sanctissimis quidem patriarchis nomen suum revelasse. Habens nomen, quod nemo novit, nisi ipse, sicut Deus nonnisi a seipso comprehenditur et hanc ob causam dicitur eius nomen ineffabile.'' et vol. X.1.411: ,,...sicut Deus Moysi dixit: Ego sum qui sum, et non dixit quid esset, quoniam ineffabilis et inexplicabilis est divina essentia''. Vide et Picum, Opera I.109 concl. 15.

[7]) Cfr. v.g. Philonem, De Vita Moysis II.11 (115); Clem. Al. Strom. V.6, P.G. 9.57 (τετράγραμμον); Orig. In Num. Hom. XIV, P.G. 12.677; Eus. Demonstr. Evang. lib. IX, P.G. 22.677 (τετραγράμμου ὀνόματος) Reuchlin passim Tetragrammatum appellat Deum. E S. Laurentii operibus iidem loci adducendi sunt ac supra in nota 6; praesertim III.120 cum not. 89 ib.

[8]) Cfr. Vol. III.208 (in. Gen. 2.4-5): ,,Expositio alia: quando creatae sunt בהבראם, hoc est: בהי בראם in הי creavit ea, sicut dicitur in יה: ביה ה עור: Deus formavit duos mundos; in duabus litteris his nominis Dei formavit duos mundos; et docet te quod, quemadmodum mundus iste creatus est in הי, declarat quod descendit infra ad videndum

In duabus nominis sui litteris י et ה duos Deum formasse mundos docent Cabalistae

inhabitamus nos homines. [1]) Et in prima quidem littera nominis sui י supercaelestem, qui in unico bono omnigena indesinenter perfectione ac bonitate perfruitur, quemadmodum littera illa, quasi punctum quoddam indivisibile [2]), revera denarium numerum, in quo tota numerica perfectio collocata est, in seipsa continet [3]). In altera autem littera ה hunc quem inhabitamus (mundum) formatum esse aiunt, qui inter summam perfectionem et extremam miseriam medius existit, sicut littera illa dimidium prioris prout numerus valet. Illa enim decem, haec vero quinque designat [4]). Deinde quemadmodum littera illa est divisa, ita et visibilis iste mundus divisioni id est corruptioni, quippe quae divisione quadam formae a materia constituitur, subiectus est. Et sicut littera illa neque omnino est aperta, neque omnino clausa, sed in superioribus quidem clausa, in inferioribus vero aperta, ita prorsus et mundus hic noster secundum partem quidem superiorem, in quantum respicit caelestia, incorruptibilis est, secundum partem inferiorem tamen, id est in sublunaribus, corruptibilis [5]).

Ab hoc initio Hebraei profecti ineffabilis huius nominis יהוה sacros numeros maxime venerantur [6]). Et primo quidem ideo quod nomen istud unum est,

---

corruptionem, sicut הא ista clausa est ex omnibus lateribus et infra aperta ad descendendum viam ibi." Est expositio Rabbini Salomonis (Biblia Rabbinica Masoretica f. 4.a) ut auctor ipse fatetur. Praeter allata ibid. not. 25 vide F. Dornseiff o.c. pag. 120; S. Cohon a.c. pag. 595 cum not. 74.

[1]) De duobus his mundis fusius tractat sanctus auctor III.124-129, in Gen. 1.1. Commemorantur etiam v.g. Vol. IX.206. Est locus communis Cabalistarum; comp. v.g. quod scripsit Reuchlin o.c. fol. XVI[r]: „Duo vero mundi a Cabalistis sunt recepti, corporeus et incorporeus, visibilis et invisibilis, sensibilis et mentalis, materialis et idealis. Inferior mundus et superior, cum legunt: In principio creavit Deus etc. .... unde et legem divinam Bresith de creatione promulgata coepisse ab ipsa littera beth, quod in arte arithmetica inter numeros duo significat... (dicunt)".

[2]) Cfr. Vol. V.3.361: „Nam prima (sc. littera) quidem principium est omnium litterarum, cum quoddam sit punctum unde omnis littera incipit, sic Christus principium omnium rerum est". Ceteroquin et hic locus Cabalistarum communis est ut affirmat C. Levias, art. Gematria, The Jew. Enc. V.590 col. 2 III.C.b. Vide et infra not. 3 ad pag. 470 et not. 2 ad 474. Bungus י cum denarium tum unitatem denotare affirmat, o.c. pag. 361; iod etiam „minima in forma, maxima in sacramento" appellata est, cfr. F. Dornseiff o.c. pag. 28-29.

[3]) Cfr. haec P. Bungi verba: „...non dissonant Pythagorici supercaelestem mundum Denario comparantes" (o.c. pag. 367). Denarium totam numericam perfectionem complectere pluries apud S. Laurentium legimus; vol. I.338: „Est autem numerus denarius sphaera numerorum suprema continens omnes numeros"; vol. I.417; VII.148; IX.582: „Il numero dieci per eccellenza e dimandato numero per che racchiude ne suoi confini ogni differenza di numero, ne si possono giamai trascendere i suoi fini". Alios adhuc locos afferemus infra, not. 1 ad pag. 466. Doctrina haec repetitur a schola Pythagorica; vide Diels-Kranz o.c. I.44 (32) A.11 46 (34) B.4; 58 (45) B.4, 15, 16. Multos locos parallelos affert Delatte o.c. pag. 174, 202, 213-215. Ex Patribus videndi v.g. Ambr. De Abrah. II.9, P.L. 14.487: „decas numerum omnem complectitur"; De 42 mans. P.L. 17.11; Hier., In Ezech. XII.40, P.L. 25.396 et

ράνιον δηλαδὴ καὶ μακάριον, καὶ τοῦτον, ὃν ὁρῶμέν τε καὶ οἰκοῦμεν οἱ ἄνθρωποι. καὶ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ τοῦ ὀνόματος γράμματι י τὸν ὑπερουράνιον δημιουργῆσαι, τὸν ἐν τῷ ἑνιαίῳ ἀγαθῷ παντοίας ἀδιαλείπτως τελειότητος καὶ ἀγαθότητος ἀπολαύοντα, ὥσπερ ἐκεῖνο τὸ γράμμα, οἷά τινα στιγμὴν ἀδιαίρετον, δεκάδα μέντοι, ἡ πᾶσα ἀριθμοῦ τελειότης ἐνήδρασται, ἐν ἑαυτῷ περιέχει. ἐν τῷ δευτέρῳ δὲ γράμματι ה τοῦτον ὃν οἰκοῦμεν, δημιουργῆσαί φασιν, ὃς μεταξὺ τῆς τε ἄκρας τελειότητος καὶ τῆς ἐσχάτης ἀθλιότητος μέσος ἕστηκεν, καθάπερ ἐκεῖνο τὸ γράμμα τὸ μέσον τοῦ πρώτου, ὅσον ἐπ' ἀριθμῷ, δύναται· ἐκεῖνο γὰρ δέκα· τοῦτο δὲ πέντε παραδηλοῖ. ἔπειτα, ὥσπερ ἐκεῖνο τὸ γράμμα διῃρημένον ἐστίν, οὕτω καὶ ὁ ὁρατὸς οὗτος κόσμος διαιρέσει, τουτέστι φθορᾷ, τῇ διαιρέσει τινὶ τῆς ἐντελεχείας ἀπὸ τῆς ὕλης (4r) συνεστώσῃ, ὑπόκειται. καὶ ὥσπερ ἐκεῖνο οὔτε πάντῃ ἠνέῳκται, οὔτε πάντῃ κέκλεισται, ἀλλ' ἐν τοῖς ἄνω μὲν κέκλεισται, ἐν δὲ τοῖς κάτω ἠνέῳκται, οὕτω πάντως καὶ ὁ ἡμέτερος οὗτος κόσμος κατὰ μὲν τὸ ἄνω, ὅσον ἀνήκει εἰς τὰ κατ' οὐρανόν, ἄφθαρτος· κατὰ δὲ τὸ κάτω, ἐν τοῖς ὑπὸ τὴν σελήνην, φθαρτός ἐστιν. ἐντεῦθεν Ἑβραῖοι ὁρμώμενοι τοὺς τοῦ ἀρρήτου τούτου ὀνόματος יהוה ἱεροὺς ἀριθμοὺς ἐν τοῖς μάλιστα σέβονται. καὶ πρῶτον μὲν ὅτι τουτὶ τοὔνομα ἕν ἐστιν,

---

in Ezech. XII.41, P.L. 25.413. Subtilius explicatur a S. Aug., De Musica I.12, P.L. 32. 1095-1098. Comp.: Sermo 270 De Tempore, P.L. 38.1240. Tandem vide Reuchl. XXXVIII', Agrippam 153, Bungum 355 sqq., infra not. 9 ad pag. 464.

[4]) Cfr. Vol. I.418: „...quinarium, per quem omnis creatura Deo inferior designatur ...... omnis enim creaturarum perfectio imperfecta est si Deo componatur ..." Notandum tamen hoc loco quinarium imperfectum appellari in quantum distat a perfecto senario numero. Eadem ratione S. Laurentius quinarium imperfectum declarat vol. IV.131-132, 325-326; Tandem afferre lubet computationem quandam e vol. V.3.131: „Vir hebraice dictus est איש ab igne ... Mulier vero אשה quinario deficiens a viri nomine." Ibid. not. 18 perperam notatur: „id est littera י, quae arithmetice valet 5." Patet enim voces איש et אשה easdem continere litteras praeter י et ה. י autem valet decem, ה vero quinque. Vir igitur excedit mulierem 10 — 5 = 5. Comp. vol. VI.558: „... in principio nomen dedit (Deus) viro maius quam mulieri: אש (corrige איש) et אשה, quinario superat nomen viri nomen mulieris ..." et corrige not. 101 quae habet: „Nomen mulieris hebraice quinario superat nomen viri, quia habet ה, quae littera arithmetice valet 5," secundum quae diximus supra. Vide etiam vol. VIII.476, et infra not. 3 ad pag. 488.

[5]) Vide supra not. 8 ad 452.

[6]) Cfr. quod scripsit L. Ginzberg de Eleazaro a Worms, art. Cabala, The Jew. Enc. III.465 col. 2: „The central doctrine of this work refers to the Tetragrammaton; the author assuming that the four letters yod, he, vau and he (יהו"ה) were chosen by God for his name because they were peculiarly distinguished from all other letters. Thus yod, considered graphically, appears as the mathematical point from which objects were developped, and therefore symbolizes the spirituality of God to which nothing can be equal. As its numerical value equals ten, the highest number, so there are ten classes of angels, and correspondingly the seven spheres with the two elements .... and the One who directs them all, making together ten powers; and finally the ten Sefirot. In this way the four letters of the Tetragrammaton are explained in detail." Vide etiam F. Dornseiff, o.c. pag. 39 sqq., 62, 100 not. 2, 110, 121.

Qui numeri secundum Hebraeos in eodem nomine commendantur

sicut et Deus unus est, ut ipse ait: „Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est" [1]). Hinc primitias unitati reddunt, nam symbolum quoddam unitas est divinae naturae; ipsa enim simplicissima, et si fas sit dicere, unissima, in seipsa permanens, absque principio et absque fine est [2]), numero omnino non subiecta [3]), at omnis numeri fons et radix et principium et finis existit [4]), infinitas numerorum ideas in simplicissimo suo esse comprehendens simul et ex seipsa progignens [5]) nihil propriae amittens bonitatis, neque umquam imminuens neve augens [6]), ita nimirum et divina natura, simplicissima et unissima, infinitas numero in seipsa rerum ideas comprehendit et ex seipsa producit [7]), nullam patiens divisionem neque compositionem, neque incrementum neque detrimentum [8]). Hinc primae litterarum א maximam tribuunt venerationem, idque cum quod ipsa signum est unitatis [9]), tum quod totam ineffabilis

Unitas symbolum divinae naturae

---

[1]) Cfr. Dt. 6, 4, ubi tamen cum Vulg. tum LXX et text. Hebr. „noster" habent pro „tuus". Quoad Mc. 12.29 Vulg. mss. inter se discrepant, sunt quae „tuus", sunt quae „noster" habent; in codicibus graecis praevalet ἡμῶν, nonnulli tamen praebent σου aut ὑμῶν; consule editiones criticas.

[2]) Unitas ultro symbolum divinae naturae omni menti se offert, sicut Deus unus peculiari modo archetypus esse videtur rerum omnium unitate distinctarum cfr. Eph. 4.5. Ex operibus S. Laurentii comp. vol. IV.299-300; V.3.163. Haec quoque doctrina repeti potest a Pythagoricis, vide Diels-Kranz o.c. I.46 (34) 4. Locos parallelos quaere apud Delatte pag. 197-199, 205, 212. Ex patribus afferri possunt v.g. Athenag., Leg. pro Christ. 6, P.G. 6.902; Hieron., In Amos II.5, P.L. 25.1038. Ad totum locum sequentem comparandus etiam Hermes Trismegistus, ed. A. Nock-A. J. Festugière, Corpus Hermeticum T. I, Paris 1945, IV.10-11, pag. 53. Tandem vide Picum, Heptapl., Opera I.23-24; Reuchl f. XXVIII^v, Agr. pag. 125, Bungum pag. 13-14.

[3]) Macrob. In Somnium Scip. I.6.8: (ed. F. Eyssenhardt, Lipsiae (Teubneri) 1868 pag. 486): „Monas initium finisque omnium neque ipsa principii aut finis sciens ad summum refertur Deum"; Bungus pag. 20 de unitate disserens: „... neque ipsa principii aut finis patiens ..."

[4]) Unum iam a Pythagoricis non inter numeros numerabatur; vide Diels-Kranz I.58 (45) B.2; Delatte pag. 171 (167); Macrob. l.c. disserens de unitate: „... ipsa non numerus sed fons et origo numerorum." Ex Patribus comp. v.g. Tertull., Liber de Exhort. Cast. VII, P.L. 2.970; Isidorus, Liber Numerorum II, P.L. 83.179. Etiam: Reuchlin XXIX^v; Agrippa pag. 125: Bungus pag. 14, 21, 95, 196. Ex S. Laurentii operibus comp. vol. III.440: „... unitati..., a qua omnes numerorum species emanant" et VIII.103: „...ut sicut in numeris est unitas omnium numerorum principium, ita in entibus primum ens omnium entium causa" ibid. pag. 104: „Quod si primum ens Deus est, sicut in numeris unitas..." Comp. Hopper, o.c. pag. 39.

[5]) Cfr. Vol. VIII.564: „Nec tantum primum dicitur (sc. praeceptum caritatis) sed etiam maximum, utique maximum perfectione, quia continet perfectiones omnium virtutum, sicut....., sicut ... unitas". Agrippa pag. 125: „Unitas.... omnem numerum in se unice conjunctum continet"; Bungus pag. 193-194: „... quemadmodum autem unitas universam numerorum perfectionem in se astringit, nempe in quam cuncti adducuntur numeri..." Vide et infra not. 8 et not. 3 ad pag. 470.

[6]) Chalcidius, Comment. in Tim. Platonis, cap. 39, (ed. I. Wrobel, Lipsiae (Teubneri) 1876, pag. 105-106) de „singularitate" disserens scribit: „Cum enim sit origo numerorum

ὥσπερ καὶ ὁ θεὸς εἷς ἐστι· καθ' ἅ φησιν αὐτός: ἄκουσον Ἰσραήλ, κύριος ὁ θεός σου θεὸς εἷς ἐστιν. ἐντεῦθεν ἀπαρχὰς τῇ ἑνάδι ἀπονέμουσι, σύμβολον γάρ τι ἡ ἑνὰς τῆς θείας πέφυκε φύσεως. αὕτη γὰρ ἁπλουστάτη, καὶ εἰ θέμις εἰπεῖν, ἑνικωτάτη ἐν ἑαυτῇ διαμένουσα, ἄναρχός τε καὶ ἀτελεύτητός ἐστιν, ἀριθμῷ τε πάντῃ οὐχ ὑποπίπτουσα, παντὸς μέντοι ἀριθμοῦ πηγή τε καὶ ῥίζα καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος καθέστηκεν, ἀπείρους ἀριθμῶν ἰδέας ἐν τῷ ἁπλουστάτῳ αὐτῆς εἶναι ἐμπεριέχουσά τε ἅμα καὶ ἀπογεννῶσα ἐξ ἑαυτῆς, οὐδὲν τῆς οἰκείας ἀποβάλλουσα ἀγαθότητος, καὶ οὐδέποτε μειουμένη, (4v.) [οὔτ'] αὔξουσα, οὕτω πάντως καὶ τὸ θεῖον ἁπλούστατόν τε καὶ ἑνικώτατον, ἀπείρους μέντοι τῷ ἀριθμῷ ἐν ἑαυτῷ πραγμάτων ἰδέας ἐμπεριείληφε, καὶ ἐξ ἑαυτοῦ προάγει, οὐδεμίαν οὔτε διαίρεσιν, οὔτε σύνθεσιν, οὔτ' ὄνησιν, οὔτε ζημίαν πάσχον. ἐντεῦθεν τῷ πρώτῳ τῶν γραμμάτων μέγιστον σέβας ἀποδιδόασι א, τῷ τε αὐτὸ τῆς ἑνάδος εἶναι σημεῖον, καὶ τῷ πᾶσαν τὴν τοῦ

---

omnibusque ex se substantiam subministret rationesque eorum tam simplices quam multiplices ipsa contineat, ceteris numeris incrementis imminutionibusque mutatis atque ex propria natura recedentibus, sola inconcusso iure est atque in statu suo perseverat semper eadem, semper immutabilis et singularitas semper, quemadmodum divina omnia, quae nulla temporis progressione mutantur suntque semper inpetibili felicitate."

[7]) Cfr. Vol. III.121: „...Deus, cuius virtutes sunt omnino idem cum eo, cum sit natura simplicissima..." De divinae naturae unitate et simplicitate accuratius disserit S. Laurentius Vol. VIII.103-105. Comp. Reuchlin fol. LXV^v; et LXXVI^v: „animadvertendum Deum in essentia sua unum esse, unissimum quo nihil est unius". Agrippa, lib. III cap. XI, Deum „unitissimum" appellat.

[8]) Cfr. Vol. III.66: „Deus vero seipsum rerumque omnium in semetipso aeternas ideas perpetuo contemplatur"; VI.224: „natura superior continet inferiora. Deus autem bonum supremum est, continet ergo inferiora ... sicut unitas continens omnes numeros"; VII.17: „sicut mundus hic ante creationem in archetypis exemplaribus in divina mente et intellectu totus efformatus erat..."; VII.170: „sicut Deus dicitur ens simpliciter ... quia omnium entium perfectiones in unitate suae essentiae simplicissime et perfectissime continet sicut ... unitas omnium numerorum species"; VII.542: „Nam sicut in radice virtute continentur omnes fructus arboris ..... in unitate omnium numerorum species"; VIII.495: „Deus .. omnes entium perfectiones ... continet sicut unitas omnes numeros". IX.582: „Bellissimo simbolo e consonantissima simpathia ha l'unita, che da l'essere a numeri, con Iddio da cui han l'essere le creature dell'universo; e l'istessa analogia quasi correlativa e fra le specie dell'universo dependenti da Dio per origine di creatione e i numeri dall'unita prodotti". Macrob. In Somn. Scip. I.6.8 de monade agens: „... cumque utpote una non sit ipsa numerabilis, innumeras tamen generum species et de se creat et intra se continet"; Agrippa pag. 126: „Unum igitur ad summum refertur Deum, qui cum ipse sit unus et innumerabilis, innumeras tamen de se creat et intra se continet". Comp. not. 5 supra et not. 3 ad pag. 470.

[9]) Relationem inter primum et unum alio quoque loco connectit S. Laurentius scribens vol. IV.87: „Deus fortis, qui Moysi ait: Ego sum qui sum, primum ens, quod est unum ens"; cfr. vol. VIII.149-150; deinde vide vol. VI.562: „(fons) hebraice est אד quae vox duabus litteris constat דא (Aleph et Daleth) prior est divinitatis hieroglyphicum apud secretiores Hebraeorum theologos, quoniam prima est littera Alphabeti; posterior vero symbolum humanitatis est ob numerum quaternarium, quo constat humana natura". C. Levias, art.

nominis vim continere videtur [1]). Nam si quis recte incisam א litteram consideret, duo iod et vau ייו eam continere perspiciat [2]). Et primum quidem iod prima tetragrammati littera est; vau autem tertia; alterum vero iod duo tetragrammati ה continet, sicuti decem bis quinque; י enim littera decem valet, ה autem quinque; duo ergo ה decem. Hinc etiam ipsa littera primum quoque sephirot [3]) idest Dei attributum כתר עליון significari dicunt [4]).

Quaternario numero disposuit Deus creaturam

Post unitatem quaternarium numerum in ipso nomine venerantur. Nam etiamsi numero Deus impare gaudet [5]), trinitatem dico [6]), ad creaturas tamen per quaternarium se diffundit [7]). In quo nempe numero nostri huius corporei

---

Gematria, The Jew. Enc. V.591, col. 1, III.D.c, affirmat Aleph litteram communiter a Cabalistis indivisibilem putari.

[1]) Reuchlin fol. LXV[v]: „satis videri debet id nos de illo (sc. Deo) nosse quod ipse nobis de se revelat, quia sit principium, hoc est Aleph et Tetragrammaton, quod per Aleph significatur, notatque essentiam divinam..."

[2]) C. Levias, art. cit. supra, pag. 590 col. 2, III.C.c, notat hanc Aleph litterae „divisionem" in duo iod et unum vau Cabalistarum locum communem esse.

[3]) Hebraice ספירות (vide infra not. 4); cfr. I.337: „In theologia Hebraeorum decem sunt *divinae Providentiae rationes* quas dicunt *sephiroth*, quae sunt cheter, chocmah, binnah, chesed, pachod, tiphereth, nezach, hod, iesod, malcuth, id est corona, sapientia, intelligentia, pietas, fortitudo, gloria, perpetuitas, laus, secretum, regnum." Bene congruit S. Laurentii enumeratio cum schemate, quod exhibet L. Blau, o.c. pp. 46-47:

	1. Keter	
3. Binah		2. Chochmah
5. Geburah (Pachad)		4. Chesed
	6. Tiphereth	
8. Hod		7. Netzah
	9. Yesod	
	10. Malchuth	

comp. etiam VI.131: „reperiuntur tamen decem singularia Dei nomina in Scripturis ... (quae enumerantur), iuxta quae secretiores Hebraeorum theologi habent decem Sephiroth... (idem)" cum not. 25 ib. Tempore S. Laurentii variae iam huius vocis (Sephirot) latinae interpretationes existebant. Picus voce „*numerationes*" usus est: Concl. Cab. 33, Op. 1.82; concl. 47, 1.83; concl. 4, I.108; concl. 48, 49, I.111; concl. 62, I.112-113. Vox Sephiroth apud eum occurrit in concl. 66, 67, I.113. Reuchlin fol. II[r] loquitur de „arbore decem numerationum", et fol. LXVI[r] scribit: „numerationes hoc est divinae *proprietates*"; Agrippa cap. X lib. III (pag. 268) inscripsit: „De *emanationibus* divinis, quas Hebraei numerationes, alii *attributa*, gentiles deos et numina nuncupabant: deque decem Sephiroth ac decem sacratissimi Dei nominibus illis praesentibus eorundemque interpretationes". Ulteriorem informationem de decem Sephirot quaere apud I. Broydé, art. Sephiroth, The Jew, Enc, IX.154-155; G. Scholem, Major Trends in Jewish Mysticism, ed. 2 New-York 1946, passim (consule indices); G. Vayda, Origines et Développement de la Kabbale Juive, Rev. Hist. Rel. 134 (1947-1948) pag. 123-167.

L. J. Blau o.c. (idem); cfr. et S. Cohon, a.c. pag. 599 sqq.

ἀρρήτου ὀνόματος δύναμιν ἐμπεριέχειν δοκεῖν. εἰ γάρ τις ὀρθῶς ἐγχαραττομένῳ ἐνατενίσαι τῷ γράμματι א, δύο ἰῶδ καὶ υαοὺ ויי ἐμπεριέχον ἂν κατίδοι. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἰὼδ τὸ πρῶτον τοῦ τετραγραμμάτου γράμμα ἐστίν· τὸ δὲ υαοὺ τὸ τρίτον· τὸ δὲ ἕτερον ἰὼδ δύο ה τοῦ τετραγραμμάτου ἐμπεριέχει, ὥσπερ τὰ δέκα δὶς πέντε. τὸ μὲν γὰρ יי[a]) δέκα δύναται· τὸ δὲ ה πέντε· καὶ τὰ δύο ה δέκα. ἐντεῦθεν δ' ἔτι αὐτῷ τῷ γράμματι καὶ τὸ πρῶτον σεφίρωτ, τουτέστι τὸ τοῦ θεοῦ ἰδίωμα כתר עליון κατασημαίνεσθαι λέγουσι. μετὰ τὴν ἐνάδα τὴν τετράδα ἐν αὐτῷ τῷ ὀνόματι σέβονται. καὶ γὰρ εἰ καὶ ἀνίσῳ ὁ θεὸς ἀριθμῷ ἐνησμένικε, τῇ τριάδι φημί, πρὸς μέντοι τὰ κτίσματα διὰ τετράδος ἐκκέχυται. ἐν ᾧ δὴ ἀριθμῷ ὁ τοῦ ἡμετέρου

[a]) Cod. ἰὼδ.

[4]) Librarium hebraice doctum non fuisse hoc loco clarius iam patet, cum ר valde similis est י, sicut etiam ו. כתר עליון latine interpretatur „corona summa". A. S. Laurentio recte semper primo loco ponitur.

[5]) Verg. Eclog. 8.75; cfr. IX.582: „Numero gaudet impare Deus" disse quel poeta che pose in dubio co suoi alti poemi la palma d'Homero". Hic Vergilii versus in numerologia mystica celeberrimus fuit, certe cum dogma secundum quod impar numerus faustus, par vero infaustus putabatur, sententiose enuntiaret. Reperitur doctrina haec apud ipsum Pythagoram, vide. Diels-Kranz o.c. 1.58 (45) B.2; apud Platonem, Leges IV, pag. 717.A; ex Patribus citandus in primis Hieronymus, Epist. 48, P.L. 22.508-509: „Impar numerus est mundus .... scilicet nunc enumerandum mihi est qui Ecclesiasticorum de impari numero disputaverint, Clemens, Hippolytus, Origenes, Dionysius, Eusebius, Didymus, nostrorumque Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius, Hilarius ..... An forsitan Pythagoram, et Archytam Tarentinum, et Publium Scipionem in sexto de Republica, de impari numero proferam disputantes? Et si hos audire noluerint obtrectatores mei, Grammaticorum scholas eis faciam conclamare: Numero Deus impare gaudet. Grande piaculum, eversae sunt Ecclesiae, orbis audire non potest, si mundiorem virginitatem duximus quam nuptias: si parem numerum impari subiecimus." Comp. In Agg. P.L. 25.1456. Cfr. et Agr. pag. 129; Bung. pag. 96 sqq.; not. 9 ad pag. 474.

[6]) Cfr. Vol. VIII.105 sqq. quem sermonem de Trinitate S. Laurentius concludit (pag. 110): „ob id numerus ternarius sacratissimus ac celeberrimus est in Divinis Scripturis"; vide et vol. IV.341-342; V.2.242; VI.732; VII.177, 446-447; IX.582; X.1.135, 675. Comp. Ambros., De Abrah. I.8, P.L. 14.446: „salutaris hic numerus et conveniens sacrificaturis"; Picus I.173; W. Deonna, Trois, superlatif absolu, L'Antiquité Classique 23 (1954) pag. 403-428.

[7]) Huius doctrinae fontes videntur „tetractys" qua Pythagoras fontem radicesque aeternae naturae contineri docebat et „tetragrammaton" quo Deus secundum quoddam Cabalistarum placitum utitur ad creandum. Tetractyn per quam Pythagorici iurabant S. Laurentius commemorat I.417; ulteriorem informationem quaere apud Delatte pag. 249-268; comp. Plato, Tim. 326-c. Deum creasse per „tetragrammaton" habet Sefer Jezira (interpr. Liber Creationis, compositus videtur saec. IX, ed. 1 Mantua 1562) quem S. Laurentius utique cognovit; cfr. Dornseiff o.c. pag. 121 et 129 not. 2. Comp. Picus, De Ente et Uno, cap. 9, Opera I.254-255; Exam. Doct. Vanit. Gentil. lib. II.9, Opera II.835; Reuchl. fol. XXVIII^{r-v}; fol. XXX^{r}: „...profecto mihi Iudaeorum Tetragrammaton ac potius ipsius quattuor literas, in quibus nomen Salvatoris componatur non male visus est Pythagoras in Tetractyn graecorum symbolum commutasse". Agrip. pag. 133.

mundi ratio atque perfectio consistere videtur [1]) eo quod numerus hic rationem habet perfectae soliditatis [2]). In unitate enim punctum cernitur, in binario autem numero linea, in ternario superficies, in quaternario vero corpus natura solidum [3]). Hinc sane totius caeli mundique corporei creationi hic numerus exordium praestitisse videtur. Quaternitas enim elementorum, e quibus universum hoc formatum est [4]), e quaternario numero veluti e fonte quodam profluxit [5]). Tota revera mundi machina in quattuor plagas est divisa: orientem, occidentem, aquilonem et meridiem [6]), unde quattuor primarii spirant venti: eurus et zephyrus, notus et boreas [7]). In unoquoque corporum punctum, linea, superficies et altitudo reperiuntur [8]) et iterum supra, infra, dextra, sinistra [9]). In qualibet re hypostasis, natura sive essentia, potentia et actus [10]). Quae sunt secundum naturam suam composita quattuor reguntur motibus: ascensionis, descensionis, circumlationis et progressus [11]). Quattuor e caelo quae infra sunt accipiunt: lucem, influxum, motum et tempus [12]).

---

[1]) Philo, De Opif. Mundi 16 (52) de quaternario: „πρώτη γὰρ αὕτη τὴν τοῦ στερεοῦ φύσιν ἔδειξε". interpr.: „primus enim ipse (num. quatern.) solidi naturam denotat". Locos parallelos indicat Delatte pag. 168, 171. Cfr. etiam Aug. De div. quaest. LVII, P.L. 40.40: „quaternarius ... soliditatem corporis facit"; Agripp. pag. 132.

[2]) Explicatio haec invenitur iam apud Pythagoricos; cfr. Diels-Kranz, s. v. Philolaos I.44 (32) A.13; Delatte pag. 201; Philo, De Opif. Mundi 16 (49), 32 (98); Ambr. De 42 Mans., P.L. 17.11: „quaternioni enim insunt omnia: punctum, linea, superficies et soliditas"; Aug. l.c. not. praec. et De Musica VI.17, P.L. 32.1192; Agrip. pag. 133; Bung. 193.

[3]) Tetractyos axiomati nitentes complures Pythagorae sequaces quaternarii numeri momentum et vim in universi dispositione elucentem multis exemplis illustraverunt, sicut et S. Laurentius loco, qui sequitur in opusculo, facit; cfr. vol. IX.583. Locos indicat Delatte pag. 255, (187). Ex hebraica litteratura ipse S. Laurentius testimonium affert vol. III.527: „Rabbinus Abrabanel causam huiuscemodi reddit quare Noe quadraginta dies et postea ter septem expectaverit: „quoniam quaternario numero cuncta sunt a Deo disposita". Cfr. etiam Ambr. l.c. not. 2; Aug. l.c. not. 1; Serm. 252.10 P.L. 38.1178; De div. qu. LVII, P.L. 40.40; De doctr. chr. 16, P.L. 34.48; Picus Apol., Opera I.174; Agrippa pag. 131 sqq.; Delatte pag. 179; Hopper pag. 14 sqq.; U. Groszmann, pag. 31.

[4]) Cfr. III.217: „Confluxerunt enim primo elementa quattuor: terra, aqua, aer et ignis; quae rebus omnibus gignendis sese ut primordia atque principia accommodant et concurrunt ..." Accuratiorem explicationem philosophicam S. Laurentius praebet III.78-109 Dissertatio sexta. De Principiis Rerum. Quattuor elementorum usus symbolicus reperitur v.g. VIII.206, 266; IX.583. Loci conferendi: Diels-Kranz s.v. Empedokles I.33 (21) B.6 et 16 sqq.; 58 (45) B.1.a; Philo, De Opif. Mundi 16 (52), De Plant. Noe 28 (120); Ambr. l.c. not. 2; Hier. In Ezech. XII.41 P.L. 25.416, 421; In Agg. II, P.L. 25.1468; Aug. Epist. LV.25, P.L. 33.217; Reuchlin fol. XLIII^r; Agrippa pag. 112; Bungus pag. 198-202.

[5]) Philo de quaternario scribit (De Opif. Mundi 16 (52)) „ἀπόχρη δὲ κἀκεῖνο προσθεῖναι ὅτι καὶ τῇ τοῦ παντὸς οὐρανοῦ τε καὶ κόσμου γενέσει γέγονεν ἀρχή. τὰ γὰρ τέτταρα στοιχεῖα ἐξ ὧν τόδε τὸ πᾶν ἐδημιουργήθη, καθάπερ ἀπὸ πηγῆς ἐρρύη τῆς ἐν ἀριθμοῖς τετράδος." Interpr. „Oportet illud quoque adiungere, quod (quaternarius) totius caeli et mundi originis extitit principium. Nam quattuor elementa, e quibus universum hoc formatum est, veluti e fonte profluxerunt quaternarii".

τούτου σωματικοῦ κόσμου λόγος τε καὶ ἡ τελειότης δοκεῖ συνίστασθαι, διὰ τὸ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον (5r.) τελείου στερεοῦ λόγον ἔχειν. ἐν γὰρ τῇ μονάδι σημεῖον λογίζεται· ἐν δὲ τῇ δυάδι γραμμή· ἐν τῇ τριάδι ἐπιφάνεια· ἐν δὲ τῇ τετράδι σῶμα φύσει στερεόν. ἔνθεν τοι τῇ τε παντὸς τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ σωματικοῦ κόσμου γενέσει ὁ ἀριθμὸς οὗτος ἀρχὴν δεδωκέναι δοκεῖ. ἡ γὰρ τῶν στοιχείων τετράς, ἐξ ὧν τὸ πᾶν τοῦτο δεδημιούργηται, ἐκ τοῦ τῆς τετράδος ἀριθμοῦ ὥσπερ ἀπό τινος ἐξεχύθη πηγῆς. ἅπασα δ' ἡ τοῦ κόσμου κατασκευὴ εἰς τέσσαρα μέρη διῄρηται, ἀνατολήν, δύσιν, ἄρκτον καὶ μεσημβρίαν, ὅθεν τέσσαρες οἱ πρῶτοι πνέουσιν ἄνεμοι, εὖρος καὶ ζέφυρος, νότος τε καὶ βορέας. ἐν ἑκάστῳ τῶν σωμάτων, σημεῖον, γραμμή, ἐπιφάνεια καὶ ὕψος ἐστί· καὶ πάλιν, ἄνω, κάτω, δεξιά, ἀριστερά. ἐν ἑκάστῳ πράγματι, ὑπόστασις, φύσις εἴτε οὐσία, δύναμις καὶ ἐνέργεια. τὰ κατὰ φύσιν συνεστῶτα τέσσαρσι διοικεῖται κινήσεσιν, ἀναβάσεως, καταβάσεως, τῆς κύκλῳ φορᾶς καὶ προόδου. τέσσαρα ὑπ' οὐρανοῦ τὰ κάτω δέχεται, φῶς, ἐπιρροήν,

---

[6]) Cfr. Vol. III.192: „D. Augustinus ... (Tract. in Io. IX, P.L. 35.1465) post D. Cyprianum (De montibus Sina et Sion P.L. 4.411-412) dixit, sic (sc. Adam) illum (sc. hominem) fuisse appellatum, quod terra illa, ex qua compactus formatusque fuit homo ille, ex quattuor mundi partibus sumpta fuerit, quae in quattuor eius nominis litteris exprimuntur in lingua graeca A: Ἀνατολή: oriens, Δ: Δύσις: occidens, A: Ἄρκτος: aquilo, M: Μεσημβρία: meridies. Ex lingua tamen hebraica non satis hoc exploratum est; nocere tamen nihil potest si credatur, etiamsi verum non sit". Eadem nominis Adam explicatio reperitur vol. IV.494, ubi vero sanctus auctor neque fontem neque vanitatem explicationis notat. Quattuor mundi plagae ut mysticae numerologiae placita apud S. Laurentium recurrunt V.1. 488-489; V.2.151, 154; VII.61: „hodierna Evangelii parabola est sicut cosmographia, quam dicunt mundi mappam in qua non quattuor mundi partes, Asia, Africa, Europa et America descriptae sunt ..." cfr. pag. 166; IX.583; X.1.377. Loci conferendi: Oracula Sibyll. II.195, III.26, VIII.321 et XI.3 de quibus agit Dornseiff pag. 137-138; Ambr., De Abrah. II.9, P.L. 14.487; Aug., In Io. XVII.5, P.L. 35.1530, In Ps. 110, P.L. 37.1463; Serm. de temp. 252.10, P.L. 38.1178; Bungus pag. 217-218, 244-245.

[7]) Cfr. Vol. V.1.489; VII.166: „a quattuor ventis (Mt. 24.31) ... idest ab omnibus mundi plagis; hebraismus enim hic est, peculiaris tropus et phrasis Scripturae"; memorantur quattuor venti in S. Script. apud Ezech. 37.1-2; Dan. 7.2; insuper conferendi Aug. Epist. 55.25, P.L. 33.217; Serm. de temp. 252.10. P.L. 38.1178. Agrippa pag. 132, Bungus 202, 218; F. Dornseiff, pag. 74-75.

[8]) Cfr. not. 2 supra; Agrippa pag. 133: „Totam mathematicam complectitur (quaternarius) sc. puncto, linea, planitie et profunditate".

[9]) Hanc enumerationem nusquam alibi repperimus.

[10]) Hanc quoque seriem nullo alio loco invenimus.

[11]) Alii (Philo, Clem. Al., Mart. Cappella) sex enumerant motus, cfr. Delatte pag. 236; Agrippa autem ponit (pag. 132): „Quattuor sunt in natura motus scil. ascendens, descendens, progrediens, circularis".

[12]) Cfr. vol. III.99: „(Deus) coelo motum lucemque tribuit, quibus in terram agens entia generat ... Lux autem ... coeli motu circumlata diem noctemque efficiebat" (en tempus!); III.82: „nihil enim terra nisi coeli influxibus foecundata producit, quemadmodum nec femina parere nisi concepto virili semine potest". Locum parallelum huc afferre non possumus.

Tempora vel temporum vices quattuor: ver, aestas, autumnus et hiems [1]. Deinde quattuor potentiis sive primis qualitatibus elementa in mixta coeunt, scilicet calore et frigore et humore et siccitate [2]. Ex istis quattuor simplices fiunt temperaturae: calida, frigida, humida et sicca; et quattuor coniugatae: calida et humida, calida et sicca, frigida et humida, frigida et sicca [3]. Exinde quattuor oriuntur substantiae: corporea mere mixta, vegetativa, sensitiva et rationalis [4]. Vegetativa (substantia) quattuor sortita est potentiis: appetitrice, retentrice, digestrice et expultrice [5]. Sensitiva itidem quattuor: sensu exteriore et interiore, concupiscibili et irascibili [6]. Rationalis habet potentiam intellectivam, qua ad simplicia se applicat, cogitativam, qua ratiocinatur, volitivam, qua vult et eligit, memorativam, qua reminiscitur [7].

En quomodo quaternarius numerus amorosae est naturae, semper beneficus, quippe quo Deus se diffudit in creaturas, quare per tetragrammati notatur nomen [8].

Quaternarius denarii, perfectissimi numeri, principium

Ad haec numerus hic absolutum omnium numerorum principium, fons atque radix dici potest. Denarii enim, perfectissimi numeri [9], principium et fons est, vel potius quod denarius actu, id quaternarius virtute existit. Si enim ab uno ad quattuor numeri computentur, denarium conficiunt, qui infinitatis

---

[1]) Cfr. vol. III.533: „Hebraei sex anni tempora distinguunt ... Nos vero quattuor tantum anni tempora assignamus: ver, aestatem, autumnum et hiemem"; V.2.159: „(caritas) efficit quattuor tempora: perficit quattuor cardineas virtutes"; insuper V.1.489; VI.322; VII.61; IX.583; comparandi: Theon. Smyrn., Expos. Rer. Math., ed. Hiller, Lipsiae (Teubneri) 1878, pag. 98. Philo, De Opif. Mundi 16 (52), De Plant. Noe 28 (120); Ambr., De 42 Mans. P.L. 17.11; Aug., Epist. LV.25, P.L. 33.217, Serm. de temp. 252.10, P.L. 38.1178; Agrippa pag. 132; Bungus pag. 214.

[2]) Cfr. vol. III.218: „Confluxerunt autem elementa non absque suis viribus et qualitatibus praesertimque primis, quae sunt: calor, frigus, humor et siccitas". Subtilius hac de re agitur III.167-168; symbolice VI.523; IX.583; comparandi: Diels-Kranz, o.c. I.58 (45) B.1.a; Macrob., In Somn. Scip. I.6.23-33; Aug., De div. qu. LVII, P.L. 40.40. Reuchlin fol. XLIII^r; Agrippa pag. 132; Bungus 202 sqq.

[3]) Cfr. vol. III.219-220: „cumque quattuor sint ex quibus temperamentum absolute conficitur, singulorum exuperatione quattuor simplices fiunt temperaturae: calida quidem, in qua calor frigori antecellit: humoris autem et siccitatis aequalitas est; frigida, in qua etc.... humida ... sicca ..." „Paribus his, quae in altera oppositione sunt, contrariis, sunt et quattuor aliae, quae coniugatae temperaturae dicuntur, quae duorum simplicium exuperantia processerunt. Hae sunt: calida et humida; calida et sicca; frigida et humida; fridiga et sicca".

[4]) Cfr. Vol. I.52: „Sunt namque quattuor genera rerum, haec habent esse, illa etiam vivere, alia etiam sentire, tandem alia intelligere"; comp. I.211; III. 83, 215, 436-437; V.2.261; VI.367 et 562; VII.277; VIII.207; IX.535-536. Agrip. pag. 132; Bung. pag. 221 (subsistentia, viventia, sensibilia, rationalia)

κίνησιν καὶ χρόνον. καιροί, ἢ καιροῦ καταστάσεις, τέσσαρες, ἔαρ, θέρος, φθινόπωρον καὶ χειμών. ἐντεῦθεν τέσσαρσι δυνάμεσιν (5v.) ἤτοι πρώταις ποιότησι τὰ στοιχεῖα πρὸς τὰ μικτὰ συντρέχει, τῷ τε θερμῷ καὶ τῷ ψυχρῷ καὶ τῷ ὑγρῷ καὶ τῷ ξηρῷ. ἐκ τούτων αἱ τέσσαρες ἁπλαῖ κράσεις γίνονται· θερμή, ψυχρά, ὑγρὰ καὶ ξηρά· καὶ τέσσαρες μικταί· θερμὴ καὶ ὑγρά· θερμὴ καὶ ξηρά· ψυχρὰ καὶ ὑγρά· ψυχρὰ καὶ ξηρά. ἐντεῦθεν τέσσαρες γίγνονται οὐσίαι· σωματώδης μόνον μικτή, θρεπτική, αἰσθητικὴ καὶ λογική. ἡ θρεπτικὴ τέσσαρας εἴληχε δυνάμεις, ὀρεκτικήν, καθεκτικήν, πεπτικήν τε καὶ ὠστικήν. ἡ αἰσθητικὴ ὡσαύτως τέσσαρας, τὴν ἔξω αἴσθησιν, τὴν ἔνδον, τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ τὸ θυμικόν. ἡ λογικὴ νοερὰν ἔχει δύναμιν, ᾗ τοῖς ἁπλοῖς ἐπιβάλλει· διανοητικήν, ᾗ συλλογίζεται· θελητικήν, ᾗ βούλεται καὶ προαιρεῖται, καὶ μνημονικήν, ἥπερ ἀναμιμνήσκεται. ἰδοὺ πῶς [ὁ] τετραδικὸς ἀριθμὸς ἀγαπητικῆς ἐστι φύσεως, διαπαντὸς εὐεργετικός, ᾧπερ ὁ θεὸς ἐκκέχυται εἰς τὰ κτίσματα· διὸ τῷ τοῦ τετραγραμμάτου σημειοῦται ὀνόματι. πρὸς τούτοις ὁ ἀριθμὸς οὗτος ἀπόλυτος πάντων αἰτία, πηγή τε καὶ ῥίζα δύναται λέγεσθαι. τῆς γὰρ δεκάδος, τοῦ τελειοτάτου ἀριθμοῦ, αἰτία τε καὶ πηγή ἐστι μᾶλλον δέ, ὅπερ ἡ (6r.) δεκὰς ἐνεργείᾳ, τοῦθ' ἡ τετρὰς δυνάμει καθέστ[ηκε] εἰ γὰρ ἀπὸ τῆς μονάδος πρὸς τὴν τετράδα οἱ ἀριθμοὶ ἀναλογίζοιντο, τὴν δεκάδα

---

5) Cfr. Vol. VII.103: „... hinc namque praedita est (natura) non tantum vi appetitrice, retentrice et digestrice, sed etiam expultrice."

6) Cfr. Vol. VI.367: „duodecim gemmas habet (anima) quinque sensus exteriores, quattuor interiores et tres potentias rationales"; comp. V.1.441; potentiae irascibilis et concupiscibilis commemorantur v.g. III.214; ceteroqui S. Laurentius de triplici animae virtute loqui solet sc. rationali, concupiscibili et irascibili, v.g. VIII.154, 507; IX.410, 452, X.1.53, 237; ib. 339 quattuor enumerantur: intellectus, voluntas, irasc. et concupisc., uti apud Bungum pag. 243.

7) Hanc quoque quadruplicem divisionem in ceteris voluminibus non repperi; bene quidem triplicem sc. in memoriam, intelligentiam et voluntatem, v.g. III.195; V.1.441; V.2.15; VIII.154; 547. Immo III.354 asseritur: „potentiae enim rationales sufficienter per intellectivam et affectivam dividuntur".

8) Cfr. I.417: „quaternarius autem Divinitatis hieroglyphicum est, unde nomen Domini tetragrammaton"; VIII.508: „Sicut quattuor sunt mundi universales causae: efficiens, materialis, formalis et finalis; quattuor elementa ... quattuor hominis esse perficiunt: natura, vita, sensus et intellectus; quattuor virtutes ... etc. ... ita in mystica theologia quattuor sunt nominis divini elementales litterae י, ה, ו, ה, et in theologia symbolica quattuor divina attributa ... et recte quidem quattuor haec attributa quattuor litteris nominis illius ... correspondent". Iam nemo mirabitur, si iterum atque iterum in S. Laurentii operibus offendit quaternarium numerum v.g. V.3.346, 354, 378; VI.16-17, 136, 165, 428; VII.291-292; VIII.1, 15, 39, 419, 712; IX.27, 191 sqq., 342, 360-361, 592, 641. Comparandi Picus, De Rer. Praenot., Opera II.655-656; Agrippa pag. 134: Scala numeri quaternarii: In mundo archetypo: Nomen Dei quadriliterum יהוה; Bungus pag. 225 sqq.

9) Perfectus iam appellatus est denarius a Philolao et Archyta, cfr. Theon Smyrn. o.c. pag. 106; „perfectissimus" vocatur a Nicomacho Geraseno, Introd. Arithm. II.22.1 („τελειότατος"); cfr. not. 3 ad pag. 454 et not. 1 ad pag. 466.

numerorum limes est [1]), ad quem ceu metam quandam circumaguntur ac reflectunt [2]). Nam unum et duo et tria, quae in quaternario virtute continentur, senarium faciunt, numerum perfectissimum, neque deficientem ullo modo, neque abundantem [3]). Quibus si in quaternario actu praesentia quattuor addantur, denarius numerus exoriturus est [4]).

Hinc velut symbolica interpretatione Cabalistae disserunt e tetragrammati nomine decuplam virtutem decem sephirot, idest attributorum Dei, emanare attributaque illa omnia in ipso contineri sicut in quaternario denarius [5]). Perinde etiam e vestimento quattuor cardinalium virtutum [6]) decem legis praeceptorum [7]) perfectio provenit [8]), quaternarius enim congruenter aequitatis ac iustitiae mensura quaedam esse videtur [9]).

Ideo in ineffabili nomine unitas est supposita eo quod unum est et quaternarius quia quattuor litteris est compositum.

Denarius numerus amorosissimus

Ipsae autem litterae e denario sumpserunt initium. Nam prima nominis littera iod est, quae decem valet יהוה ideoque denarius numerus et ipse amorosissimus est. Est enim finis numerorum, citra quem non datur quis

[1]) Cfr. Vol. IX.310: „... denarius enim numerus limes est omnium numerorum"; vide infra not. 1 ad pag. 466.

[2]) Vide infra not. 4 et not. 1 ad pag. 466.

[3]) Vide infra not. 4 et 6 ad pag. 476.

[4]) Hoc loco explicatur id quod saepe in S. Laurentii operibus legimus sc. quaternarium (virtute) continere denarium. Vide v.g. I.417; V.2.88-89; VI.321; VIII.494; 535-536. Ex I.417 patet S. Laurentium novisse fontem huius doctrinae de quaternario denarium continente vel producente, sc. tetractyn Pythagoricam idest quaternarium plenum (cfr. VIII.494: „apud arithmeticos numeros quaternarius plenus denarius est") idest trianguli schemate dispositum sic:

•
• •
• • •
• • • •

Hac de re consule sis Delatte pag. 256-257, ubi indicantur multi loci paralleli, et insuper pag. 172-173, 194-195; ex Patribus afferendi sunt Ambr., De Abrah. II.9, P.L. 14.487; Hier. In Ezech. XII.40, P.L. 25.396; Aug., De div. quaest. LVII, P.L. 40.39 sq. sed praesertim De Musica I.11, P.L. 32.1094. Deinde et Picus, Heptapl., Opera I.51; concl. 56-57, I.112; Reuchlin fol. XXVIII sqq., f. XXIX^v-XXXIX^r; Agrippa pag. 132; Bungus, pag. 196-197, 356-357. Maxime tamen verba S. Laurentii congruunt cum sequentibus ex Philonis De Opif. Mundi 15 (47): „ὃ γὰρ ἐντελεχείᾳ δεκάς, τοῦτο τετράς, ὡς ἔοικε, δυνάμει. εἰ γοῦν οἱ ἀπὸ μονάδος ἄχρι τετράδος ἑξῆς συντεθεῖεν ἀριθμοί, δεκάδα γεννήσουσιν, ἥτις ὅρος τῆς ἀπειρίας τῶν ἀριθμῶν ἐστι, περὶ ὃν ὡς καμπτῆρα εἱλοῦνται καὶ ἀνακάμπτουσι.". Comp. De Plant. Noë 28-29 (123-125). Simillima etiam sunt verba Bungi pag. 196-197: „(quaternarium) ... denarii siquidem omnium absolutissimi causam ac fontem dicere licet. quod nempe actu denarius est, hoc quaternarius videtur esse potentia. Si enim ab unitate, usque ad quaternarium deinceps componantur numeri, denarium conficiunt immensitatis numerorum terminum, ad quem ceu metam circumaguntur ac reflectunt". Quare denarius numerorum meta appelletur, explicabitur in not. 1 ad pag. 466.

ἐργάζονται, ἥτις ὁ τῆς ἀπειρίας τῶν ἀριθμῶν ὅρος ἐστί, πρὸς ὃν ὡς πρός τινα βάσιν περιάγονταί τε καὶ ἀνακάμπτουσιν. ὁ δὲ εἷς καὶ οἱ δύο καὶ οἱ τρεῖς, οἱ ἐν τῇ τετράδι δυνάμει περιεχόμενοι, τὴν ἑξάδα ποιοῦσιν, ἀριθμὸν τελειότατον, οὔτε ἐλλείποντα κατά τι, οὔτε πλεονάζοντα. οἷς ἂν οἱ ἐν τῇ τετράδι τέσσαρες ἐνεργείᾳ ὄντες προστεθῶσιν, ὁ τῆς δεκάδος ἀριθμὸς ἐγερθήσεται. ἐντεῦθεν ὥσπερ ἐπὶ συμβόλον οἱ Καβαλισταὶ διατείνονται ἐκ τοῦ τοῦ τετραγραμμάτου ὀνόματος τὴν δεκαδικὴν τῶν δέκα ספירות τουτέστιν ἰδιωμάτων τοῦ θεοῦ δύναμιν προχεῖσθαι τά τε ἰδιώματα πάντα ἐκεῖνα ἐν αὐτῷ περιέχεσθαι, ὡς ἐν τῇ τετράδι τὸν ἀριθμὸν τῆς δεκάδος. οὕτω δὴ καὶ ἐκ τοῦ τῶν πρώτων τεσσάρων ὑφάσματος ἀρετῶν ἡ τῶν δέκα τοῦ νόμου ἐντολῶν τελειότης προέρχεται, ἡ γὰρ τετρὰς μέτρον τι ἰσότητος καὶ δικαιοσύνης εὐαρμόστως εἶναι δοκεῖ. ἐν γοῦν τῷ ἀρρήτῳ ὀνόματι ἡ ἑνὰς ὑποτέθειται, ὅτι ἕν ἐστι· καὶ ἡ τετράς, ὅτι ἐκ τεσσάρων (6v.) γραμμάτων συνέστηκεν. αὐτὰ δὲ τὰ γράμματα ἐκ τῆς δεκάδος εἰλήφασι τὴν ἀρχήν. πρῶτον μὲν γὰρ τοῦ ὀνόματος γράμμα τὸ ἰῶδ ἐστιν, ὅπερ δέκα δύναται· יהוה. ὁ γοῦν τῆς δεκάδος ἀριθμὸς καὶ αὐτὸς ἀγαπητικώτατός ἐστι. τέλος γὰρ τῶν ἀριθμῶν ἐστιν

---

5) Hoc loco luce clarius apparet librarium hebraicae linguae ignarum fuisse; volens imitari litteram ס per imprudentiam circulum descripsit, quo cancellato, novam litteram paulo meliorem delineavit a dextra prioris, ex quo patet eum a sinistra ad dextram scripsisse, quod linguae hebraicae peritus non facit. Insuper litterae fere omnes deformatae sunt. Peius etiam fecit, cum vocem dividerit per duas rigas; in fine enim r. 14 (f. 6r) legimus ירות, initio r. 15 ספ. Quoquo modo vocem dividere volens primas litteras in r. 14, ultimas vero in r. 15 ponere debuit. De decem Sephirot vide supra not. 3 ad pag. 458.

6) Cfr. Vol. VII.225: „sunt enim quattuor flumina paradisi, quae quattuor cardineas virtutes designabant, quaeque sunt quattuor anuli aurei arcae foederis Domini et quattuor rotae ignei currus Eliae"; V.1.97-98, 106-107; VI.372; VII.234; VIII.666; IX.451, 452, 583, 585; infra not. 8. Quattuor cardinales virtutes, quae iam reperiuntur apud Platonem Republ. IV.6, pag. 428 sqq. inde a S. Ambr., De Paradiso III.14-18, P.L. 14.280-282 in mystica numerologia locum obtinuerunt. Comparandi etiam Philo, Leg. Alleg. 19-24 (63-76); Agrippa, pag. 133; Bungus, pag. 243.

7) Cfr. Vol. V.1.581: „bestia (sc. Apocalypseos) habet ... cornua decem, vis impugnandi decem mandata Dei"; I.492; III.155; V.2.192; VII.91; VIII.477, 533, 537; IX.302, 583; infra not. 8 et 10 ad pag. 486, not. 8 ad pag. 488. Iam Philo decalogum cum perfecto numero denario coniunxit: De Decal. 6 (20) sqq. Vide et Hier., In Ezech. XII.40 P.L. 25.396; Aug. v.g. Serm. de Script. 83.6, P.L. 38.517; Agrip. pag. 153; Bung. pag. 377.

8) Cfr. Vol. VIII.477: „Qui autem sub Evangelio vivunt, quaternario numero (sc. 4000 cfr. Mt. 15.38) describuntur, quia perfectus hic numerus est et denarium virtute continet, hoc enim numero cardinales virtutes continentur, ex quibus decem praeceptorum legis observantia perfecte consurgit"; IX.187: „Currus est igneus Evangelium Christi habens quattuor rotas quattuor cardinalium virtutum, quibus praeditus animus facillime legem divinam servat"; vide et VI.6, 23-25.

9) Cfr. Vol. V.3.240: „figura quadrata est symbolum hominis perfecti, iustitia, prudentia, temperantia et fortitudine praediti". Doctrina de quaternario iustitiae symbolo ab ipso Pythagora repeti videtur cfr. Diels-Kranz 1.58 (45) 4; comparandi etiam Philo, De Opif. Mundi 16 (49): „οὐδ' ἐκεῖνο ἀγνοητέον, ὅτι πρῶτος ἀριθμῶν ὁ τέτταρα τετράγωνός ἐστιν

numerus [1]). Sed denarius coacervatus redit ad unum, a quo initium coepit [2]). Desiderium autem et amor coniungere solent fini, quippe qui desideratus et concupitus movere natus est [3]).

Hinc, ut patet, ipse quoque Deus in solo denario numero requievit sibique complacuit. Revera decimum ab Adam Noe ut amicum suum inter maiores conservavit [4]), et iterum ab isto decimum Abraham maxima familiaritate insignivit [5]); et propter decem iustos se atrocissima Sodomorum piacula remissurum promisit [6]). Et in decem legis praeceptis si ab ultimo incipias, ad decimum, quod totum est caritas, manifestissime pervenies [7]). Et decimum caelum, idest empyreum, fruitioni atque caritati perfectae reliquit immobile et quietissimum [8]). Et in intellectualibus substantiis si ad angelos ascendas ab homine, ad Seraphim, ignem caritatis inspirantia [9]) summaque familiaritate Deo coniuncta [10]), in decimo pervenies gradu [11]). Si vero ceu ab initio inde

---

ἰσάκις ἴσος, μέτρον δικαιοσύνης καὶ ἰσότητος". Cfr. De Plant. Noe 28 (122); Ambr., De 42 Mans. P.L. 17.11; Agrippa pag. 133; Bungus pag. 195.

[1]) Cfr. supra not. 3 ad pag. 454, not. 9 ad pag. 462, not. 4 ad pag. 464; vol. I.51: „...denario, qui finis est multitudinis, suprema sphaera omnium numerorum"; V.1.47: „Numerus autem denarius sphaera est omnium numerorum, omnes continet numeros, nec potest ultra procedi"; VIII.162; comparandi Nicomach. Introd. Arithm. I.24.4; Theon. Smyrn. o.c. pag. 99; Hierocles, In Carmen Aureum 45-58 (apud Mullach, Fragmenta philosophorum Graecorum, Parisiis 1875, I.464); Hultsch. a.c. col. 1088; explanationis gratia exscripsimus quaedam ex S. Augustini libro De Musica I.11, P.L. 32.1094 sq.: „in numerando enim progredimur ab uno usque ad decem, atque inde ad unum revertimur: (intellego: 9, 10, (1)1, (1)2, etc) ac si denariam complicationem persequi velis, ut hoc modo progrediaris, decem, viginti, triginta, quadraginta usque ad centum est progressio (intellego: 1(0), 2(0), 3(0) etc.): si centenariam, centesimam, ducentesimam ... in mille est articulus a quo redeatur. Quid iam opus est ultra quaerere? Vides certe quos articulos dicam, quorum prima regula denario numero praescribitur. Nam ut decem decies habet unum, ita centum decies habent eosdem decem, ut mille decies habent centum. Et ita deinceps quousque libitum est progredi; ibit in huiuscemodi quasi articulis, quod in denario numero praefinitum est". Tandem vide Picum, Apol., Opera I.172; Agrippam pag. 154.

[2]) Agrippa de denario disserens scribit pag. 153: „Hic numerus sicut unitas etiam circularis est, quia coacervatus in unitatem redit, a qua exordium habuit, et ipse numerorum omnium finis est et complementum et principium decadum. Sicut denarius refluit in unitatem ex qua processit, sic omne fluens revertitur ad id a quo habet principium sui influxus. Sic aqua ad mare etc.". Idem tradit iisdem fere verbis Bungus pag. 358; de numeris circularibus secundum arithmeticam antiquam vide v.g. Isid. Etymologiarum lib. III.4, P.L. 82.156; quinarius quoque numerus v.g. circularis appellatur, quia in seipsum multiplicatus in seipsum redit: $5 \times 5 = 25$.

[3]) Sensus verborum mihi videtur: numerus denarius est finis (np. numerorum; nam enumerando progredimur ad decem, deinde revertimur ad unum); atqui finis est amorosus nam movet in quantum est amabilis ideoque amorem inspirat; ergo .... Cfr. Vol. VIII.244: „amor igitur est qui operatur omnia ... nam omne agens agit propter finem, finis autem movet ut amatum et desideratum"; IX.178: „Deus cor amore et desiderio boni movet".

[4]) Cfr. Gen. cap. 5; Sap. 10.4; vol. III.452: „Decimus ab Adam Noe nascitur, vir utique

οὐδ' ἂν περαιτέρω δοθείη τις ἀριθμός· ἀλλ' ἡ δεκὰς συναγομένη εἰς τὸ ἕν, ὑφ' οὗ τὴν ἀρχὴν εἴληφεν, ἐπανέρχεται. τῷ δὲ τέλει ἡ ἔφεσις καὶ ὁ ἔρως ἁρμόζειν φιλεῖ, καὶ γὰρ ὡς ἐφετὸν καὶ ποθητὸν κινεῖν πέφυκεν. ἐντεῦθεν δήπου καὶ τὸ θεῖον αὐτὸ τῷ τῆς δεκάδος καὶ μόνῳ ἀριθμῷ ἐπαναπέπαυταί τε καὶ ἐνηυδόκησε. καὶ γὰρ δέκατον ἀπὸ 'Αδὰμ Νῶε ὥσπερ φίλον ἑαυτοῦ ἐν τοῖς πάνυ διετήρησε. κἀκ τούτου δέκατον 'Αβραὰμ ἑαυτῷ μάλιστα ᾠκειώσατο. καὶ ἐν δέκα δικαίοις τοῖς δεινοτάτοις τῶν Σοδόμων μιάσμασιν ἀφεῖναι ἐπηγγείλατο. κἀν ταῖς τοῦ νόμου δέκα [a]) ἐντολαῖς, ἂν ἀπὸ τῆς ἐσχάτης ἀπάρξῃ, πρὸς τὴν δεκάτην τὴν ὅλην ἀγάπην οὖσαν εἰλικρινῆ καταντήσεις. καὶ τὸν δέκατον οὐρανόν, τουτέστι τὸν ἐμπύριον, τῇ ἀπολαύσει τε καὶ τελείᾳ ἀγάπῃ κατέλιπεν ἀκίνητόν τε καὶ ἠρεμώτατον. κἀν ταῖς νοε-(7r.)ραῖς δέ γε τῶν οὐσιῶν, ἂν πρὸς τοὺς ἀγγέλους ἀναβῇς ἐξ ἀνθρώπου, πρὸς σεραφίμ, τὰ πῦρ ἀγάπης ἐμπνέοντα, καὶ ἄκρως τῷ θεῷ προσῳκειωμένα κατὰ δέκατον καταντήσεις βαθμόν. ἂν δ' ὥσπερ ἐξ ὑπαρχῆς ἐκεῖθεν

[a]) Cod. δὲ.

integer atque perfectus, sicut denarius numerus perfectissimus est". Vide etiam III.492, 501. Comp. Ambr., De 42 Mans., P.L. 17.11.

[5]) Cfr. Gen. 11.10-27; Sap. 10.5; vol. IV.398: „Existimavit philosophus princeps Peripatus (sc. Arist. Ethic. Nicom. VIII.9) non posse inter Deum et hominem intercedere ... familiaritatem ... sed alucinatus est, caecus de sole loqui voluit ... Divina Scriptura opposita docet ..." et inter alia exempla et Noe (pag. 399) et Abraham (pag. 405-406) adducuntur. Vide et II.1.117; VI.514-515; VIII.611; X.1.444.

[6]) Cfr. Gen. 13.12-13 et 18.32.

[7]) Cfr. III.155: „Rabbinus vero Abraham Aben Ezra Super Decalogum et ipse decimum illud caelum ponit. Primum namque praeceptum occultum in tabulis, quod est Diliges Dominum Deum tuum etc. ut in Deuteronomio (6.5) exprimitur, convenire inquit cum coelo, quod nos empyreum dicimus, nobis occulto, quod provenit a corde, omnibus creatis occulto ac soli Deo noto". Cfr. Picum, Concl. 48-49, Op. I.111.

[8]) Paradisum esse in empyreo saepe saepius in S. Laurentii operibus legimus, I.491, 584; III.125-128, 153-156 (v.g. in pag. 154: „Ita quod caelestia corpora decem ponimus: primum et supremum est empyreum, in quo est quies vitaque sempiterna, luce maxima decoratum, qui locus est beatorum convenientissimus, secundum est" etc. ibid.: „supra novem hos caelorum orbes decimum esse caelum, fixum manens et quietum, nedum a nostris creditum est, sed a nonnullis etiam Hebraeorum"; 255-257; V.3.10; VI.143, 206; VII.537; VIII.32, 239, 252, 481, 631; IX.154, 159, 217, 278, 540, 569, 572; X.1.221. De caelesti beatitudine disserit S. Laurentius VII.119; cfr. IX.205: „gloria ... in caritate et summi boni perfecta dilectione consistit"; X.1.228: „Beatitudo quies est desiderii cordis humani".

[9]) De igne ut symbolo caritatis vide V.1.167 sqq.; VI.51 sqq.; de ipsa caritate VIII.541 sqq.; de Seraphim ut hieroglyphico caritatis IX.210 et infra not. 5 ad pag. 480.

[10]) Cfr. Vol. I.267: „(Maria) Deum Dominum suum agnoscit et confitetur, ut sciamus quod ipsa quo familiarius Deo fruebatur, eo magis reverebatur, maiorique cum reverentia colebat; sicut etiam apud Isaiam de Seraphim legimus quod summa cum reverentia coram Deo adstabant"; IX.210 Seraphim „Deo proximi" vocantur; IX.220: „electi, qui erunt in caelo sicut Angeli Dei cum eo (sc. Deo) tanquam amici carissimi familiarissime conversabuntur". Vide et infra not. 11 et not. 4 ad pag. 480.

[11]) Novem esse choros angelorum apud omnes acceptum est inde a Ps. Dion. Areop.,

ordiaris, ad decimum descendes (gradum sc.) hominem [1]), cui nihil aliud ac caritatis eximium bonum Deus imposuit [2]). Unde et ab hominibus decimas requirit [3]), ut caritatis vinculo ipsi copulemur [4]). Itidem primitias exigit [5]), ut ab eis Principium agnoscetur, quo e non esse ad esse perducti sunt. Primitias repetit ut principium numerorum et decimas ut finem [6]). Qui tamen inter istas medius existit, quem diximus quaternarium — ex unitate enim provenit et denarium efficit [7]) — ipsum non requirit. Nam quaternarius quidem beneficus est, denarius vero totus ad caritatem se effert [8]). Primitias exigit Deus ut Principium ipsum esse intellegamus, a quo cum nosmetipsi tum quaecumque possidemus, omne bonum, omne donum provenit [9]), sicut ab unitate quaternarius [10]). Hunc tamen non requirit, sed denarium, qui isto virtute continetur et ex isto ceu e fonte profluit [11]). Deus enim donorum nostrorum non indiget [12]) immo vero horum nobis largitor est [13]), ut eum non propter seipsum solum diligamus [14]) verum etiam ob ea quae nobis dat beneficia [15]) ardentius ferventiusque caritatis vinculo ipsi alligemur. Etenim denarius caritatis ipse est decuma, quam a nobis repetit [16]), nam e dono profunditur [17]), sicut e quaternario oritur denarius. Si vero caritatis amor animarum quaedam analogia existit ac veluti harmonia, utique denario numero omnis geometrica ac arithmetica atque harmonica analogia inest [18]).

De Caelesti Hierarchia, et numerus eorum in numerologia mystica celeberrimus evadit; exempla in S. Laurentii operibus quaere vol. III. 156, 256. Seraphim esse ordinem supremum docet etiam V.2.107: „Lucifer autem de supremo ordine fuit, seraphico, igneo"; comp. supra not. 10 ad pag. 466, infra not. 11 ad pag. 470, not. 4 ad pag. 480. Hoc loco ad obtinendum numerum denarium S. Laurentius angelorum choris addit hominem. Comp. Picus, Concl. 2, I.81; concl. 62, I.112-113; Reuchlin, fol. XVI^r.

1) Cfr. Vol. V.1.135: „Christus est sol iustitiae (Mal. 4, 2), qui in mundano horologio pro salute hominis retrocessit per decem lineas (4. Reg. 20.11; Is. 28.8), quoniam cum esset Deus, factus homo descendit infra novem Angelorum choros"; fere idem reperitur VIII.431; IX.641.

2) Cfr. VII.133: „Non requirit Deus a nobis nisi amorem"; VIII.239: „(Deus) nonnisi caritatem praecipit"; 328: „Sicut enim Deus, cum totus caritas et amor sit, nihil magis desiderat a nobis quam caritatem et veram dilectionem ex animo"; IX.206: „ab hominibus et Angelis non requirit (Deus) nisi Amorem".

3) Cfr. Lev. 27.30; vol. V.2.58-59: „Quilibet christianus debet esse spiritualis sacerdos, ut offerat ... decimas cogitationum suarum, decimas desideriorum, d. verborum, d. operum ... non requirit Dominus omnia a te sed decimas. Da Deo decimam partem eorum quae possides"; vide ibid. pag. 64.

4) Cfr. Vol. I.466: „per caritatem anima unitur Deo"; VIII.238: „omnia enim quae in divina lege mandata sunt ad caritatem ordinantur, quae vinculum perfectionis est (Col. 3.14) hominemque unum cum Deo spiritum efficit (1 Cor. 6.17).

5) Cfr. Exod. 22.29; 35.5; Lev. 23.10.

6) Agrippa pag. 154 (de denario agens): „Hinc (sc. quia Deus in denarium se diffundit) omnia dona divinum quoddam in se habent et in Lege tamquam a Deo propria exiguntur,

ἄρξῃ, πρὸς δέκατον καταβήσει *) τὸν ἄνθρωπον, ᾧ μηδὲν ἄλλ' ἢ τὸ τῆς ἀγάπης ἐξαίρετον καλὸν τὸ θεῖον προστέταχεν. ὅθεν καὶ παρ' ἀνθρώπων δέκατα ἀπαιτεῖ, ἵνα τῷ τῆς ἀγάπης φίλτρῳ αὐτῷ συναπτοίμεθα. ἅμα δὲ καὶ ἀπαρχὰς ἐξαιτεῖται, ἵνα παρ' αὐτῶν ὡς ἀρχὴ γνωρίζηται, παρ' ἧς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήχθησαν. ἀπαρχὰς ἀπαιτεῖ ὡς ἀρχὴν ἀριθμῶν, καὶ δέκατα ὡς τέλος. τὴν δὲ τούτων μεταξύ, ἣν ἔφημεν τετράδα, ἐκ γὰρ τῆς μονάδος αὕτη προέρχεται καὶ τὴν δεκάδα ποιεῖ, οὐκ ἀπαιτεῖ· ὁ γὰρ τῆς τετράδος ἀριθμὸς εὐεργετικός ἐστιν· ἡ δὲ δεκὰς ὅλη πρὸς ἀγάπην ἐπτέρωται. ἀπαρχὰς ἀπαιτεῖ θεός, ἵν' ἀρχὴν αὐτὸν ὄντα νοήσωμεν, παρ' οὗ αὐτοί τε ἡμεῖς, καὶ ὁτιοῦν ἔχομεν, πᾶν ἀγαθόν, πᾶν δῶρον προέρχεται, ὥσπερ παρὰ τῆς μονάδος ἡ τετράς. ταύτην οὐκ ἀπαιτεῖ, ἀλλὰ τὴν δεκάδα, ἥτις ἐκείνῃ δυνάμει ἐμπεριέχεται, καὶ ἐξ αὐτῆς (7r.) καθάπερ ἐκ πηγῆς πρόεισιν. ὁ γὰρ θεὸς τῶν ἡμετέρων δώρων οὐκ ἐνδεής ἐστιν, ἀλλὰ τούτων ἡμῖν χορηγός ἐστιν, ἵν' οὐχ ὅπως αὐτὸν δι' αὐτὸν ἀγαπῶμεν, ἀλλὰ κἀξ ὧν εὐηργετήμεθα, θερμότερόν τε καὶ διακαέστερον πρὸς αὐτὸν τὸ τῆς ἀγάπης φίλτρον ἀνάπτωμεν. ἡ δὲ δεκὰς αὕτη τῆς ἀγάπης τὰ δέκατά ἐστιν ἃ παρ' ἡμῶν ἀπαιτεῖ, ἐκ γὰρ τοῦ δώρου προχεῖται, ὥσπερ ἐκ τῆς τετράδος ἡ δεκὰς γίγνεται. εἰ δ' ὁ τῆς ἀγάπης ἔρως ψυχῶν τις ἀναλογία καθέστηκε, καὶ ὥσπερ τις ἁρμονία, πάντως τῷ τῆς δεκάδος ἀριθμῷ πᾶσα γεωμετρική τε καὶ ἀριθμητικὴ καὶ ἁρμονικὴ ἀναλογία

*) Cod. καταβήσῃ.

simul cum primitiis, ut rerum primordia, velut principium numerorum et decima quaeque tamquam finis illi reddantur, qui principium et finis est omnium".

[7]) Bungus pag. 38: „Quemadmodum enim unitas habet potentiam quaternarii, uti ex puncto linea, ex linea superficies, ex superficie corpus; et quaternarius vim habet denarii colligendo unitates ..."; ceteroqui comp. supra not. 7 ad pag. 458, not. 2 ad pag. 460, not. 4 ad pag. 464; vol. VIII.567.

[8]) Ex multis locis, in quibus mystice ponit denarium numerum S. Laurentius, maioris momenti quosdam hic notamus: I.337-338; IV.87; V.2.88; V.3.16-17; VII.61, 91-92, 414, 422; VIII.631; IX.302; alios multos in notis praecedentibus iam attulimus, vel in sequentibus adhuc afferemus.

[9]) Cfr. Iacob. 1.17. „Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum".

[10]) Cfr. supra not. 7.

[11]) Cfr. supra not. 7.

[12]) Cfr. Ps. 15.2; Vulg. habet: „bonorum"; LXX: „ἀγαθῶν"; uterque textus male convenit cum textu Hebraico. In ceteris S. Laurentii operibus legimus „bonorum", v.g. III.487; IV.154, 488; V.1.351; V.2.46-47; 293, not. 10; 320; V.3.205; VIII.82, 230, 568.

[13]) Cfr. Vol. V.2.195: „Deus bonorum omnium auctor est et largitor".

[14]) Nihilominus saepe in praedicationibus suis S. Laurentius magnopere cohortatus est homines, ut Deum propter seipsum solum amarent et diligerent; v.g. V.I.188; VIII.240-241.

[15]) Deum etiam esse diligendum ob ea quae nobis largitur legimus v.g. VIII.544; IX.541.

[16]) Deum caritatem a nobis requirere plenius tractat sanctus auctor vol. VIII.565-568.

[17]) Cfr. Rom. 5.5; vol. V.2.159-160.

[18]) Cfr. Vol. VI.516: „ecce vera amicitia, unio animarum"; appellatio „caritatis amor",

Denarius igitur numerus totus est caritatis amicitiaeque abundans. Hinc profecto et Deo, qui totus est amor [1]) atque dulcedo [2]), ineffabile nomen suum ab hoc prorsus amoroso numero initium capere placuit, in quo tota proprietatum eius virtus mirum in modum est reposita [3]).

Quinarius numerus unionem denotat

Post denarium quinarius numerus in nomine sequitur. ה enim littera quinque designat. Hic quoque numerus amorosus est vel potius caritatem perfectamque unionem denotat [4]). Hoc nempe numero comprehenditur quidquid in universo hoc invenitur [5]): Substantia increata, Deus, intellectualis et incorruptibilis et aeterna, sine principio et sine fine [6]); substantia creata et spiritualis et immortalis et aevitaneus: angelus [7]); (substantia) corporea sed simplex et incorruptibilis: caelum [8]); corporea et simplex, sed corruptibilis: elementa [9]); corporea et corruptibilis, quae e simplicium concursu exoritur, mixta omnia atque composita [10]).

Haec omnia in quinario comprehensa optimo quodam vinculo unita sunt. Deus enim angelicis intellectualibusque coniunctus est potestatibus; ipsae autem caelis; isti elementis; haec demum rebus, quae compositione constant. Et movet quidem angelos Deus [11]); angeli autem virtute sua caelos [12]); hi

---

quae infra bis recurrit, invenitur etiam in vol. V.1.450. Sensus huius dicti videtur: si verum est adagium, quod amicitiae vis et natura animarum analogia seu harmonia constituitur, utique denarius numerus amicitiae abundans est; nam omnes analogias atque harmonias complectitur. Denarium geometricam, arithmeticam atque harmonicam analogiam continere est communis doctrina arithmologistarum antiquorum vide v.g. Theon. Smyrn., pag. 106-107. Cfr. Hultsch, a.c. col. 1100-1105; Delatte pag. 195, 215; Philo, De decalogo 6 (20-21), qui tamen idem affirmat de septenario: De Opif. Mundi 37 (107); Boethius, De Arithmetica II.52-53, P.L. 63.1163-1164; Matila Ghyka, o.c. pp. 43-59.

[1]) Cfr. Vol. I.346: „suapte natura Deus totus amor est: Deus caritas est, inquit Ioannes (1. Io. 4. 10)"; IV.31, 37; 43, 180; V.1.147, 168, 182; V.2.61; VI.358; VIII.90, 92, 328, 717; IX.264, 588.

[2]) Cfr. Vol. VI.216: „Deus ipsissima dulcedo et suavitas est".

[3]) Reuchlin fol. LXV^v: „Quod vero Tetragrammaton a Iod coepit, plane nostri causa factum est, ut agnoscamus ipsum esse punctum infinitum et omnis numeri hoc est rei cuiuscumque complementum"; Agrippa pag. 312 „Iod nomen Deitatis" vocat et pag. 127 in „scala unitatis" ab eo ponitur „In Mundo Archetypo": „Jod, una divina essentia, fons omnis virtutis et potestatis, eiusque nomen unica simplicissima litera expressum".

[4]) Ceteroquin S. Laurentius quinarium saepe minus perfectum appellat, prout distat a perfecto senario vel perfecti denarii dimidium existit, cfr. supra not. 4 ad pag. 454; et ideo imperfecta designat, uti v.g. legem Mosaicam cfr. VIII.476, infra not. 3 ad pag. 488.

[5]) Cfr. Vol. VIII.206: „In Psalmo autem 117 quattuor vicibus dicitur: Quoniam in saeculo misericordia eius ... quoniam in universum quattuor sunt genera creaturarum: Angeli, coeli, elementa et mixta generabilia et corruptibilia"; eadem hoc loco enumerantur, ad quae accedit Deus, qui quinarium compleat. Comp. est Macrobius, In Somn. Scip. I.6 (19-20): „Illa vero quinario numero proprietas excepto potentiae ultra ceteras eminentis evenit quod solus omnia quaeque sunt, quaeque videntur esse complexus est", et enumeran-

ἔνεστιν. ὁ γοῦν τῆς δεκάδος ἀριθμὸς ἀγάπης ὅλος καὶ φιλίας ἀνάπλεώς ἐστιν. ἔνθεν τοι καὶ θεός, ὁ ὅλος ὢν ἀγάπη καὶ γλυκασμός, τὸ ἄρρητον αὐτοῦ ὄνομα ἐκ τοῦ διόλου τούτου ἀγαπητικοῦ ἀριθμοῦ ἀρχὴν λαμβάνειν ηὐδόκησεν. ἐν ᾧ ἅπασα ἡ τῶν ἑαυτοῦ ἰδιοτήτων δύναμις θαυμαστῶς ἐναπόκειται. μετὰ δὲ τὴν δεκάδα ἡ πεντὰς ἐν τῷ ὀνόματι ἕπεται. τὸ γὰρ ה γράμμα πέντε διασαφοῖ. καὶ οὗτος δὲ ὁ ἀριθμὸς ἀγαπητικός ἐστι· μᾶλλον δὲ ἀγάπην καὶ ἕνωσιν τελείαν χαρακτηρίζει. τούτῳ γὰρ τῷ ἀριθμῷ ὁτιοῦν τῶν ἐν τῷ παντὶ τούτῳ ἐμπεριέχεται. ἡ ἄκτιστος οὐσιά, ὁ θεός, νοερά τε καὶ ἄφθαρτος καὶ αἰώνιος, ἄναρχός τε καὶ ἀτελεύτητος· ἡ κτιστὴ οὐσία καὶ πνευματική καὶ ἀθάνατος καὶ ἀΐδιος, ὁ ἄγγελος. ἡ σωματώ- (8r.) δης, ἀλλ' ἁπλῆ τε καὶ ἄφθαρτος, ὁ οὐρανός· ἡ σωματώδης καὶ ἁπλῆ, ἀλλὰ φθαρτή, τὰ στοιχεῖα· ἡ σωματώδης καὶ φθαρτή, ἡ ἐκ τῆς τῶν ἁπλῶν συνδρομῆς γιγνομένη, τὰ μικτὰ πάντα καὶ σύνθετα. ταῦτα πάντα ἐν τῇ πεντάδι περιεχόμενα ἀρίστῳ τινὶ συνδέσμῳ συνήνωται. ὁ μὲν γὰρ θεὸς ταῖς ἀγγελικαῖς καὶ νοεραῖς συνῆπται δυνάμεσιν. αὗται δὲ τοῖς οὐρανοῖς· οἱ δὲ τοῖς στοιχείοις· τὰ δὲ τοῖς κατὰ σύνθεσιν συνεστῶσι· καὶ κινεῖ μὲν ἀγγέλους *) θεός· ἄγγελοι δὲ τῇ ἑαυτῶν

*) Cod. ἀν(θρώπ)ους.

tur: „deus summus", „mens ex eo nata", „mundi anima", „caelestia" et „terrena", „et sic quinarius rerum omnium numerus impletur"; Bungus habet quinarium: Deum, Angelum animam, corpus et mundum (pag. 256). In Corp. Herm., XI.2 (ed. I. pag. 147) habetur, quintupla universi divisio: ὁ θεός, ὁ αἰών, ὁ κόσμος, ὁ χρόνος, ἡ γένεσις.

6) Cfr. Vol. I.96 ubi Deus „altissima substantia" appellatur; et III.396: „Persuasissimum quidem est ... Deum substantiam esse, non quidem corpoream, sed incorpoream, immaterialem, spiritualem etc."; V.3.25: „Et quidem necesse est ut in universo ponatur aliqua substantia increata et aeterna..."; IX.567: „Deus noster ... alpha et omega di tutte le cose, A senza A, Ω senza Ω, principio senza principio, fine senza fine..."

7) De Angelis vide III.254 sqq.; IX.156: „Neque enim existimo Angelos, quamvis incorporei sunt, omnino immateriales esse ... (affert testimonium S. Augustini, cfr. P.L. 35.2151) ... nam solus Deus spiritus est omnino incorporeus et immaterialis; vide et VI.634: „omnis creatura aliquid habet materiei, solus Deus spiritus purissimus est".

8) De caeli id est firmamenti natura vide vol. III.157-161; X.1.228: „una tantum caeli forma contenta est; hinc caelum est incorruptibile".

9) De elementis vide supra not. 4 ad pag. 460.

10) Cfr. Vol. III.91, ubi S. Laurentius iure meritoque fulminans contra materiam primam aristotelicam scribit: „Datur ergo materia prima? Quomodo sequitur? Sufficit elementalis massa; dantur enim et crassiora et spiritualiora: haec quidem activa, illa vero passiva magis. Quod si ad rerum generationem haec sufficit, quid illa opus est? Et quidem universus peripatus concedit fieri naturalium quorumcumque generationem ex elementorum mixtione"; vide et pag. 97 sqq.

11) Cfr. Vol. III.156: „Sunt enim novem angelorum chori, quasi mobiles coeli; sed unus est summus chorus, qui cunctos continet ipse immobilis: Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus"; comp. pag. 397; Reuchlin fol. XVI^r: „In secundo namque hoc est sensibili mundo sphaerae novem moventur ab empyreo immobili ... at in primo (sc. mundo invisibili) novem angelorum chori moventur ab immobili Deo". Comp. not. 11 ad pag. 466.

12) Cfr. Vol. V.1.312: „Unus angelus, secundum theologos, movens primum mobile movet

rursus motu suo ac vi et influxu quaternarium elementorum movent atque conservant [1]). Ea demum, mutua mixtione colligata, sua in invicem caritate compositum conficiunt, sed iterum discordia discedentes ab invicem rei mixtione compositae dissolutionem parant [2]).

Tanta caritatis mensura numerus hic excellit.

Componitur autem sive ex uno et quattuor, sive e duobus et tribus. Ita plane et quaternarium compingit unitati et binarium conglutinat ternario.

Perinde utique et tota creaturarum universitas, quae ut supra diximus quaternario numero optime est disposita [3]), proprii principii unitati, e qua indesinenter ac secure pendet [4]), ineffabili quodam vinculo unita est, et iterum huic unitas [5]). Nam et universus rerum ordo in Deo est et Deus in unaquaque rerum praesens atque summe potens invenitur [6]), intimior cuilibet inexistens rei, quam ipsa sibimetipsi [7]), suaque virtute universis esse continenter suppeditat [8]) et operantibus cooperatur, quacumque actionis specie sive spontanea, sive coacta operentur [9]). Sic omnino, si quis illam nominis litteram, quae hunc repraesentat numerum, aspiciat, quotiens litterae huius nota incidatur, id quod dixi ex illius structura quasi pro oculis ponet. Nam ipsa littera duarum compositione exaratur, dalet nempe et iod. Si enim duas has litteras conectas, י scilicet et ד, ה efficias [10]). Valet autem ד quattuor, י vero littera apposita illi et conexa, ceu punctum indivisibile est [11]) et nomine quidem principium seu potentiam significat [12]), prout numerus autem, ut diximus,

---

universum coelum usque ad aeream regionem hanc infernam"; V.2.107: „(coelum) trahit secum suo motu universam sphaeram ignis ... coelum superius trahit secum inferius et primum mobile omnes inferiores orbes. Supra coelum autem natura angelica est, multo potentior, motrix coelestium sphaerarum".

[1]) Cfr. not. 12 ad pag. 460, not. 3 ad pag. 480; insuper vol. III.466 (in Gen. 5.31; perquirit S. Laurentius quare „homines ab Adam ad Noe usque tandiu vivebant"): „Est et alia vitae longitudinis causa, coelestis scilicet influxus solis aliorumque planetarum et astrorum. Vim enim habent in elementa et mixta" etc. Vide et I. 258; Agrippam pag. 203 sqq., 239 sq.

[2]) Hanc Empedoclis doctrinam in dissertatione sua De Principiis Rerum (III.78 sqq.) S. Laurentius non refert, cum Empedoclem commemoret (pag. 79); tantum scribit: „Empedocles et Hippocrates quattuor elementa posuere"; doctrinam Empedocl. quaere apud Diels-Kranz s.v. I.33 (21) B.16 sqq. Loco vocum ἀγάπη et ἔρις ib. reperimus φιλία et νεῖκος. Cfr. etiam IX.501: „gl'elementi sono in continuo moto d'alteratione per la generation de misti". Ad totum locum IX.275: „mundus enim iste veluti scala quaedam est, in qua gradus superior suapte natura dominatur inferiori, ut aqua terrae, aer aquae, ignis aeri, sic coelum superius inferiori, Angelus coelo, Deus Angelis; etiam VI.338 et IX.536-537.

[3]) Cfr. supra not. 7 sqq. ad pp. 458, 460.

[4]) Cfr. Vol. I.210; III.396: „Ipse enim (sc. Deus) prima causa est, a quo coelum et natura omnis dependet"; 400: „Vanitas enim omnis creatura ex seipsa est et ut divinae virtuti iugiter ac indesinenter innitatur necesse est"; VIII.324; IX.539; X.1.404, 489.

[5]) Hanc quinarii proprietatem, quod nempe quaternarium compingit unitati cum in

δυνάμει τοὺς οὐρανούς· οὗτοι δ᾽ αὖθις τῇ ἑαυτῶν κινήσει δυνάμει τε καὶ ἐπιρροῇ τὴν τῶν στοιχείων τετράδα κινοῦσι τε καὶ διαφυλάττουσι. τὰ δὲ τῇ πρὸς ἄλληλα μίξει συνδεδεμένα τῇ ἑαυτῶν ἀγάπῃ τὸ κατὰ σύνθεσιν ὑφεστὸς [a]) ἀπεργάζονται. ἐν ᾧ τῷ δι᾽ ἔριδος αὖθις ἀπ᾽ ἀλλήλων διΐστασθαι ἀνάλυσιν τῷ κατὰ μίξιν συνεστῶτι παρασκευάζουσι· τοσοῦτον ἀγάπης μέτρον ὁ ἀριθμὸς οὗτος περίκειται. συνίσταται δὲ ἢ ἐκ μονάδος καὶ τετράδος, ἢ ἐκ τετράδος καὶ δυάδος. ἔνθεν τοι καὶ τετράδα συνδεῖ τῷ ἑνί, καὶ δυάδα συσφίγγει τοῖς τρισίν. οὕτω πάντως καὶ ἅπασα ἡ τῶν κτισμάτων ὁλότης, ἥτις καθάπερ φθάσαντες εἴπομεν τῇ τετράδι κατῳκονόμηται, τῇ τῆς οἰκείας ἀρχῆς ἑνότητι, ἐξ ἧς ἀπαύστως τε καὶ ἀμελητὶ ἤρτηται, ἀρρήτῳ τινὶ συνδέσμῳ συνήνωται· καὶ αὖθις ταύτῃ τῇ τετράδι ἡ ἑνάς. καὶ γὰρ καὶ ἡ τῶν πραγμάτων ὅλη(8v.)διάθεσις ἐν τῷ θεῷ ἐστι, καὶ θεὸς ἐν ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων παρών τε καὶ ἄκρως δυνάμενος εὕρηται, ἐνδότερόν τι οἱῳδήποτε ἐνυπάρχων πράγματι ἤπερ αὐτὸ ἑαυτῷ, τῇ τε ἑαυτοῦ δυνάμει τοῖς πᾶσι τὸ εἶναι διαπαντὸς ἐπιρρεῖ, καὶ ἐργαζομένοις συνεργάζεται, ὁποιῳοῦν ἂν ἐνεργειῶν γένει τῷ ἐπ᾽ ἐξουσίας ἢ τῷ ἐξ ἀνάγκης ἐργάζοιντο [b]). οὕτω πάντως εἴ τις πρὸς ἐκεῖνο τὸ τοῦ ὀνόματος γράμμα, τὸ τοῦτον εἰσφέρον τὸν ἀριθμὸν ἐπίδοι, ἐπειδὰν ὁ χαρακτὴρ ἐγχαράττηται, τοῦθ᾽ ὅπερ ἔφην ἔκ γε τῆς ἐκείνου κατασκευῆς ὥσπερ πρὸ ὀφθαλμῶν θήσεται. αὐτὸ μὲν γὰρ τὸ γράμμα ἐκ δύο συνιστάται χαραττόμενον, τοῦ τε δάλετ καὶ τοῦ ἰώδ. ἂν γὰρ τὰ δύο ταυτὶ γράμματα συνάψῃς, τό τε י καὶ τὸ ד , τὸ ה ἐργάσῃ. δύναται δὲ τὸ ד τέτταρα· τὸ δὲ י γράμμα προστεθέν τε καὶ συναφθὲν ἐκείνῳ ὥσπερ στιγμὴ ἀδιαίρετός ἐστι. καὶ τῇ μὲν φωνῇ ἀρχὴν εἴτε δύναμιν σημαίνει·

---

[a]) Cod. ὑφεστώς. [b]) Cod. ἐργάζοιτο.

---

antiqua arithmologia (cfr. Delatte pag. 173) tum in mystica numerologia recurrit, ut patet ex his, quae scripsit Bungus pag. 255: „sed materia et forma quinarium simul adimplent; materia n. quaternitas quaedam est, et quattuor elementorum, simplicissimorum mundi corporum complexio; forma vero unitas quattuor elementis pacem imponens; ex quo fit ut quinarius numerus sit metrum compositionis omnium sensibilium substantiarum"; comp. Platonis Tim. pag. 36-37.

[6]) Cfr. Vol. I.210 praesertim tamen III.394-400.

[7]) Cfr. Vol. III.400: „Deus ... rei cuilibet intimius est quam res sibi ipsi".

[8]) Ibid.: „rei unicuique dat esse et quamlibet conservat in esse".

[9]) Cfr. III.359: „et omnis quidem res operatur sed simul concurrente Deo ad talem operationem ... unde (Deus) cum causis necessariis necessario operatur secundum suam ordinationem, cum contingentibus contingenter, cum naturalibus naturaliter, cum liberis libere".

[10]) Notandum ה litterae figuram, quam dicere videtur S. Laurentius, esse illam, quam exhibet v.g. J. Buxtorfius, Thesaurus Grammaticus Linguae Sanctae Hebraicae Ed. 6 recogn. J. Buxt. Filio, Basileae 1663, pag. 2, tab. col. 3.

[11]) Cfr. not. 2 et 6 ad pag. 454, not. 3 ad pag. 470.

[12]) Prima vocis יוד significatio eadem videtur ac vocis יד, id est „manus"; deinde metaphorice significat „potestas" sive „potentia", cfr. I. Broydé, art. Yod, The Jew. Enc.

decem valet. En quomodo in quaternaria omnium creaturarum dispositione medium illud appositum unicum et simplicissimum principium inventum est [1]), et ut punctum maxime quidem indivisibile, virtute tamen omnem continens perfectionem [2]), sicuti sane et in numeris denarius [3]). Si insuper autem istae duae litterae in unius tertiae ה videlicet concurrunt compositionem, ita ut sine altera altera esse non possit — at certe separatae litterae perspiciuntur et consistunt, י enim ד non est copulata, sed apposita et adiecta, — perinde, puto, et creaturarum cuique per se consistendi copia non est [4]), sed in ipsa inexistere Deum omnino oportet, praesentialiter et essentialiter et potentialiter [5]), ita ut Deus sit in creatura et creatura in Deo; natura profecto ab invicem distant, neque enim creatura Deus est, neque Deus creatura simpliciter esse potest [6]).

Constat autem alia ratione numerus hic e binario et ternario, et est ternarius binario conexus, aut vice versa, aut simul uterque. Deus nempe trinitas est, (hoc gaudens numero [7]), omnis vero creatura duobus dumtaxat quibusdam elementis constituitur: sive materia et forma, sive substantia et accidentibus, sive genere et differentia, sive essentia et esse, sive demum habitu et privatione [8]). Ita caritatis vinculo binarius et ternarius uniti sunt, sicut supra de unitate et quaternario disserebamus.

Deinde autem et summum caritatis hieroglyphicum quodammodo numerus hic involvit, quippe qui inter masculum et femineum medius existit. In numeris enim impar masculus censetur, par vero femineus [9]). Atqui primus inter im-

---

XII.618 col. 1; legimus apud Hieronymum, In Lamentationes Jeremiae Tract., P.L. 25. 790: „Ioth sonat principium in latina lingua". De hoc mystico alphabetae usu vel abusu vide F. Dornseiff, o.c. pag. 20-35 (ad pag. 24-25, 34 comp. S. Laur. Op. Vol. X.1.219-220).

[1]) Cfr. Vol. IX.605-607: „Delectatur Deus medio, delectatur Christus ... (exempla) ... Sic medius locus in Scripturis Sanctis Dei proprius est ... Est Deus in mundo in medio uniuscuiusque rei ... ipse enim dat omnibus esse ... (alia exempla); de medii loci praestantia vide etiam vol. V.2.362-363, 455; VII.276. An alludat S. Laurentius hoc loco ad nexum qui existit in numerologia mystica inter medium locum et numerum quinarium non liquet. Nicom. Geras. apud Photium, Bibliotheca, CLXXXVII, P.G. 103.597, πεντάδα appellat „μέσων μέσην" id est „mediorum medium"; de ea quinarii proprietate vide Delatte, o.c. pag. 156-157, 173, 181; Dornseiff, o.c. pag. 22-23; Reuchlin fol. LII^{v}-LIII^{r}; Agrippam, pag. 137.

[2]) Cfr. Vol. VIII.710, ubi S. Laurentius dictum illud sapientum approbat: „principia sunt minima quantitate et maxima virtute". Comp. not. 2 ad pag. 454.

[3]) Cfr supra not. 3 ad pag. 454.

[4]) Cfr. III.400: „divina manu substracta, quae omnia portat ac sustinet verbo virtutis suae (Hebr. 1.3) omnia in nihilum abirent et omnino deficerent"; cfr. not. 3 ad pag 472.

[5]) Deum esse ubique „potentialiter" vel „per potentiam", „praesentialiter" vel „per praesentiam" et „essentialiter" vel „per essentiam" passim in S. Laurentii operibus legimus,

τῷ δ' ἀριθμῷ, ὡς ἔφαμεν, δέκα δύναται. ἰδοὺ ὡς ἐν τῇ τετράδι τῆς πάντων τῶν κτισμάτων κατασκευῆς τὸ μέσον ἐκεῖνο προστεθέν, ἑνιαία τε καὶ ἁπλουστάτη ἀρχὴ ἐφεύρηται, καὶ ὥσπερ στιγμὴ μάλιστα μὲν ἀδιαίρετος, δυνάμει δὲ πᾶσαν περιέχουσα τελειότητα, καθάπερ δὴ καὶ τῶν ἀριθμῶν ἡ δεκάς. εἰ δὲ καὶ ταυτὶ τὰ δύο γράμματα πρὸς τὴν (9r.) ἑνὸς τοῦ τρίτου, τοῦ ה δηλονότι, συντρέχουσι σύστασιν, ὡς θάτερον θατέρου χωρὶς εἶναι μὴ δύνασθαι· ἀλλ' οὖν διῃρημένα καθ' ἑαυτὰ τὰ γράμματα κατοπτεύεται καὶ μεμένηκε, τὸ γὰρ י τῷ ד οὐ συνήπται, ἀλλὰ προστέθειταί τε καὶ πρόσκειται· οὕτω δήπου κἂν τῶν κτισμάτων ἕκαστον αὐτὸ δι' ἑαυτοῦ μὴ ἐξισχύῃ συνίστασθαι, ἀλλ' ἐνυπάρχειν ἀνάγκῃ πᾶσα αὐτῷ τὸν θεόν, παρόντως τε καὶ οὐσιωδῶς καὶ δυναμικῶς, ὥστε καὶ θεὸν εἶναι ἐν τῷ κτίσματι, καὶ τὸ κτίσμα ἐν τῷ θεῷ, τῇ μέντοι φύσει ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων διίσταται, οὔτε γὰρ τὸ κτίσμα θεός ἐστιν, οὔτε κτίσμα ὁ θεὸς ἁπλῶς εἶναι δύναται. συνίσταται δ' ἄλλως ὁ ἀριθμὸς οὑτοσὶ ἐκ δυάδος τε καὶ τριάδος· καὶ ἔστιν ἡ τριὰς τῇ δυάδι συνημμένη, ἢ τοὔμπαλιν, ἢ καὶ ἅμα ἑκάτερον. ὁ δὲ θεὸς τριάς ἐστι, τούτῳ χαίρων τῷ ἀριθμῷ, πᾶν δὲ κτίσμα ἐκ δύο τινῶν γοῦν συνίσταται, ἢ ἐξ ὕλης καὶ ἐντελεχείας a)· ἤτοι ἐξ ουσίας καὶ συμβεβηκότος· ἢ ἐκ δυνάμεως καὶ ἐνεργείας· ἢ ἐκ γένους τε καὶ διαφορᾶς· ἢ ἐξ οὐσίας καὶ τοῦ εἶναι· ἢ τέλος ἐκ τοῦ κατὰ θέσιν καὶ κατὰ ἀφαίρεσιν. οὕτω τῷ τῆς ἀγάπης συνδέσμῳ ἥ τε δυὰς καὶ ἡ τριὰς ἥνωσθον, ὥσπερ ἀνωτέρω περὶ μονάδος καὶ τετράδος ἐλέγομεν. ἔπειτα δὲ καὶ ἄκρον ἀγάπης (9v.) σημεῖόν τι ὁ ἀριθμὸς οὗτος συνεπιφέρεται, ὅπερ ἄρρενός τε καὶ θήλεος ἵσταται ἀναμεταξύ· ἐν τοῖς ἀριθμοῖς δὲ ὁ ἄνισος ἄρρην λογίζεται· ὁ δ' ἴσος θῆλυ.

---

a) Cod. ἐνδελεχείας.

III.399-400 (fusius); V.2.338; V.3.27; VII.264; VIII.112 n. 9, 302, 431; IX.275, 547.

6) Cfr. VII.370: „... si uti a Deo mundus creatus est, non idem sunt mundus et Deus..."

7) Verg. Eclog. 8.75; vide supra not. 5 ad pag. 458.

8) Ad hunc locum confer III.80 sqq. „Naturalia vero omnia materia formaque constant" (pag. 85); „omne enim ens vel substantia vel accidens est" (pag. 83); VIII.567: „unumquodque ens naturale philosophis constat ex materia et forma, metaphysicis ex genere et differentia (cfr. X.1.31); VIII.105: „Deus ... ens non compositum ex actu et potentia, privatione et habitu".

9) Cfr. V.2.446: „Designantur autem Angeli duali numero ... homo vero per unitatem .. Angeli per sexum femineum minus nobilem (sc. per Mariam et Martham Io. 11.1-45) homo autem per masculum (sc. Lazarum ibid.) nobiliorem ratione divinae incarnationis"; ipsa doctrina repetitur a Pythagora cfr. Diels-Kranz I.58 (45) B.2, 5. Recurrit sexcenties in traditione arithmologica cfr. Delatte 168. Quare par numerus sit femineus subtilius explicatur v.g. a Plutarcho, De E apud Delphos VII (388 A-B), a Bungo pag. 252. Libet exscribere verba Agrippae: „Quinarius numerus haud parvae est potentiae, constat enim ex primo pari et impari, tamquam ex foemina et masculo, impar enim numerus mas est, par vero foemina" (pag. 137).

pares ternarius, inter pares binarius [1]. Iam vero ex amborum virtute quinarius constituitur. Quale caritatis vinculum societatis masculi et feminei [2].

Senarii numeri perfectio

Quinarium excipit senarius. Tertia enim nominis littera vau est יהוה. Haec autem littera ו, quatenus numerum denotat, sex valet. Senarius post unitatem primus occurrit perfectus [3]. Ex omnibus enim partibus suis constitutus conspicitur. Nam et sexies unum, et ter duo, et bis trina senarium perficiunt [4]. Hic porro solus numerorum ab uno usque ad decem perfectus ac valde beneficus est. Etenim quidquid a Deo creatum est senario dispositum provenit. Itaque sex diebus universus hic mundus aptissime praeparatus est [5]. Nam quomodo senarius numerus secundum partes suas bene est dispositus, neque deficiens ullo modo, neque vero abundans, sed aeque et apte se habet suisque partibus et potentiis constat atque fulcitur, alterius nullius indigens auxilio [6], ita sane et mundus propriis potentiis et partibus perfecte consistit, ut neque deficiatur ullo necessariorum, neque iterum immodicum quid sufferat, neque vero alienis indigeat auxiliis [7].

---

[1]) Unum enim non putabatur numerus; vide supra not. 4 ad pag. 456.

[2]) Alii quinarium matrimonium nuncuparunt, v.g. Mart. Capella, De Nuptiis Mercurii et Philologiae VII.735; locos parallelos indicat Delatte pag. 168, vide et pag. 152-153; Agrippa pag. 137: „numerus connubii appellatur Pythagoricis ... est sigillum Spiritus Sancti et nexus omnia ligans"; Bungus pag. 251: „Quinarius ex his (sc. binario et ternario) compactus matrimonium nuncupatur". Forsan S. Laurentius vitaverit ne hoc faceret, cum infra senarium sic appellaturus esset. Comp. not. 2 ad pag. 480.

[3]) Cfr. Vol. I.575: „Angeli enim per duodecim alas Seraphim apud Isaiam (6.2) designantur, in duos divisi ordines assistentium et ministrantium. Quilibet ordo perfectus est, ideo senario numero, qui primus est perfectorum, describitur"; comp. V.1.440; VIII.449: „Sex alas habet Seraphim ... Senarius autem numerus perfectus est et primus perfectorum"; VIII.476; IX.51; IX.585: „Di piu questo celeste numero (12) e composto di due numeri primieramente perfetti, cioe di due sestini". Ulteriora quaere in not. seq.

[4]) Cfr. Vol. IX.585. Numerus perfectus in arithmologia antiqua (inde ab Euclide, fl. c. 300.a.C., Elementa IX.36, ed. J. L. Heiberg, Euclidis opera omnia, Lipsiae (Teubneri) 1884, II.408) vocatur numerus qui aequat summam suarum partium, earum nempe, quae multiplicatae numerum istum consummant; sic unum est pars senarii nempe pars sexta, et duo pars tertia, et tria dimidia, sed quattuor certa quidem ratione senarii pars dici potest, at non dici potest quota pars, cum bis quattuor octo iam conficiat; ergo quaternarius numerus multiplicatus non consummat sed excedit senarium. Doctrina haec apud omnes fere arithmologistas et numerologistas recurrit, quando senarium numerum commemorant; locos indicat Delatte pag. 168, (173); vide et Dickson o.c., qui Hebraeorum quoque et Arabum testimonia affert, sed et nostrorum multorum, qui sive ante sive post a. 1586 de re arithmetica scripserunt (pag. 3-33); patet senarium solum in numeris ab uno usque ad decem hac ratione perfectum esse, ut addit S. Laurentius, et accuratius demonstrat Augustinus, De Gen. ad lit. IV.2, P.L. 34.296 sqq. Secundus numerus hac ratione perfectus est 28, tertius 496, quartus 8128 etc. Vide et infra not. 6.

[5]) Cfr. Vol. I.417: „semisse deficiebat (Maria) a senario, qui perfectus est numerus et perfectorum primus, unde sex diebus perfecit Deus opus mundanae creationis"; IX.210:

πρώτιστος δ' ἐν τοῖς ἀνίσοις ὁ τριαδικός, ἐν τοῖς ἴσοις δὲ ὁ δυαδικός· ἐκ δὲ τῆς ἀμφοῖν δυνάμεως ὁ πενταδικὸς συνίσταται· πόσον ἀγάπης φίλτρον κοινωνίας ἄρρενός τε καὶ θήλεος. μετὰ τὴν πεντάδα [i]) ἡ ἑξὰς ἕπεται. τὸ τρίτον γὰρ τοῦ ὀνόματος γράμμα υαοῦ ἐστι יהוה. τοῦτο δὲ τὸ γράμμα ו ἕξ ὅσον ἥκει ἐς ἀριθμὸν δύναται. ὁ δὲ ἑξαδικὸς ἀριθμὸς μετὰ τὴν μονάδα πρῶτος ὑπαντᾷ τέλειος· ἐκ γὰρ πάντων τῶν ἑαυτοῦ μερῶν συνεστὼς κατοπτεύεται. καὶ γὰρ καὶ ἑξάκις ἕν, [k]) καὶ τρὶς δύο, καὶ δὶς τρία τὸν ἑξαδικὸν καθιστῶσιν.· οὗτος δὲ μόνος τῶν ἀριθμῶν ἀπὸ τοῦ ἑνὸς μέχρι τῶν δέκα τέλειός τε καὶ μάλα εὐεργετικός ἐστι. καὶ γὰρ ὃ τί-ποτε παρὰ θεοῦ δεδημιούργηται τῇ ἑξάδι διατεθὲν προῆλθε. καὶ γοῦν ἐν ἕξ ἡμέραις ἅπας ὁ κόσμος οὗτος ἁρμοδιώτατα κατεσκεύασται· ὥσπερ γὰρ ὁ ἑξαδικὸς ἀριθμός, κατὰ τὰ ἑαυτοῦ μέρη εὖ διατεθειμένος, οὔτ' ἐλλιπὴς κατ' οὐδέν ἐστιν, οὔτε μὴν πλεονάζων, ἀλλ' (101.) ἴσως τε καὶ εὐαρμόστως διάκειται, τοῖς τε ἑαυτοῦ μέρεσι καὶ δυνάμεσι συνίσταταί τε καὶ ἐπερείδεται, οὐδενός τινος ἄλλου προσδεόμενος βοηθήματος, οὕτω δὲ καὶ ὁ κόσμος ταῖς ἑαυτοῦ δυνάμεσί τε καὶ μέρεσι τελείως συνίσταται, ὡς μηδ' ἐλλιπὴς εἶναι κατά τι τῶν ἀναγκαίων, μήτ' αὖ περιττόν τι ὑφίστασθαι, μήτε μὴν ἀλλοτρίων προσεπιδεῖσθαι βοηθημάτων.

---

[i]) Cod. τετράδα. [k]) ἕξ, καὶ ἕν,

„...et si senarius numerus perfectionem significat, sicut sex diebus Deus mundum perfecit"; vide et VI.344; 487. Comparandi: Philo, De Opif. Mundi 3 (13-14), 30 (89); Aug., De div. qu. LVII, P.L. 40.42. De Gen. ad lit. IV.2, P.L. 34.298; De div. quaest. 57, P.L. 40.42; De Civ. Dei XI.30, P.L. 41.344; Agrippa pag. 139; Bungus pag. 268.

[6]) Numerus deficiens est numerus, qui ad perfectionem, de qua supra disseruimus in nota 4, non pervenit, cum nempe non habeat tales partes „quotas", quae simul sumptae numerum cuius partes sunt consummare possint; numerus vero abundans tales partes habet, ut summa earum ipsum numerum excedant. Loci comparandi iidem sunt ac supra in not. 4 indicati; subtiliorem explicationem invenies apud Aug., De Gen. ad lit. IV.2, P.L. 34.296 sqq. Exempla rem illustrent: $4=4\times1$; $4=2\times2$; atqui $1+2=3$; atqui iterum $3=4-1$; ergo 3 a 4 distat 1 ideoque deficiens (gr. ἐλλιπής cfr. Iambl. In Nicom. Arithm. Introd. ed. cit. pag. 32) appellatur vel etiam imperfectus (gr. ὑποτέλειος cfr. Mart. Capella VII.753); $12=12\times1$; 6×2; 4×3; 3×4; 2×6; atqui $1+2+3+4+6=16$; atqui iterum $16=12+4$; ergo 16 quattuor excedit 12 ideoque abundans seu excedens vocatur (gr. ὑπερτελής cfr. Iambl. l.c. vel ὑπερτέλειος Mart. Capella l.c. qui numeros tales latine „ampliores perfectos" appellat. Comparationis gratia dignus, qui describetur, videtur locus Agrippae pag. 139: „Senarius numerus est perfectionis, quia perfectissimus natura in toto numerorum contextu ab unitate usque ad decem, solus ipse adeo est perfectus, ut collectione suarum partium idem resultat, nulla inopia deficiens, nec ulla abundantia superfluus..."

[7]) Cfr. III.204 (in Gen. 1.31): „Etenim singula per se natura bona sunt; at simul omnia, prout universum ipsum constituunt, quodammodo unum et valde bonum sunt idest optimum propter admirabilem ordinem universi"; nihilominus: „nulla sibi sufficit creatura" VIII.497. Agrippa, pag. 139: „Senario enim numero constitutus mundus, neque immodera abundantia superfluus, neque frustratus egensque necessariis".

Deinde numerus hic trianguli praebet figuram; basis enim eius est ternarius, culmen unitas, medium vero binarius [1]). Sic nimirum et mundus e tribus processit personis et tribus illis potentiis ceu fundamento quodam innititur. Deus enim in sapientia fundavit terram, testante Salomone, stabiliens caelos in prudentia, in scientia illius eruperunt abyssi et nubes rore concrescunt [2]). Ab hac autem basi extensio fit ad unitatem. Binarius iste universa natura creata est, uti supra disserebamus [3]). Unitas ad quam tendit ultimus est finis, ad quem omne quod est dirigitur, summum illud dico ac unicum bonum, quod desiderio sui et caritate ad se omnia trahit [4]). En et senarius ad caritatem tendens. Quodsi autem caritatis amor in quadam animarum analogia et consonantia fundata est, consonantissimus factus est senarius, nam e duplici constat analogia, quae nempe diapason omnium consonantiarum consonantissimum, perficit [5]).

Denique illa sacri nominis littera, quae sicut in alphabetico ordine sexta est, ita et prout numeri rationem habet sex valet, hoc munere fungitur, ut sit gluten quoddam verborum ac iunctio, quemadmodum apud nos coniunctio-

---

[1]) Numerorum geometrica dispositio (calculis (gr. ψήφοις) enim primitus calculabatur) in arithmologia antiqua et mediaevali magni momenti puatabatur; antiquissimum exemplum est ipsa tetractys pythagorica, vide supra not. 4 ad pag. 464; si inspiciamus v.g. Boethii De Arithmetica libros II, quibus arithmologia antiqua Medio Aevo tradita est, offendimus lib. II cap. VII (P.L. 63.1122-1123) „Dispositio triangulorum numerorum", cap. VIII ibid. „De lateribus triang. num", cap. IX ibid. „De generatione triang. num."; cap. XX sqq. (ibid. col. 1129 sqq.) agitur „De numeris solidis"; cap. XXX (col. 1137) „De sphaericis numeris"; ulteriora quaere v.g. apud Hultsch a.c. col. 1089; Matila Ghyka, o.c. pp. 60-81. Ipse S. Laurentius alterum geometricae numeri dispositionis exemplum praebet IX.585: „Di piu questo sacro numero (sc. 12) e abondante e il primo crescente, perche pigliando le sue parti aliquote, che sono uno, due, tre, quattro e sei, cresce in sedeci ... quadrato equilatero, che e simbolo hieroglyphico della perfettione". Exemplum celeberrimum dispositionis triangularis alicuius numeri est illud S. Augustini, quo pisces centum quinquaginta tres, qui occurrunt in S. Joannis Evangelio cap. 21.6-11, in triangulum disponuntur ab uno usque ad decem et septem; cfr. v.g. Epist. LV.25, P.L. 33.219-220; In Ps. 49, P.L. 36.571-572; In Ps. 150, P.L. 37.1961; De div. qu. LVII, P.L. 40.39-40; ipsum senarium in trigonum disponit S. Augustinus, De Gen. ad lit. IV.2, P.L. 34.298: „Sicut enim idem numerus (sc. senarius) gradatis partibus suis in trigonum surgit ... ita uno die facta est lux, duobus sequentibus fabrica mundi huius ..... reliquis ergo tribus diebus ea creata sunt quae intra mundum ..."

[2]) Prov. 3.19-20; Videtur S. Laurentius emendasse Vulg. secundum veritatem hebraicam, Margunius vero fideliter transtulisse S. Laurentii lectionem, non tamen absque ulla LXX. reminiscentia. Scripsit enim Margunius „ὁ θεός" uti etiam LXX. habet contra textum hebr. יהוה quocum concordat Vulg.: „Dominus". „γάρ" = enim additum est ut apte S. Scripturae locus opusculo intexeretur. ἐν σοφίᾳ) LXX.: τῃ σοφίᾳ; Vulg. sapientia; Hebr. בחכמה interpr.: in sapientia. ἡτοίμασε) LXX.: ἡτοίμασεν; Vulg. Stabilivit; Hebr. כונן; S. Laurentius vol. V.1.504 eundem locum adducens: stabiliens. ἐν φρονήσει) LXX.

ἔπειτα δὲ ὁ ἀριθμὸς οὑτοσὶ τρίγωνός ἐστι τὸ σχῆμα, βάθρον γάρ ἐστιν αὐτοῦ ὁ τριαδικός· ἄκρον δὲ τὸ ἕν· μέσον δὲ ὁ δυαδικός. οὕτω πάντως καὶ ὁ κόσμος οὗτος ἐκ τριῶν προῆλθε προσώπων, καὶ ταῖς τρισὶν ἐκείναις δυνάμεσιν ὥσπερ ὑποβάθρᾳ τινὶ ἐπερείδεται. ὁ θεὸς γὰρ ἐν σοφίᾳ ἐθεμελίωσε τὴν γῆν, Σολομῶντος μαρτυροῦντος, ἡτοίμασε δὲ οὐρανοὺς ἐν φρονήσει· ἐν αἰσθήσει αὐτοῦ ἄβυσσοι ἐρράγησαν· νέφη δὲ ἐρρύη δρόσῳ. ἀπὸ δὲ τῆς ὑποβάθρας ταύτης εἰς τὴν ἑνάδα ἡ ἔκτασις γίνεται. ὁ δυαδικὸς οὗτος ἅπασά ἐστιν ἡ κτιστὴ φύσις, διττοῖς συνεστηκυῖα συνθέσεως μέρεσι, ὥσπερ ἀνωτέρω ἐλέγομεν. ἑνὰς δὲ πρὸς ἣν ἐκτείνεται τὸ ἔσχατόν ἐστι τέλος, πρὸς ὃ πᾶν ὁτιοῦν ἀπευθύνεται, τὸ-ἄ (ΙΟΝ.) κρον ἐκεῖνό φημι καὶ ἑνιαῖον ἀγαθόν, ὅπερ τῇ ἑαυτοῦ ἐφέσει τε καὶ ἀγάπῃ πρὸς ἑαυτὸ τὰ πάντα ἐφέλκεται. ἰδοὺ καὶ ἡ ἑξὰς πρὸς ἀγάπην τείνουσα. εἰ δὲ ὁ τῆς ἀγάπης ἔρως ἔν τινι τῶν ψυχῶν ἀναλογίᾳ καὶ συμφονίᾳ ἵδρυται, συμφωνοτάτη πέφυκεν ἡ ἑξάς, ἐκ διπλῆς γὰρ ἀναλογίας συνέστηκεν, ἥτις τὸ διὰ πασῶν τὸ πασῶν τῶν συμφωνιῶν ἀποτελεῖ συμφωνότατον. τέλος δὲ τὸ τοῦ ἱεροῦ ὀνόματος ἐκεῖνο γράμμα, ὅπερ ὥσπερ τῇ τῆς ἀλφαβήτου τάξει ἕκτον ἐστίν, οὕτω καὶ ἓξ ὅσον εἰς ἀριθμοῦ λόγον δύναται, ἔργον τοῦτ' ἔχει τὸ ὡς κόλλη τις τῶν λόγων καὶ δεσμὸς εἶναι, ὥσπερ

---

om. ἐν, sed reperitur in Sinaitico m. corr. et in Alexandrino; Vulg.: prudentia; Hebr. במבונה interpr.: in prudentia. S. Laurentius l.c.: prudentia; ἐν αἰσθήσει) Sept. om. ἐν; Vulg. sapientia; Hebr.: בדעמו interpr. in scientia; S. Laurentius l.c. sic habet: Dominus in sapientia fundavit terram stabiliens coelos prudentia sua sive intelligentia sua. αὐτοῦ) LXX. om. αὐτοῦ, (sed add. est in Sinaitico m. corr.) contra Vulg. et Text Hebr.; ἐρρύη δρόσῳ) LXX. ἐρρύησαν δρόσους; Vulg. rore concrescunt; Text. Hebr.: ירעפו־טל interpr.: stillant rorem.

[3]) Cfr. supra not. 8 ad pag. 474.

[4]) Cfr. Io. 12.32; supra not. 3 ad pag. 466. Similes „praestigiae" inveniuntur v.g. apud Mart. Cap. VII.733 (de ternario): „Idem mundana perfectio est; nam monadem fabricatori deo, dyadem materiae procreanti, triadem idealibus formis consequenter aptamus"; Aug., De Musica VI.17, P.L. 32.1193-1194: „Sermonem autem hunc nostrum ... sciant multo infirmioribus haec esse scripta, quam sunt illi qui unius summi Dei ... Trinitatem ... duorum Testamentorum auctoritatem secuti venerantur et colunt eam credendo et diligendo".

[5]) Cfr. not. 18 ed pag. 468, senarius numerus in arithmetica antiqua Harmonia saepe vocatur, cfr. Delatte pag. 156, 200, 205, 219-220; locum hunc explicet Bungus (pag. 267-268): „idcirco forte mater harmoniae dicitur (senarius), quod senarius fuerit primus harmoniae genitor: nam per primum motum, hoc est binarium, collatus 12 facit, inter quos numeros duo medii inveniuntur, id est 8 et 9. Porro 12 ad 6 gignit diapason symphoniam; 9 ad 6 gignit diapente; 8 ad 6 diatessaron producit. Constat praeterea senarius ex proportione dupla, quam inter se proxime continet; ea est 4 ad 2 qui simul iuncti numeri senarium conficiunt ... Est igitur senarius ex dupla proportione, quae diapason conficit omnium consonantissimam"; cfr. Macrob., In Somn. Scip. I.6.43; Agrippam pag. 139: „Totius harmoniae toni sunt sex, videlicet quinque toni et duo hemitonia, quae faciunt tonum unum, qui est sextus" (cfr. Mart. Cap. VII.737). S. Laurentium musicam didicisse et amasse patet ex operibus eius v.g. I.274; IV.325; V.1.479; VI.176, 322-324; VII.525.

nes [1]), eo quod caritatis amor coniunctio est quaedam animarum. Qua ratione et Pythagoras nuptiarum ac generationis veluti hymeneum esse senarium numerum dicebat [2]). Tam infatigabilis — ut ita dicam — amicus est hominis iste numerus, ut ei perpetuo comitetur et ad finem ipsum eum perducat. Nam sex aetatibus vita fruitur parvus mundus, homo, sicuti et magnus mundus, qui quasi magnus homo est, sex aevis complebitur [3]). Similiter et in supercaelesti mundo numerus hic partes quasdam implet, ubi ipsa Seraphim, supremos dico illos spiritus [4]), totos caritate inflammatos atque adeo flammantes [5]) sex alis se velare apud Isaiam leguntur [6]).

Nonne ergo totus amorosus conspicitur hic numerus? Tertius igitur hic in numeris amicabilis invenitur [7]).

Hunc alter quinarius in sacro nomine subsequitur. Quarta enim littera ה. Attamen cum ad altiora et sanctiora mysteria ineffabilis huius nominis ascendendi facultas non sit — non enim citra magnum mysterium illa littera quartum locum obtinuit — in praesens de ea pluribus non utemur verbis,

---

[1]) Revera ו latine „et" interpretari possumus; cfr. etiam Hier., In Lamentationes Jeremiae Tract., P.L. 25.790: „Vau interpretatur et, quod est copulativa coniunctio coniungens praecedentia subsequentibus".

[2]) Sicut quinarius, binario=fem.+ternario=masc. constans, in arithmologia antiqua Matrimonii nomen consecutus est, ita et senarius, qui binario=fem.×ternario=masc. constituitur, Connubium est appellatus. Testimonia quaere apud Delatte pag. 155-156, 200, spec. 235-236; Plutarchus, De E apud Delphos VIII (388 A-B) quinarium viri, senarium vero mulieris coniugio attribuere videtur. Huius loci fons ultimus quasi certe Clem. Alexandrinus aestimandus est, qui scribit: Strom. V.14, P.G. 9.137: „Γάμος γὰρ παρὰ τοῖς Πυθαγορείοις, ὡς ἂν γόνιμος ἀριθμὸς ἡ ἑξὰς καλεῖται". Comp. Strom. VI.16, P.G. 9.365. Vide et Delatte pag. 236-237, 241-242; comparandi etiam Agrippa pag. 139: „hinc a Pythagoricis (senarius) genesi nuptiisque prorsus accommodatus asseritur"; et Bungus pag. 267, qui ad Clem. Al. referens scribit: „Senarium inquit (sc. Clemens) generi ac nuptiis accommodari probant Pythagorici".

[3]) Hominem esse quasi parvum mundum, mundum vero quasi magnum hominem saepe saepius in S. Laurentii operibus legimus; vide: I.155, 258, 336, 340, 356; II.3.14; III. 114, 187, 194, 425; IV.15, 223, 311, 341, 494; V.1.133, n. 11, 282, 294, 505, 513; V.2.40, 63, 88, 367, 384, 402, 414, 473-474; V.3.67, 339; VI.29, 32, 35, 117, 304, 322, 485, 491; VII.5, 283, 418, 511, 512, 515, 521; VIII.87, 170, 219, 242, 281, 285, 312, 324, 423, 451. n. 30, 474, 495 (fusius), 535, 628, 630; IX.36-37, 150, 205, 275, 284, 403; X.1.21, 92, 417. Est astrologiae placitum a Babyloniis repetendum cum mystica numerologia summe coniunctum (cfr. Hopper o.c. pag. IX, 31, 62); in graeca philosophia iam occurrit apud Democritum cfr. Diels-Kranz II.68 (55) B.34; postea Platonis Timaeo freti Stoici dogma hoc elaboraverunt, quod per totum Medium Aevum verum dogma remansit, ut optime patet ex operibus S. Hildegardis a Bingen (1098-1179) cfr. A. C. Crombie, Augustin to Galileo, The History of Science A. D. 400-1650, London and Dunstable 1952 pag. 9; Cabalistis quoque doctrina haec magni momenti erat, cfr. (S. Horovitz), Jozef Ibn Zaddik, Der Mikrokosmos (introd.) Breslau 1903. H. Loewe, art. Kabbala, Hastings Enc. of Rel. and Ethics, Vol. VII, 626, col. 1; G. Scholem o.c. asserit macrocosmi et microcosmi doctrinam omnibus cabalistis

παρ' ἡμῖν οἱ σύνδεσμοι, διὰ τὸ τὸν τῆς ἀγάπης ἔρωτα σύνδεσμον εἶναί τινα τῶν ψυχῶν. καθ' ὃν δήπου λόγον καὶ Πυθαγόρας τῶν τε γάμων καὶ τῆς γενέσεως ὥσπερ ὑμεναῖόν τινα τὸν ἑξαδικὸν ἀριθμὸν εἶναι ἔφασκεν. οὕτω δ' ἀκάματος, ἵν' οὕτως εἴπω, φίλος ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου ὁ ἀριθμὸς οὑτοσί, ὡς αὐτῷ συνομαρτεῖν ἀεί ποτε καὶ ἐς αὐτὸ αὐτὸν τὸ τέλος ἐπάγεσθαι. ἐν ἓξ γὰρ ἡλικίαις τῆς ζωῆς ἀπολαύει ὁ μικρόκοσμος (IIr.) ἄνθρωπος, ὥσπερ δὴ καὶ ὁ μακρόκοσμος, ὅς οἷά τις μέγας ἐστὶν ἄνθρωπος, ἐν ἓξ αἰῶσι πληρωθήσεται. ἴσως δὲ κἂν τῷ ὑπερουρανίῳ κόσμῳ ὁ ἀριθμὸς οὗτος ἔργου τινὸς ἐπιλαμβάνεται, ὅπου γε καὶ τὰ σεραφίμ, οἱ ἀνώτατοί φημι ἐκεῖνοι νόες, ὅλοι τῇ ἀγάπῃ πεπυρσευμένοι, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν πυρούμενοι, ἓξ πτέρυξι καλύπτεσθαι παρὰ τῷ Ἡσαΐᾳ ἀναγινώσκονται· ἆρ' οὖν οὐκ ἀγαπητικὸς ὅλος οὗτος καθορᾶται ὁ ἀριθμός; τρίτος ἄρα οὗτος ἐν τοῖς ἀριθμοῖς φιλικός ἐστι. μετὰ τοῦτον ἑτέρα πεντὰς ἐν τῷ ἱερῷ ὀνόματι ἕπεται. τέταρτον γὰρ γράμμα τὸ ה. ἀλλ' ἐπειδὴ πρὸς τὰ ὑψηλότερά τε καὶ ἱερώτερα τῶν μυστηρίων τοῦ ἀρρήτου τούτου ὀνόματος ἀναβῆναι οὐ πάρεστιν, οὐ γὰρ ἐκτὸς μεγάλου μυστηρίου ἐκεῖνο τὸ γράμμα τὸν τέταρτον χῶρον εἴληχεν, οὐ πλείοσιν ἐπὶ τοῦ παρόντος

---

subtilius tradidisse Isaak Lyria, quem paulo ante S. Laurentium (1534-1572) vixisse Italiamque peragrasse novimus. Hoc dogmate imbuti erant, ut ex operibus eorum apparet etiam christiani pythagoreismi et cabalae cultores ut Picus, Praef., Opera I.8; De Rerum Praenotatione, II.651. Reuchlin fol. II, XX^r, LXX; Agrippa o.c. lib. II. cap. XXVII-XXXVIII. Hoc loco adnotare libet etiam locum quemdam in quo S. Laurentius astrologiam commemorat VI.272, et alterum, ubi de magia loquitur VII.430-439. Restat ut de sex aetatibus quaedam adiungamus; cfr. VIII.503, ubi S. Laurentius sententiam Hebraeorum et quorundam Patrum, Irenaei nempe (Adv. Haer. V.28, P.G. 7.1200) et Lactantii (Div. Inst. VII.14, P.L. 6.779-784) adducit: „Et quia sicut elapsis sex aetatibus, pueritia post infantiam, adolescentia, iuventute, virilitate et senectute, tandem senio confectus moritur homo, ita mundus, qui magnus homo est, post sex aetates interiturus est" et VIII.614, ubi eandem sententiam (adducto quoque Aug. De Civ. Dei. 20, P.L. 41.666-667) refert accuratioribus verbis: „Hinc elucet non satis firmam esse opinionem illam, licet gravium auctorum, quae tradit mundum *sex annorum millibus* duraturum, sicut sex diebus conditus fuit etc." vide et VII.503; IX.503-504: „questo mondo e diviso in sei età d'operazioni e la settima e di riposo (cfr. Mt. 17.1) ...l'homo parimente ha sette età, sei terminate de stabiliti fini, la settima non hara mai fine"; VII.5-6, 158-159; V.1.449. Loci comparandi: Delatte pag. 182-185; Philo, De Opif. Mundi 36 (105); Bungus pag. 654, 278-279.

[4]) Cfr. Vol. VI.52, ubi Seraphim „supremi illi spiritus" vel VII.34 ubi „Angeli supremi" appellantur et VII.263: „spiritus nobilissimos omnium" S. Laurentius eos declarat. Comp. not. 10 et 11 ad pag. 466.

[5]) Cfr. Vol. VI.52: „et supremi illi spiritus, qui apud Isaiam (6.2) throno divinitatis assistunt, Seraphim dicuntur, idest ardentes"; IX.15: „Seraph, quo nomine igniti angeli apud Isaiam (28.19) appellantur"; IV.465; V.1.202, 274, 537; V.2.107; VI.703; VII.148, 200, 272: „ignis, quo Seraphim ardent"; VIII.639; IX.160, 164, 169, 170; X.1.283.

[6]) Is. 6.2; Sex alae Seraphim saepe a S. Laurentio ut symbolum adhibentur, vide vol. I.418, 575; VI.372; VII.108, 173; VIII.87-88, 449, 454; IX.51, 170, 173-174; 193, 210, 451, 463, 626-627.

[7]) Alia praeterea senarii praestantiae exempla in S. Laurentii operibus quaere vol. IV. 235; V.3.223; comp. etiam Picus, Apol., Opera I.174.

praesertim quod quinarii numeri rationem supra iam reddidimus.

Iam vero quattuor numeros amorosos e sacrosancto ineffabilique Dei nomine antehac venati sumus, quaternarium post unitatem, denarium, quinarium et senarium. Sed hoc quoque dignum ut observetur, quod non soli illi simplices numeri caritatis nota sortiti sunt, at praeter eos etiam omnes ex istis compositi [1].

Compositi quoque numeri mysteriis referti

Hinc quadragenarius numerus e quaternario et denario ortus atque constans celeberrimus et sacratissimus est in Sacris Scripturis [2]. Sicut et centenarius, qui e denario in seipsum multiplicato procedens tot laudibus dignus iudicatus est totque in Scripturis continet mysteria [3]. Sed et quinquagenarius pluribus mysteriis cum in Vetere tum in Novo Tetamento consecratus est [4]. Sexagenarius quoque qui e perfecto senario et denario componitur multarum perfectionum laude repletus est [5].

Omnes enim hi numeri sacri simul et benefici amorosique sunt, ad benevolentiam captandam aptissimi et ad gratiam inveniendam opportuni. Unde ergo et illud accidisse mihi videtur.

Explanatio mysticissima numerorum, qui occurrunt in libro Gen. 32.14-15

Iacob scilicet patriarcha cupiens gratiam invenire in oculis Esau fratris sui illumque sibi propitium fieri gestiens [6], misit ei dona his numeris comprehensa ac significata. Capras scilicet ducentas et hircos viginti, ovesque ducentas et arietes viginti in primum donum illi misit [7]. In quibus quaternarius numerus decies ductus est, et hi sunt hirci arietesque; in capris autem et ovibus quater in seipsum multiplicatus est denarius numerus [8]. Post haec vaccas quadraginta una cum decem tauris misit [9]. Hoc rursus donum quinario numero decies ducto, id est quinquagenario continetur [10]. Dein camelos triginta, asinas viginti et pullos earum decem [11]; ubi senarius numerus

---

[1]) Sicut omnes mysticae numerologiae cultores etiam S. Laurentius e compositis quoque numeris mysteria enucleavit; vide v.g. vol. V.1.210: „quadraginta auri talenta ... quod autem videmus hic numerum binarium decuplicatum et quaternarium centuplicatum mysterium est perfectionis geminae caritatis; utraque erat decuplicata perfectissima; virtutum autem cardinalium merita centena erant".

[2]) Cfr. v.g. Vol. V.1.243: „Ieiunat Christus ... quadraginta diebus. Sacratissimus hic numerus est in Divinis Scripturis"; vide et infra not. 9 ad pag. 486. Comp. Picus, Apol., Opera I.173; Bungus, pag. 501-512.

[3]) Cfr. Vol. VII.98: „Haec sunt fructus centesimus, sexagesimus et trigesimus: bona fortunae in hoc mundo fructus trigesimus, bona spiritualia in Ecclesia sexagesimus, bona aeterna in paradiso centesimus"; VII.107: „Tricenarius autem numerus ... incipientium, ... sexagenarius vero ... proficientium, eorum, qui cum denario mandatorum Dei senarium perfectionis adiungunt ... (108) in quorum cordibus seraphica caritas cum sex virtutum alis assistit et volat coram Domino ... tandem centenarius perfectorum est numerus. Comp. Hier., In Ezech. XII.41, P.L. 25.419 (de centenario): „perfectum videlicet

χρησόμεθα περὶ ἐκείνου τοῖς ῥήμασι, ἄλλωστε τὸν τοῦ πενταδικοῦ ἀριθμοῦ λόγον ἀνωτέρω ἤδη ἀποδεδωκότες. ἀμέλει τοι τέτταρας τῶν ἀριθμῶν ἀγαπητικοὺς ἐκ τοῦ πανιέρου καὶ ἀρρήτου τοῦ θεοῦ ὀνόματος φθάσαντες τεθηρεύκαμεν. τὸν τετραδικὸν μετὰ τὴν ἐνάδα, τὸν δεκαδικόν ,(IIv.) τὸν πενταδικόν, καὶ τὸν ἑξαδικόν. ἄξιον δὲ καὶ τοῦτο καταμαθεῖν, ὅτι οὐχ οἱ ἁπλοῖ μόνοι ἐκεῖνοι τῶν ἀριθμῶν τοῦ τῆς ἀγαπήσεως λόγου ηὐμοίρησαν, ἀλλά γε πρὸς τούτοις καὶ πάντες οἱ ἐκ τούτων συγκείμενοι. ἐντεῦθεν ὁ τεσσαρακοστὸς ἀριθμός, ἐκ τετραδικοῦ καὶ δεκαδικοῦ γενόμενός τε καὶ συνεστώς, ἐπισημότατός τε καὶ ἱερώτατος παρὰ ταῖς ἁγίαις εὕρηται γραφαῖς. ὡς δὲ καὶ ὁ ἑκατοστός, ὁ ἐκ τοῦ δεκαδικοῦ εἰς ἑαυτὸν συναχθέντος προερχόμενος, τοσούτων ἐγκωμίων ἠξίωται, τοσαῦτά τε ἐν ταῖς γραφαῖς περιέχει μυστήρια. καὶ ὁ πεντηκοστὸς δὲ πλείοσι μυστηρίοις ἔν τε τῇ παλαιᾷ καὶ τῇ καινῇ διαθήκῃ καθιέρωται· καὶ ὁ ἑξηκοστός, ὃς ἐκ τελείου ἑξαδικοῦ καὶ δεκαδικοῦ συντίθεται, πολλῶν τελειοτήτων ἐπαίνου πεπλήρωται. ἅπαντες γὰρ οὗτοι οἱ ἀριθμοὶ ἱεροί τε ἅμα καὶ εὐεργετικοὶ καὶ ἀγαπητικοί εἰσιν, εἴς τε τὸ τὴν εὔνοιαν θηρᾶσθαι ἐπιτηδειότατοι, καὶ εἰς τὸ χάριν παρ' ἄλλοις εὑρίσκειν ἁρμόδιοι. ὅθεν δὴ κἀκεῖνό μοι ξυμβῆναι δοκεῖ. ὁ γὰρ πατριάρχης Ἰακὼβ χάριν ἐν ὀφθαλμοῖς Ἠσαῦ τοῦ ἀδελφοῦ εὑρεῖν ἐφιέμενος, κἀκεῖνον ἑαυτῷ ἵλεων γένεσθαι εὐχόμενος, (12r.) τοῖς ἀριθμοῖς τουτοισὶν ἐμπεριειλημμένα τε καὶ σημειούμενα δῶρα αὐτῷ ἀπέστειλε. διακοσίας γὰρ αἶγας ἐκείνῳ καὶ τράγους εἴκοσι, πρόβατά τε διακόσια, καὶ κριοὺς εἴκοσιν ἀντὶ πρώτου δώρου ἀπέστειλεν· ἐν οἷς ὁ τετραδικὸς εἰς τὸν δεκαδικὸν συνῆκται. καὶ οὗτοί εἰσιν οἵ τε τράγοι καὶ οἱ κριοί. ἐν δὲ ταῖς αἰξὶ καὶ τοῖς προβάτοις τετράκις εἰς ἑαυτὸν συνῆκται ὁ δεκαδικός. μετὰ ταῦτα τεσσαράκοντα δαμάλεις σύναμα δέκα ταύροις ἀπέστειλε. τοῦτο δ' αὖθις τὸ δῶρον ἐν πενταδικῷ εἰς δεκαδικὸν *) συναχθέντι, τουτέστι τῷ πεντηκοστῷ, περιέχεται. εἶτα καμήλους τριάκοντα, ὄνους εἴκοσι, καὶ δέκα πώλους αὐτῶν. ἐνταῦθα ὁ

*) Cod. ἑαυτὸν.

numerum decadarum decem"; Adv. Jov. I.3, P.L. 23.223-224; Agrippa, pag. 164; Bungus, pag. 572-580.

4) De quinquagenario vide infra not. 8 ad pag. 484. Comp.: Hier., In Agg. II, P.L. 25.1479; Picus, Apol., Op. I.173; Bungus, pag. 531-540.

5) Cfr. supra not. 3. De praedictorum numerorum praestantia, prout in S. Scriptura occurrunt, consule auctores allatos in not. 1 ad pag. 436. Insuper Bungum, pag. 540-547.

6) Cfr. Gen. 32.5 (LXX.6), 33.8, 10, 15.

7) Gen. 32.14 (LXX.15).

8) Sic: 20 hirci + 20 arietes = 40 = 10 × 4; 200 caprae + 200 oves = 4 × (10 × 10)

9) Gen. 32.15 (16) pars 2; δαμάλεις) LXX. βόας; δέκα) Vulg viginti, contra LXX. et text. Hebr.

10) Sic: 40 vaccae + 10 tauri = 50 = 10 × 5.

11) Gen. 32.15 (16) pars 1; om. „fetas cum pullis suis" (LXX. „θηλαζούσας καὶ τὰ παιδία αὐτῶν" concordat cum textu Hebr.) Cameli in S. Scriptura ante vaccas commemorantur.

decies ductus est, in triangularem, ut solet, dispositus figuram, secundum quae supra de eo diximus [1]).

Haec autem convenientissime fecit. Nam primo quidem germani sui, qui ob surreptam benedictionem [2]) mortem illi machinatus est [3]), iram placare volebat [4]). Hac igitur ratione ei donum sub quaternarii numeri beneficio perferendum curavit [5]). Secundo autem gratiam invenire in oculis eius (cupiebat); propterea una cum quaternario denarium quoque mittit, quippe qui caritate gratiisque refertus est [6]). Tertio propitiare eum, ut reconciliaretur sibi, animo proposuit. Unde et tertium donum sub quinquagenario largitur [7]). Nam quinquagenarius numerus in lege remissionis reconciliationisque hieroglyphicum est. Etenim iubilaeus quinquagesimo anno agebatur [8]). Postremo perfectissimo caritatis vinculo coniungi ei ac simul habitare (desiderabat), quapropter et terminavit ita ut sub senario ultima dona mitteret [9]). Recteque senarium, idest in trianguli figuram dispositum numerum, misit, quoniam a Deo in trinitate sentiente discrepans illa sensuum dualitas in unum caritatis vinculum reducenda ac dirigenda erat. Sicuti et senarius numerus in trianguli dispositus figuram, e ternario, qui est basis eius, dyadem divisionis matrem ad unum revocare solet [10]). Et ita omnino accidit. His enim donis Iacob et iratum fratrem propitiavit et gratiam invenit et remissionem consecutus est, et in pace perfecta ac caritate cum eo habitavit [11]).

---

1) Vide not. 1 et 4 ad pag. 478.

Sic igitur:	....		pulli	10
....	....		asinae	20
....	....	....	cameli	30
				$60 = 10 \times 6$

2) Cfr. Gen. cap. 27.1-40.
3) Cfr. Gen. 27.41.
4) Cfr. Gen. 32.20 (LXX.21); 33.10.
5) Sc. 20 hirci + 20 arietes = 40 = 10 × 4.
6) Sc. 200 caprae + 200 oves = 400 = 4 × 10 × 10.
7) 40 vaccae + 10 tauri = 50.
8) Cfr. Lev. 25.10; 27.24; vol. VI.292: (agitur de inferno): „non tantum carcer est sed fornax babylonica, cuius flamma sursum cubitis quadraginta novem ascendit (Dan. 3.47), ad quinquagenarium remissionis numquam pertingens"; VII.183: „flamma cubitis quadraginta novem ascendit, ad quinquagesimum iubilaei et indulgentiae numerum non pervenit"; fere id. VII.191; VIII.67: „Mittitur (sc. Spiritus Sanctus) in festo Pentecostes, quinquagenario die post Pascha, die iubilaei, „quo lege fit remissio", quia venit ad remittendum omnia peccata". Comp. Hil., Prol. in libr. Ps., P.L. 9.238; Ambr., De Noe et Arca 33, P.L. 14.415; Hier., In Ezech. XII.40, P.L. 25.399; In Amos II.5, P.L. 25.1037; Agripp. pag. 163-164; Bungus, pag. 531 sqq. infra not. 11 ad pag. 486.
9) Sc. 30 cameli + 20 asinae + 10 pulli = 60 = 10 × 6.

ἑξαδικὸς εἰς τὸν δεκαδικὸν συνῆκται, τριγώνῳ διατεθείς, ὡς εἴωθε, σχήματι, καθάπερ περὶ αὐτοῦ ἀνωτέρω εἴπομεν· τοῦτο δὲ ἐποίησε πρεπωδέστατα. πρῶτον μὲν γὰρ τὴν τοῦ αὐταδέλφου ὀργήν, ὃς διὰ τὴν ὑφῃρημένην εὐλογίαν θάνατον κατ' ἐκείνου ἐμηχανήσατο, καταπραῦναι ἐβούλετο. διά τοι τοῦτο δῶρον αὐτῷ ὑπὸ τῷ τοῦ τετραδικοῦ *) ἀριθμοῦ εὐεργετικῷ πέπομφε. δεύτερον δὲ χάριν εὑρεῖν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, διὸ ἅμα τῷ τετραδικῷ (12v.) καὶ δεκαδικὸν ἐπιπέμπει, ὃς δήπου ἀγάπης τε καὶ χαρίτων ἀνάπλεώς ἐστι. τρίτον ἐξιλεώσασθαι αὐτόν, ὡς ἂν συγχωρῆσαι, προήρητο. ὅθεν καὶ ὑπὸ τῷ πεντηκοστῷ τὸ τρίτον δῶρον χαρίζεται. ὁ γὰρ πεντηκοστὸς ἀριθμὸς ἐν τῷ νόμῳ ἀφέσεώς τε καὶ συγχωρήσεως σύμβολόν ἐστι. καὶ γὰρ ὁ Ἰωβηλαῖος ἐν πεντηκοστῷ χρόνῳ ἤγετο. τελευταῖον δὲ τῷ παντελεῖ τῆς ἀγάπης συνδέσμῳ συναφθῆναι τέ οἱ καὶ συνοικῆσαι, παρ' ὃ δὴ καὶ τελευτῶν ὑπὸ τῷ ἑξαδικῷ τὰ ἔσχατα δῶρα ἀπέστειλεν· ὀρθῶς δὲ τὸν ἑξαδικόν, τὸν τριγώνῳ τῷ σχήματι διακείμενον, ἔπεμψεν, ὅτι παρὰ τοῦ ἐν τριάδι νοουμένου θεοῦ ἡ ἄνισος ἐκείνη τῶν ἐννοιῶν δυὰς εἰς ἕνα σύνδεσμον ἀγάπης ἀπαχθῆναί τε καὶ κατευθυνθῆναι ἔμελλεν. ὥσπερ δὴ καὶ ὁ ἑξαδικὸς ἀριθμός, τριγώνῳ διακείμενος σχήματι, ἐκ τοῦ τριαδικοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ βάσις, τῶν τῆς διαιρέσεως μητέρα δυάδα εἰς ἓν κατάγειν φιλεῖ. καὶ οὕτω πάντως ξυνέβη. τούτοις γὰρ τοῖς δώροις ὁ Ἰακὼβ καὶ θυμούμενον ἐξιλεώσατο τὸν ἀδελφόν, καὶ χάριν εὕρατο, καὶ ἄφεσιν ἔλαβε καὶ ἐν εἰρήνῃ τελείᾳ καὶ ἀγάπῃ αὐτῷ συνῴκησε. τῶν προὔργου δ' ἂν εἴη

*) Cod. πενταδικοῦ.

[10]) Cfr. supra not. 1; aliis locis S. Laurentius binarium numerum „multitudinis principium" appellat, cfr. vol. I.51; IX.343; comp. 487; ceteroqui binarius a S. Laurentio raro in malam partem sumitur. Vol. III.162 scribit: „Superest nunc solvendum cur in hoc loco (sc. Gen. 1.8, post opus secundi diei) non dixerit Moyses: Et vidit Deus quod esset bonum. Aiunt quidam ob numerum dualem, qui propterea censetur informis quoniam primus ab unitate recedit ... Hanc rationem Hieronymus in Ioviniano affert (Adv. Iov. I.16, (P.L. 23.246). Quibusdam tamen minus satisfacit, utpote mystica et quae non debebat officere rei veritati..." ideoque S. Laurentius aliam explicationem proponit. Sed licet binarius apud Patres, praesertim S. Hieronymum, infaustus aestimari soleat (cfr. Hil., In Ps. CXL, P.L. 9.827-828; Ambros., De Noe et Arca, cap. XII. P.L. 14.397-398. Aug. De Vera Rel., 36, P.L. 34.151; Hier. Epist. 48, P.L. 22.508-509; In Ecclesiasten, P.L. 24.1099; In Agg. II, P.L. 25.1455-1456, 1468; In Zach. I.1, P.L. 25.1491) non tamen semper ita mystice ponitur, ut patet v.g. ex Ambr. De 42 Mans., P.L. 17.11; quem secutus est S. Laurentius, vide V.1.522-523; V.2.190; VI.254-255; VII.273; VIII.563; IX.368-369, 392-393, 439; X.1.461. Cfr. Picum, Apolog. Op. I.173. Semper tamen infaustus putatur a P. Bungo pag. 62-95, 596. Tandem ad hunc locum comp. Ambros., De 42 Mans., P.L. 17.11: „Unitas vero novenario superveniens denarium perficit et pacem, amicitiamque designat ..... Denarius ergo numerus perfectus est et unitatem designat". Isid., Lib. Num. II, P.L. 83.180: „Quam unitatem rite sapientes huius mundi concordiam vel pietatem, amicitiamque dixerunt".

[11]) Cfr. Gen. cap. 33.

Ex his quae ad rem pertinent et hoc forsan addendum sit disquisitioni nostrae: Haec scilicet dona sub divisione quadam mitti videntur. Nam quaternarius numerus in ducentas capras et viginti hircos et ducentas oves et viginti arietes bifariam divisus est [1]); similiter et quinquagenarius in quadraginta vaccas et decem tauros. At non sine mysterio haec.

Iacob enim patriarcha, divino illuminatus lumine, alienationem quandam vidit, quin etiam praevidit in Esau, in ipso et in posteris eius [2]). In ipso quidem, quia etsi ad tempus ex iis quae acceperat donis in amicitiam rediturus erat, non tamen perpetua consuetudine sui erat usurus [3]). Dein autem et in posteris Esau — populus enim et gens ab eo ortum trahebat [4]) — (praevidit) priores quidem, idest ex gentibus Christi regis peregrinationem antecedentes, extra legem et a Deo aversos et impios futuros, posteriores vero cum ipsos tum alios cum ipsis collocatum iri cum Christo fidemque eius accepturos.

Unde priores ad capras et haedos, id est reprobos et puniendos spectabant [5]). Posteriores vero ad oves, idest electos et salutem consecuturos [6]). Et ideo sanctus patriarcha divisum misit donum, et praemisit capras et hircos, qui ad haedos spectant. Oves vero et arietes sequentes ponit. Ipsi enim electos postea futuros praesignificabant. Iidem autem et triginta fetis camelis praenuntiabantur [7]), quia a Christo appellati in fide trinitatis legis decalogum observaturi erant [8]). Iidem et quinquagenario, in quadragenarium et denarium diviso, quoniam poenitentiae quadragenario [9]) et legis observationis denario [10]) perventuri erant ad quinquagenarium remissionis [11]), atque reconciliationis ac liber-

---

[1]) Sc. 20 hirci + 200 caprae; 20 arietes + 200 oves; cfr. infra.

[2]) Generatim in S. Laurentii operibus Esau reprobos tantum praefigurat, Iacob vero electos; cfr. IV.211, 388; V.1.268; V.3.350; VI.580-581, 586; VII.14, 108, 232, 457, 466.

[3]) Cfr. Gen. 36.6-8.

[4]) Cfr. Gen. 25.23 et cap. 36.

[5]) Cfr. Vol. V.3.266: „haedi et caprae reprobos designant"; X.1.116; huius S. Scripturae loci causa vicenarius numerus infaustus in mystica numerologia putatur, cfr. Hier, Adv. Iov. I.22, P.L. 23.251: „non in vicenario numero, qui semper in Scripturis infaustus est ... et quem diligit Esau accipiens in eo quaedam munera, sed in decimo de cuius laude crebro diximus"; vide et Hier. In Agg. II, P.L. 25.1479: „Quem numerum (sc. vicenarium) diligit Esau, unde et Iacob sciens eum hoc numero delectari, mittit quaedam animalia in munere viginti et viginti"; comp. etiam Picus, Apol., Op. I.172-173; Bungus pag. 427; not. 5 ad pag. 488.

[6]) Cfr. 2.Tim. 2.10; IV.466: „ipsi autem electi Dei saepe in Sacris Litteris oves Dei appellantur"; V.3.266; (at VI.586: „Omnis homo ovis est, sed vel Dei vel satanae"); VII.166, 197; X.1.116.

[7]) Cfr. not. 11 ad pag. 482.

[8]) De numero ternario, SS. Trinitatis symbolo, vide not. 6 ad pag. 458; de denario legis not. 7 et 8 ad pag. 464, infra not. 10, et not. 8 ad pag. 488, de tricenario numero not. 3 ad pag. 482 et VII.295-296, 322; Hier., In Agg. II, P.L. 25.1479: „tricenarius numerus

